VIII 12

E- 29--

Liber iste comparatus est pretio Conventus

SAPIENS A DIVINA GRATIA INSTRUCTUS Seu FERTILISSIMUS CONCEPTUUM APPARATUS,

Selectissimis Sacræ Scripturæ sententiis, SS. Patrum saluberrimis Effatis, antiquitatis tàm Sacræ, quàm profanæ eruditione, omnique rerum copia ac varietate refertissimus

IN IDEIS EVANGELICIS AC MORALIBUS

Ad communem Parochorum usum, faciliorem concionum laborem, & copiosum animarum fructum Divini Verbi Præconibus oblatus

OPERA ET STUDIO

Celeberrimi per Hispaniam Concionatoris

R. P. FRANCISCI GARAU, Societat. JEsu, SS. Theologiæ Professoris Primarii in Collegio Barcinonensi, Examinatoris Synodalis, & S. Officii qualificatoris.

Nunc verò in postrema editione ab ipso Authore auctus,

Et ab uno ejusdem Societatis Sacerdote ex Hispano idiomate in Latinum translatus.

Accessit

TRIPLEX INDEX IDEARUM UNUS, ALTER CONCIONUM, TERTIUS RERUM.

Cum Facultate Superiorum & Privilegio Cæsareo.

Pro Bibliotheca Conv: Cranenb.

INGOLSTADII,
Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliopolæ Academici.
ANNO MDCCXXXI.

SANCTORUM
PATRUM
INSTITUTUS
PERUTILISSIMUS
CONCERTATIUM
APPARATUS
IN LUCEM EVANGELICAM
ACCOMMODATUS

SUMMARIUM OPERIS.

Sapiens ſit.

I. Unus idemque omnibus. II. Nec baculo ſemper nec cultro utendum ſibi credat. III. Rigorem temperet ſuavitate. IV. Malos plectat, munerando bonos. V. Cœleſtis curiæ ſervet ſtylum, ubi Deus ſuorum injurias magis vindicat, quàm ſuas. VI. In omnibus vigilet; dormire enim idem, ac perire. VII. Ne putet univerſim fieri poſſe per alios, quod per ſe ipſum fieri debet. VIII. Cogitet in tellure, quæ fructus non parit, ſpinas progigni.

Temperet à cupiditate ſeſe attollendi.

IX. Nam culminibus proxima ſunt præcipitia. X. Omnis mundi gloria inane phantaſma. XI. Nil ſtabile in vanitate mundanæ gloriæ. XII. Ambitio ſuis in honoribus damna quærit. XIII. Quod tam anxiè quæritur, demum occidet. Error vulgaris petere præpoſterè. XIV. Neſcit, quid petat, qui petit, quod neſcit. XV. Habet, quod timeat, qui coronæ ambitum non timet. XVI. Delictorum populi ſui reus eſt Princeps. XVII. Nunquam exſaturatur ambitio. XVIII. Quem hæc fera non vincit, invincibilis eſt. XIX. Fixum eſt: nullus attollitur, niſi quem ſuſtulerit Providentia.

Sapiens muniat ſe contra ambitionem alienam.

XX. Omnia enim audet ambitioſus, ut attollatur. XXI. Nil ei cum quopiam intercedit bonæ aut ſinceræ legis. XXII. Nec ſe majorem patitur, nec ſibi ſimilem. XXIII. Fictæ illius ad pedes tuos adgeniculationes, veri ſunt ad manus tuas libelli ſupplices. XXIV. Aliena hæc ambitio tinea eſt, quæ cannabem æquè, ac ſericum rodit.

❀ ❀ ❀

Sapiens nomini adstringi se patiatur.

XXV. Quoniam id, quod in auro accipitur, in igne solvitur. XXVI. Optimi in orbe Judices, qui sine manibus. XXVII. Vix potentia donis potior. XXVIII. Qui Mecænatem habet, munus habet & immunitatem.

Ne cedat Cupiditati.

XXIX. Abundantia siquidem bonorum parens sexcentorum malorum. XXX. Divitiæ & sementis & messis vitiorum. XXXI. Rarò amantur divitiæ sine excessu. XXXII. Ficta hujus mundi bona, vera sunt mala. XXXIII. Plura semper cupit habendi cupiditas. XXXIV. Etiam dives salvabitur, si in Deum & pauperes fuerit dives.

Sit ad injurias magnanimus.

XXXV. Quem tueri vult, perdit vindicta honorem. XXXVI. Non tantùm honorificum, sed divinum quid, condonatio injuriæ. XXXVII. Nobilissimum ultionis genus non ulcisci Dei exemplo. XXXVIII. Vel si vindicanda injuria beneficiis vindicetur. XXXIX. Nunquam scopum tangit vindicta, venia semper. XL. Etiam hic, si volumus, possumus.

Surdus ad detractiones.

XLI. Sciat omnia in malum verti ei, qui aliis dicit malè. XLII. Punctorium in auras jactum pungere æternum. XLIII. Nutriri veneno solo linguam, quæ omnia inficit.

Mutus in maledicendo.

XLIV. Qui murmurationes non vult audire, neque loqui debet. XLV. Charitas, si non est cæca, ne videat: muta sit, ne dicat de proximo malum. XLVI. Occultum alterius vitium solùm delegendum ad medelam. XLVII. Semper mala lingua dentem ferit, qui jam ante dolet. XLVIII. Imò dantur linguæ erratum alterius ita augentes, ut vitra optica objectum.

Zelo tangatur boni Nominis.

XLIX. Vivat in omnibus solicitè, qui in facto nullo vult carpi mordaciter. L. Sic è nube murmurationis ùt phœbus splendidior emicabit innocentia.

Qualis esse debeat erga suos filios.

LI. Nempe summopere pro iis solicitus: memor, quòd si Deum in filiis offendant parentes, etiam à Deo in filiis plectantur ipsi parentes. LII. Sciat nullam educationem meliorem exemplo bono. LIII. Meminerit, eum parentem

RATIO OPERIS
AD LECTOREM.

OBstrictus favori, quem amice Lector detuliſti lucubratis aliàs à me editis, hic rurſus offero Ideas centum Sacras, Evangelicas & Politicas. Hominem Sapientem illæ informant in ordine Divinæ Gratiæ ad normam Sacrarum Paginarum, ut non ſolo nomine, ſed ipſa re inſtructus ſapiat. Id deerat primis meis Ideis in ordinè ſolùm naturæ congeſtis; à recta ſcilicet ratione erigerentur ad veræ fidei Regulam. Conamine hoc meo unà cupio profectum ac levamen tuum. Quò illum ego procurarem, uti volebam verbi divini lumine colluſtrante ſimul atque inflammante: ut tu alterum haberes, hinc inde Scripturæ locos indico, data occaſione ſervituros. Ideas iſtas meas non extendi in Concionum formam, materiam tamen illæ miniſtrant, quam haud magno molimine in ſermonem numeris ſuis abſolutum efformes. Illi, qui fusè ſcribunt, arma ſuppeditant Regi Sauli, non Davidi Paſtori apta. Perſuaſum habe, te hic conſiſtere ad ripam fluminis limpidorum pleni lapidum, quos in Goliathum ſeu peccatum felici ictu vibres. Ipſa aqua ſit induſtria tua, brachium

dicendi virtus; ſic mea quidem erunt tela, tua verò victoria. Deus hanc tibi quàm creberrimè largiatur ad Sanctiſſimi ſui Nominis Gloriam! Hic finis eſt librorum meorum, hic ſcopus, dæmonem vincere, quàm plurima auxiliari manu, cùm unâ meâ vix modicum poſſim. Adjeci Indicem Rerum & conceptuum prædicabilium, ut & ille tuis commodis deſerviat. Fruere qualicunque hoc conatu meo, ac Deum pro me precare.

SUM-

rentem benè velle filio ſuo, qui iſtum vult bonum. LIV. Eumque à malo præſervari, ſi à malis removeatur. LV. Ab incunabilis autem vel maximè impendenda filiis paterna cura; nam qualis ortus, talis occaſus, uti adoleſcentia ita ſenectus. LVI. Nunquam tamen ſubin negligenda etiam apud adultos; quia non eſt deſperandum de remedio, quod Patris amor procurat. LVII. Perſuaſum ſibi habeat, non ritè formari in choris profanis prolem, quæ ſacratis ſubin ſervire debet. LVIII. Neque continentiæ ſtatum benè ſervari ab iis, qui continentiam ſervare à parentibus jubentur ob rationem ſtatûs. LIX. Hinc educatio inſtituenda à primis incunabilis cuivis propria ſtatui.

Qualis ſit erga Deum.

LX. Videat, ut ei jugiter in omnibus adhæreat, memor ſine JEſu omnia verti in luctum, cum JEſu in gaudium. LXI. Nullumque veram felicitatem extra Deum reperiri, in Deo omnem. LXII. Cum Deo proin ſua omnia tranſigat, ſi eum ſibi faventem velit. LXIII. Nam qui Deum fidenter accedit, illum ſibi propitium jugiter invenit. LXIV. Et qui habet, quod ploret, oret. LXV. Et quidem ſic ut aliquid operetur, non enim vivit, qui nil agit. LXVI. Eſtque ingratitudo maxima non noſſe eum, qui beneficiis innoteſcit.

Quid agendum ipſi ſit pro animæ ſalute.

LXVII. Noverit cum Deo iterùm inveniendum, quòd ſine Deo fuerat amiſſum. LXVIII. Cœli proin ductum ſequatur, ſive huc ſive illuc eundum dictet. LXIX. Nullus enim finem ſuum ultimum conſequitur ſuis ſed Divinis mediis. LXX. Et licèt curæ ſit Deo de omnibus, non tamen unam eandemque impendit omnibus. LXXI. Noverit eum, qui cœli lumen citò non ſequitur, ambulare in tenebris. LXXII. Idemque eſſe ſerò venire ac non venire.

Vivat, prout mori vellet.

LXXIII. Rarus enim phœnix, qui vitam inveniat in morte. LXXIV. Et converſio vitalis, non mortualis eſt actio. LXXV. Ex lapidibus autem velle panem facere, tentatio eſt Dæmonis. LXXVI. Nempe vitia, quæ callum obduxêre, cultro reſecanda. LXXVII. Citò ergò, quod olim feciſſe volet, faciat; quia qui non vult, quando poteſt, nec poterit, quando volet. LXXIII. Et qui malè vivit, pejus moritur.

Recuperet in pœnitentia, quæ amiſit in culpa.

LXXIX. Vera namque pœnitentia non relinquit culpæ veſtigia. LXXX. Neque gratiam minuunt peccata, quæ penitus tolluntur pœnitentia. LXXXI.

Imò

Imò rigor pœnitentiæ, si non excedit, saltem æquat gloriâ candorem innocentiæ. LXXXII. Et contriti amormis sacrificium par holocausto sanguinis.

Timore juvetur ùt servo.

LXXXIII. Memor in nubibus formari pluvias, tonitrua, fulmina. LXXXIV. Et lapides duros malleo vel igne frangendos. LXXXV. Timores proin semines, si vult spes metere.

Amore satagat ùt filius.

LXXXVI. Signum enim veri doloris, esse filium amoris. LXXXVII. Et solennia denotant pœnitentiæ lacrymæ publicæ. LXXXVIII. Ad has proin animetur, cùm glorioſum omnipotentis Dei sit opus conversio peccatoris.

Vero & Efficaci dolore.

LXXXIX. Pœnitentiæ adminiculo peccatum destruat & malum fructum ejus. XC. Vitium ita eradicet, ut simul virtutem plantet. Atque generosa peccati manifestatione. XCI. Conscientiam læsam sanet; quod enim non patet, nec curatur vulnus. XCII. Qui verò in Lucem producit peccata sua, splendebit olim lumine gloriæ.

Præterea Valore animi ad pugnam se muniat.

XCIII. Omnibus siquidem in hac vita pugnandum. XCIV. Nulli tamen nocet tentatio, quàm solùm patitur, non appetimus. XCV. Quin imò virtutem exerces & perficit.

Humiliter speret, & lauros referet.

XCVI. Validius enim Deus assistit, quando dæmon acriùs premit. XCVII. Neque aliò, quàm ad Deum ducunt adversa.

Verum dundaxat bonum æstimare discat.

XCVIII. Revera enim sine Deo omnia sunt nihil, & post Deum sola animi habenda cura.

Auribus ejus jugiter insonet tuba novissima, post cujus sonum cuivis obtinget æternum vel supplicium vel præmium.

XCIX. Timeat proin diem illum decretorium, qui erit terribilior ipsa nocte inferni. C. Et ei amplius metuat, cùm judicium clementiæ timendum magis, quàm ipsius Justitiæ.

SUMMA CONCIONUM
In totius anni Dominicas, atque Festa præcipua distributa.

Numerus designat marginem, non paginam.

Dominica 1. Adventus.

Erunt signa in sole & in luna Luc. 21.

QUamprimùm Princeps seu superior vitiis fædatur, & reliqua pariter non minora sidera eclipsin patiuntur, exemplumque Principis ad subditos transit 84.

Licèt superior prohibeat mala, ea tamen fieri jubet, dum mala ipse patrat 85.

Eò quòd Reges Christum adoraverint, totus Oriens eum adorasse dicitur. sic seu bona seu mala sint Principum facinora, ea populo imputantur 87.

Qui omnes delinquere facit, etiam pro omnibus luet 88.

Dominica 2. Adventus.

Cum audiîsset Joannes in vinculis opera Christi mittens duos de discipulis, ait illi &c. Matth. 11.

Quamprimùm operum Christi fama ad aures Joannis allapsa est, actutùm nuntios ad Christum ablegavit, qui informarentur, utrùm ille sit verus Messias: ut scilicet debitum honorem ac cultum Domino suo deferre, se suique nominis famam, apud populum latè partam, Christo penitus subjicere, eúmque tamquam missum è cælo Redemptorem promulgare valeret. prout etiam postea disertissime fecit, quando missis Judæorum legatis respondit. Jo. 1.

Hanc scilicet agendi rationem humilitas erga proximum tenet. at quantùm distat ab hac ambitio; nulli enim ista fidem, aut amicitiæ leges servat. v. Id. 21. in qua pernitiosi ambitionis effectus recensentur.

Dominica 3. Adventus.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Jo. 1. v. 26.

Enormis ingratitudo benefactorem non cognoscere 367.

Patrem non amare, impietas est; eum non cognoscere stultitia ib.

Hanc querelam Deus non gentilibus solùm, sed etiam populo Dei objecit 368.

Amentia nostra absynthium in Deo sibi imaginatur, in quo tamen mera ambrosia latet 369.

Qui Christum in regem accipere recusat, Dæmonem Regem pati cogetur 369.

Quamprimùm sponsa repulsam dedit sponso suo, magna animi afflictione punita est 380.

Dominica 4. Adventus.

Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur. Luc. 3. 5. *Qui ascendit, descendat, nisi cadere cupiat* 63.

Fortuna, quæ non durat, non est fortuna 61.

Fortunæ navis amplissimis instructa est velis, sed nullis anchoris 61.

Ignis non potest lucere, nisi comburat, & sic dum lucet in cinerem & fumum desinit 62.

Etiam in monte Thabor gloria timore obsepta est 62.

Elevatio maximè sublimis, est præcipitium maximè profundum 64.

Et ipsa gloria ignominiis deturpatur 65.

Quóve magis ad eam quis ascendere nititur, eò propiùs ad sui ignominiam accedit 65.

Umbra potentissimi patrocinii, umbra est, quæ tuam gloriam obscurabit 66.

Dominica infra octavam Nativitatis Domini.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. 35.

Filius qui ab altari avellitur, gladius evadet, qui parentum dilacerabit viscera 317.

Filius nunquam magis ad patrem spectat, quàm cum totus Dei est ib.

Lilium cœli rore recreatum crescit 312.

Etiam in horto sponsi rara florent lilia, sed frequentes spinæ pullulant 313.

Continentia coacta omnis meriti expers est 314.

Multi contendunt, ut patrimonium sit ad instar tunicæ inconsutilis, quæ solùm ad unicum pertineat 315.

Lex, quæ privati emolumenti causâ matrimonium prohibet, non est à Deo lata ib.

Quò latiùs in ramos sese arbor extendit, eò uberiores proferet fructus 316.

Deus est omnium Dominus, & ille Deo est offerendus, quem ipse eligit, quisquis dein ille sit 317.

Propriæ utilitatis ratio in actionum nostrarum regulam assumenda non est 318.

In primo matrimonio, quod Deus cæterorum exemplar proposuit, nulla dolis ratio habita est 26.

Dominica 1. post. Epiph.

Et requirebant eum inter cognatos, & notos, & non invenientes. Luc. 2. 44.

Nec

Nec à sua dilectissima Matre se JEsus inveniri permisit, dum ab ea apud amicos & cognatos quæsitus fuit, sic à secularibus commerciis amicisque se seperare debet, qui Deo se cupit consecrare 311. 307.

A cunis ad templum transeat, qui templum in cœlum convertere desiderat ib.

Solus spiritus, qui rerum terrenarum luto non contaminatus fuit, carmen agni cantabit 308.

Et solùm eum JEsus cum gaudio suscipit, qui ejusdem sanctissimæ Matris exemplum imitatur, quæ tribus annis se mundo subtraxit 308.

Mulier, quæ se ipsam non custodit, à nullo poterit satis custodiri 309.

Porta cedrina est, quæ si rimam accipiat, facilè perfringi poterit ib.

Mulier vaga, velùt aqua effusa est 310.

Ut sit planta fertilis, firmas domi radices agat 310.

Domin. 2. post Epiphan.

Gustavit architriclinus aquam vinum factam. Jo. 2.

Christus aquam in vinum, adeoque in meliorem, ac præstantiorem liquorem convertit : obtrectator è diverso omnia in deterius vertit 211.

Apis mel exsugit, unde aranea venenum haurit ib.

Ex ipso siderum rore venena efficient alii, uniones alii ib.

Vel detrahit, vel adjicit aliquid calumniator 212.

Si laudis quidquam in medium afferet, aliquid simul fuliginis asperget 213.

Alii etiam laudibus detrimentum alienæ famæ afferre laborant 214.

Malum facilè credimus, contrà quàm bonum, quod ægerrimè in animum admittimus, nisi manibus illud contrectemus 215.

Dominica 3. post Epiph.

Accessit ad eum centurio. Matth. 8. 6.

Calamitates hominem ad Deum trahunt 504.

Si columba non invenit, ubi quiescere possit, illicò ad arcam revertetur. Si verò florentis arboris ramus eam detineat, arcæ obliviscetur 504.

Malum nequaquam tam tetrum est, ac illud nobis depingit timor 505.

Quando Deus quemquam ad se efficaciter perducere cupit, acerbos ministros legat 506.

Mala multos bonos reddunt, & bona multos malos ib.

Qui aliis vocibus obluctatur, doloris viribus cedit 507.

Superfluæ fortunæ æternæ damnationis argumenta sunt ib.

Dominica 4. post Epiph.

Ecce motus factus est magnus in mari, ipse verò dormiebat. Matth. 8. v. 14.

Si Navarchus dormit, navis periclitatur; si verò evigilat, periculo eximitur 34.

Dormire est perire 34.

Bis dicitur David dormiisse, semel mortuus est corpore, altera vice periit animâ ibid.

Princeps apertis oculis dormire debet 35.

Quamprimùm Adam dormivit, simul periit ibid.

Regnare & vigilare, dormire est regem exuere 36.

Rosa pratorum est regina, quia semper vigil 36.

Virga, quæ vigilat sceptrum est, si dormit, palus ibid.

Pessima dormiendi ratio est, si oculis apertis somnus transigatur 37.

Christus rex non habuit, ubi caput reclinaret ib.

Princeps tenebrarum sedem reclinatoriam quærit ib.

Etiam somnus Regum ordinarius mysteriis plenus sit 38.

Dominica 5. post Epiph.

Ne forte colligentes eradicetis simul cum eis & triticum, Matth. 13. 29.

Si cum zizaniis simul triticum evellatur, triticum cum zizaniis confundetur, & immiscebitur, ut discerni amplius nequeat. Sic bonus, malis sese associans, malus reputatur 290.

Lilium crescens inter spinas miraculum est 282.

Ovis inter lupos ille solum existere potest, qui est sicut Deus inter homines 282.

Sensim sine sensu eorum linguæ vitia contrahimus, cum quibus loquimur 283.

Ipsa Davidis mansuetudo inter efferos efferatur ib.

Deus Enochum Patriarcham ex malorum consortio sustulit, ne mali eum sibi similem redderent.

Eatenus solùm fides Abrahami secura redditur, quatenus ab Idololatris separatur & removetur ib.

Levis mali contages sufficit, ut omnes inficiat 285.

Magis timendum est, ne Hebræi fiant Persæ inter Persas, quàm Persæ Hebræi inter Hebræos ib.

Pestis solâ fugâ evitatur 286.

Animæ securitas securitati corporis præferenda est ib.

Homo innocens vixit, quamdiu solus vixit, consortium accepit, & lapsus est 287.

Qui inter perditos socios versatur, ejusdem farinæ reputatur 288.

Etiam navis Petri, in qua Christus vehitur, periclitatur, si eam Judas onerat 289.

Unius corrupti socii familiaritas reliquos omnes reos arguit. ib.

Probus genitor sollicitus est, quibus sociis filium committat 290.

Castitatis lilium haud securè inter dumos educatur ib.

Dominica 6. post Epiph.

Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi Matth. 13.

Christus nihil se dicturum promittit, nisi magna, sublimia, ab hominum sensibus remota, quæve ad nostram felicitatem, & gloriam pertinent, at quantùm sermones hominum à divinis distant, quàm diversum in finem os

aperiunt,

aperiunt, aculeata dicta, atque aspera convicia, quæ æternum ignominiæ vulnus proximi famæ infligunt, noxiis labiis eructant 216.

Deus in peccatorum supplicium obtrectationes permittit 217.

Calumniatores videntur nonnunquam nihil mali proferre, at venenum sub specioso verborum cortice latet 218.

Dominica Septuagesimæ.

Circa undecimam verò exiit, & invenit alios stantes, & dixit illis ite & vos in vineam meam. Matth. 20. v. 6. 7.

Divinus Agricola nullum ad vineam suam vocavit ultima diei hora, nec enim illud tempus satis opportunum erit promerendo gloriæ Denario 404.

Converti enim est actus vitæ, non mortis 402.

Dantur infirmi, qui vitam non habent, quia salutem non desiderant 402.

Salutem non consequemur, nisi vivissimas 402.

Mavult Deus infirmi vitam ad plures annos extendere, ne dicatur moribundus resipuisse 403.

Qui Justitiam ultricem in vita non fugit, ægriùs illam in morte evitabit 404.

Prodigus veniam obtinuit, verùm quia adhuc, dum felix erat, ejusdem consequendæ solicitus fuit 404.

Non constat Christum curasse infirmum, ac moribundum obstinatum ib.

Quia tunc non peccator peccatum deserit, sed peccatum peccatorem ib.

Dominica Sexagesimæ.

Semen est verbum Dei. Luc. 8. 11.

Verbum Dei semen est, quòd solum manibus seminatur 173.

Ille optimè concionatur, qui optimè operatur ib.

Sic Mater Dei JEsum instruxit non loquendo, sed operando 268.

Quando manus imperant, voce non opus est, ut perficiantur jussa ib.

Agat ipse Pater, quod à filiis peragi vult 269.

Orbis supremus, seu primum mobile, semper in gyros volvitur, & orbes pariter inferiores ejusdem motum fideliter sequuntur ib.

Deus non illum pro patre reputat, qui prolem generat, sed qui eam piè educat 270.

Ille est verus Pater, qui exemplo suos instruit, & verus Pastor, qui gregem præit 271.

Potiùs oculis erudimur, quàm auribus, & citiùs credimus, quæ videmus, quàm quæ audimus 272.

Bona opera sunt optima concionandi ratio 273.

Domin. Quinquagesimæ.

Fili David miserere mei. Luc. 18.

Quisquis amore ac fiducia plenus Deum invocat, suis illum propitium votis illicò sentit. *Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se.* 338.

Deus graviùs offenditur, si de ejus clementia diffidamus, quàm si Majestatem violemus ib.

Adeo ad nos locupletandos propensus est, ut ipse sese nobis offerat, & velit, ut ipsum imploremus 339.

David ut Deum ad liberaliùs largiendum invitaret, in motivum adducit, quòd plus sit petiturus ib.

Inter maxima Tobiæ merita, ob quæ à Deo beneficiis cumularetur, solas ejusdem preces Angelus Divino solio obtulit, tanquam efficacissimum impetrandarum gratiarum incitamentum 340.

Inter amplissima Pauli encomia sola illius oratio celebratur ib.

Vix Agar preces suas ad cœlum direxit, accurrentis angeli opem propediem experta est 341.

Flos pacis, quo anima delectatur, solius orationis rore irrigatur 342.

Nec cum Deo calamitosi, nec sine Deo felices esse possumus ib.

Domin. 1. Quadragesimæ.

Dic ut lapides isti panes fiant.
Matth. 4. 3.

Tentatio Dæmonis est ex lapidibus velle panem efficere per miraculum, labore enim omnia constant 405.

Qui quiescere, & non laborare vult, vult pariter perire 405.

Etiam Christus tentationem existimat, velle cor lapideum in mollem panem, Deoque gratum convertere 406.

Nec enim ab uno extremo ad aliud transitus sit ib.

Conversiones prodigiosæ & extemporaneæ rarissimæ sunt 407.

Pœnitentia ante obitum primùm facta miraculum est, quod Christus semel tantùm in vita patrarit 408.

Multi pereunt, dum peccant ib.

Christus licèt pœnitenti agnum se exhibeat, erga obstinatos Leonem induit 409.

Si Magdalenam in gratiam recipit, ideo recipit quia amavit & ploravit multùm, si Niniven, quia pœnitentiam egit; si latronem, quia in cruce mortuus est ib.

Hinc vi, ac fortitudine opus est, si cœlum expugnare cupimus: ib.

Domin. 2. Quadragesimæ.

Et timuerunt intrantibus illis in nubem.
Luc. 9. 34.

Fulmina nonnunquam timemus è gratiarum nubibus eruptura 495.

Nubes, quæ magis obscurat, lucem solis illustriorem reddit. Sic tentatio virtutem perficit 495.

Nostra infirmitas ipsum timorem timet 496.

Victori Angeli assistunt 497.

Nox præcedit diem, & tentatio tranquillitatem 498.

Si pater sol est, filii stellæ erunt, quæ etiam defuncto genitore lucebunt 267.

In probo filio immortalis redditur probus pater ib.

Filiorum merita Parentibus in gloriam cedunt ib.

Domin. 3. Quadragesimæ.

In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Luc. 11. 15.

Lingua quæ omnia venenô inficit, venenô nutritur 219.

Obtre-

Obtrectator omnia in pessimam partem interpretatur ib.

Maculam obtrectator inveniet, quam nec Dæmon perspiciet ib.

A linguæ aculeis nemo se satis tueri potest 220.

Lingua maledica omni latrone crudelior est 221.

Propudiosum ac infame vitium est 222.

Deo propterea pœnas dabit, quicunque demum ille sit 222.

Linguæ serpentinæ exscindi debent, antequam feriant 223.

Ipsa Dei Clementia novo armorum genere contra obtrectatores se munit ib.

Et ipse siderum princeps nubi non ignoscit, quæ lumen suum ausa est obvelare 224.

Dominica 4. Quadrag.

Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna. Jo. 6. 1.

Superioris vestigia subditus sequitur, quapropter si iniquam ingreditur viam, errores luet sequentis turbæ 84.

In Discipulis magister petitur ib.

Quia calami error non imputatur calamo, sed scribenti, quia eum dirigit ib.

Propterea David etiam alienæ culpæ veniam à Deo flagitabat 84.

Ardua res est, non amare, quod in throno adoratur 86.

Plus persuadet unum diadema, quàm mille Dæmones 86.

Magna ædificia nunquam corruunt sine ruina multorum ib.

Quia Orientis Reges Deum adorarunt, totus Oriens dicitur eum adorasse 87.

Rex qui omnes ad peccandum inducit, pro omnibus pariter luet 88.

Dominica Passionis.

Matth. 15. 44.

Qui ex vobis arguet me de peccato. Jo. 8. 46.

Alios calumniis non impetat, qui ab aliis impeti non vult 225.

Pomum putridum eadam tabe alia inficiet, si illis adjungatur 216.

Probus homo omnes sibi similes existimat ib.

Oculi omnia vident, præter se ipsos 227.

Quilibet pastor sui proprii, & non alieni gregis curam gerat ib.

Nemo illustriùs lucebit, si alios obscurat, nec luna clariùs lucet, dum solem eclipsi obscurat 228.

Satanas in tenebris lucere cupit ib.

Dominica Palmarum.

Osanna Filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

Qui gestientibus animis, festivo cum plausu per gloriosa compita deduxerunt Christum, brevi post, mille inter opprobria atque ignominias eundem ad Calvariæ montem infami figendum cruci rapuêre. ea nempe est mundanæ gloriæ vanitas, ut ea in sola nostra phantasia desinat, merúmque mentis ludibrium sit 57.

Nun-

Nunquam nobis præsens est, quod priùs desideravimus 58.

Gloria mundana est velut fulmen, quod simul lucet, & cadit ib.

Quò quid in mundo est altiùs elevatum, eò profundius deprimetur 59.

Gloriam mundanam intuemur, velut objecta in speculo ib.

Gloria hæc peccatori in pœnam conceditur 60.

Et infelicissimum infortunii genus est, fuisse felicem ib.

Dominica Paschæ.

Surrexit, non est hic. Marc. 6.

Nisi cum Christo crucifigamur, non resurgemus; crux enim scala est, qua cœlum datur conscendere 164.

Mundi prosperitates quærere, est à cruce Christi fugere ib.

Mundus enim in maximis bonis mala maxima collocat 160.

Divitum gaudia in æterna lamenta desinent 161.

Deus maximis bonis aliquem cumulare videtur, dum ei maxima infligit mala 162.

Crescere zizania permittuntur, dum igni destinantur ib.

Quando Deus castigat, illicò patris indicia prodit 163.

Divitum amentia est, opes suas bona sua vocare 165.

Ad auri mensuram myrrhæ acerbitas offertur 166.

Quò plus divitiarum, eò plus spinarum ib.

Domin. 1. post Pascha.

Affer manum tuam -- respondit Thomas Dominus meus, & Deus meus. Jo. 20. 27.

Superioris est, ut ipse subditorum necessitatibus succurrat 43.

Sic Christus voluit labantem discipuli sui fidem per se ipsum, & non per alios firmare 43.

Sic & ipse ad Centurionis filium accedere, eumque curare à paralysi decrevit 39.

Licèt minister angelus sit, haud bene illius comittitur manibus, quòd à Domino præstari potest 40.

Res magni momenti est, ut ipse Rex regat ib.

Ad ferenda lota nuntia Deus angelorum ministerio utetur, delictorum verò examen sibimet ipsi reservat 41.

Ministri magis ad rigorem propendent 42.

Pœnitentium lacrymas ipse Deus abstergit 43.

Christus mundum ab interitu servavit, verum non per alium, sed per se ipsum 44.

Dumque Christus præsentiâ suâ Lazaro non succurrit, hic mortis præda fit 44.

Sic denique ipse Deus est suorum Deus ib.

Domin. 2. post Pascha.

Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Jo. 10.

Deus Propositos suos vult esse Pastores

ctores, qui pascant gregem, & non Piscatores, qui à piscatu vivant 136.

Deus exigit, ut illi, qui præsident, sine manibus sint 129.

Desiderat è diverso, ut sint pleni oculis 130.

Ut quidquid illis adhæresci non sine lacrymis ejiciatur ib.

Mare tribunalis est symbolum, quod, quantumcumque opum ac auri injicias, non placatur 131.

Multi aurea cruce tamquam clave carceres recludunt, licet non sint Redemptores, proùt Christus fuit 132.

Verus zelus non terræ, sed cœlo ortum suum debet 133.

Potestas nunquam illis committenda, qui non sustentari possunt, nisi reorum bonis ib.

Lupi est, occidere, ut commedat ib.

Ad plectendam Babyloniam opus est homine, qui nec auro nec argento inhiat 134.

Facilius est manum ab auro excutere, quàm aurum è manu ib.

Nunquam dicatur de Judice, quòd receperit quidquam 135.

Sapientissimus quisque timet, ne obcæcetur muneribus 136.

Dominica 3. post Pascha.

Modicum etiam non videbitis me. Jo. 16.

Qui lucem è vestigio non sequitur, in tenebras incidet 389.

Lux velocitatem temporis imitatur, & cum tempore transit ib.

Quam primùm Magdalena divinis radiis illustrata fuit, illicò arsit 390.

Vox, quæ hominem ex Ægypto evocat, non est examinanda, utrum à Deo veniat 391.

Sponsus, qui ad vocem accurrit, cum voce pariter aufugit ib.

Vocationem exequi debemus, etiam reluctantibus parentibus ib.

Vocatio non est deserenda ex timore, ne aliquando nos illius pœnitentia subeat 392.

Multi vocatione sua excidunt, vel quia crucem fugiunt, vel quia matrem fugere nolunt 393.

Dominica 4. post Pascha.

Docebit vos omnem veritatem. Jo. 16. 13.

Omnia tempus habent; verum non ultra id quod Deus præfixit 416.

Ubi peccatorum, quam Deus præfixit, attigeris metam, severissima Numinis succedet justitia 417.

Calamitates non semper peccatorum sunt supplicia, sed immittuntur sæpe à Deo, ut ingentium sint meritorum occasio 417.

Peccatorum metam statuit cuilibet Deus 418.

Celeritas in peccando mortis gradus accelerat 419.

Deus ob cumulata peccata viginti annos hominum vitæ abscidit ib.

Quorundam interitus fortuitò accidisse videntur, qui tamen sapientissimo Providentiæ consilio fuêre destinati 420.

Dei timor ætatis annos accumulat ib.

Quapropter meritò formidare debes, ne resipiscendi tibi præripiatur tempus, si pœnitentiam procrastinas 421.

Dominica 5. post Pascha.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Jo. 16.

Ergo non semper, quando nostræ exaudiuntur preces, gaudium nostrum fit plenum? minimè; quia sæpe talia petimus, quæ si concederentur, in nostrum cederent damnum ac tristitiam 71.

Multi sunt, qui cum Matre filiorum Zebedæi nesciunt, quid petant. ib.

Vitæ periculum nonnunquam afferet nimis facilis in preces annutus 72. & sub specioso nomine multa sæpe mala petimus ib.

Caveamus, ne quod præpropere cupimus, nos postea diu torqueat ib.

Non sine sanguinis pretio exaudiuntur preces 73.

Dominica 6. post Pascha.

Quia ab initio mecum estis. Jo. 15.

Deus est omnia illis, qui cum eo libenter versantur, eum cognoscunt, & amant 508.

Sic Jacob omnia in Deo possedit, econtrà Esau nihil, quia à Deo discessit ibid.

Josepho nunquam aliquid defuit, quia semper Deo adhæsit 509.

Qui Deum amat, quidquid concupiscit ille, Deus est ib.

Deus plùs valet quàm anima, anima autem solo Deo inferior est 510.

Servetur anima, & pereant cætera ib.

Licèt Christus omnia in manibus suis habeat, tamen se coram Juda prosternet, & illi omnia offeret, modò animam Judas Christo non deneget 511.

Et totum se ipsum unico in bolo nobis tradet ut nauseemus escas mortis 511.

Omnia quæ mundus offert, mera sunt concupiscentiæ nostræ ludibria 512.

Omnia promittit, qui nihil habet quod det ib.

Dominica Pentecostes.

Et repleti sunt omnes spiritu sancto. Actor. 2.

Diluvium Noëticum fuit diluvium ultionum; hodiernum verò, quod nobis Christus promeruit, est diluvium amorum 433.

Etiam ad terram sterilem Deus spiritum suum ablegat ib.

Sit amor, qui ploret, & non erit peccatum 433.

Pluvia, quæ promiscuè & sine discrimine omnes irrigat, est Divinæ liberalitatis Idea 434.

Spiritus sanctus gloriatur, quod sit vita mortuorum ib.

Unica aspiratio ab amore profecta, spiritum sanctum ad nos attrahit ib.

Sola pœnitentia est omnium vitiorum victrix 435.

Sic Joannes, cum pœnitentiam omnibus annuntiavit, ad triumphos arma subministravit 435.

Nemo desperet qui ad pœnitentiam anhelat, quin & illi Christus donaturus sit spiritum suum 432.

Domi-

Dominica Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. 4.

Deus supremum potentiæ suæ trophæum, ac gloriæ prærogativam reputat, mundum à peccatis liberare 468.

Immotus in gaudium suum Justos recipit, peccatoribus verò obviam procedit, & eos in gloriam suam deducit ib.

Christus propriarum ovium curam Petro committit. fugientes verò ipse inquirit, & suis sublatas humeris ad ovile reducit 469.

Non cedrum, sed rubum in solium eligit 470.

Ne animis Peccator concidat, nam & senticeta in amænissimos hortos Deus convertere novit 471.

Lacrymis animi tranquillitatem acquires ib.

Deus ex primis peccatoribus, prima pœnitentiæ prodigia efformavit ib.

Dominica 1. post Trinit.

Mortuus autem est & Dives, & sepultus est in inferno. Luc. 16.

Bonorum omnium abundantia est malorum omnium prodromus 147.

Quò magis potentior es, eò magis timere debes ib.

Nimia auri cura, est cœli oblivio 148.

Moritur Dives, & fit pauper, moritur pauper, & fit dives 149.

Mors manus decussat: Diviti pauperiem, & Pauperi divitias tradit ib.

Divitis gaudium est momentaneum & æternum tormentum, pauperis momentaneum est tormentum, & gaudium æternum ib.

Divitiæ æterni exitii argumentum sunt 150.

Aurum est vitiorum semen 151.

Si ad cor penetret, virtutem ex eo proscribat ib.

Amor auri est Dei oblivio 152.

In aureo capite fœdæ cogitationes nidulantur 152.

Qui aurum possidet, coli ab aliis cupit 153.

Vix tum ad Deum accedimus, cùm necessitas nos cogit 154.

Qui aliàs divitiis demersus periisset, egestate servatur 155.

Dominica 2. post Trinit.

Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Luc. 14. 24.

Alios compellere ad cœnam, alios, qui eam adire renuerunt, relinquere, fuit maximum horum infelicium supplicium 26.

Corrige improbum laudandô & remunerandô probum ib.

Sic Deus egit cum Lucifero, cum Caino, cum Eli, & hac ratione aget in Die Judicii ib.

Princeps potest subditum amare absque ejusdem meritis, non verò eum remunerari 27.

Dominica 3. post Trinit.

Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. 5.

Ovis perdita & deinde inventa Pastoris gaudium coronat 438.

Pœnitentia primam Innocentiæ ſtolam reſtituit 436.

Chriſtus in Gloria ſua pœnitentiæ noſtræ candore induitur 457.

Sponſa per culpam nigrore contracto per pœnitentiam tam candida ac Illuſtris redditur, ut ſoli tantùm fulgore cedat 437.

Virga è manu Dei elapſa in anguem migrat, eidem reſtituta in ſceptrum formatur 439.

Dominica 4. poſt Trinit.

Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt. Luc. 6.

Nulla re propiùs ad ſimilitudinem Dei accedimus, quàm miſericordia 183.

Neque Virginitas ſine charitate Deo grata eſt ib.

Filius Dei eſt qui ignoſcit, Dæmonis verò, qui vindictam ſpirat 180.

Sola charitate filii Dei à filiis Diaboli diſcernuntur ib.

Qui alterius ad vindictam conamina juvat, hæres Dæmonis dicitur 181.

Hominem vindictæ avidum Deus abominatur, quia ejusdem miſericordiam coarctat 184.

Dom. 5. poſt Trinitatem.

Per totam noctem laborantes nihil cœpimus. Luc. 5. 5.

Curas, atque negotia noſtra cum Deo in oratione tranſigere debemus, ne incaſſum cum Apoſtolis laboremus 336. 332.

Oratione Cœlum nobis aperimus 332.

Chriſtus ſequacem faciſque avidam relinquit turbam, ut orationi quietiùs vacare poſſit ib.

Etiam Petrus, ſi orationis ſtudium negligit, Chriſtum negabit 333.

In orbe nihil fortius, quàm homo oratione armatus 334.

Ut Judith vinceret, ſolam civium orationem imploravit ib.

David tam Regis quàm Ducis munera orandô feliciter explevit 335.

Sic difficultatum montes ſuperantur 335.

Qui ab oratione fugit, in omnibus anguſtias atque cruciatus inveniet 336.

Pilatus totam diem variis cum hominibus colloquiis terit, nec tamen ſibi tantùm temporis ac patientiæ ſumit, ut vel verbum unicum à Chriſto audiret 336.

Inveniet JEſus, qui mundum relinquat, ut ipſum ſequatur, at nullum, qui cum ipſo oret 337.

Dom. 6. poſt Trinitatem.

Relinque ibi munus tuum ante altare, vade priùs reconciliari fratri tuo. Matth. 5. 24.

Quidcunque pro Deo egeris, nihil ages, ſi animum à fratre tuo alienum geris 30.

Deus acriùs ſentit pauperes opprimi, quàm honorem ſuum violari ib.

Offenſarum ſuarum Deus oblitus videtur, non verò illarum, quæ proximum feriunt ib.

Deus graviùs innocentem oppreſſum ulciſcitur, quàm ſe ipſum 28.

Aſſertum hoc in Caino Deus oſtendit ib. In Jeroboamo ib. In Saule ib. In Moyſe 29. In Rege Achab ib.

Mitis vindex eſt propriarum injuriarum, ſeveriſſimus verò in plectendis alienis 31.

Quadringentis annis vindictam cumulavit, ut acerbiſſimo cum rigore injuriam, populo ſuo illatam, expiaret 32.

Idololatriam diſſimulabit, non verò injuſtitiam impunem relinquet 33.

Licèt Deus fidem ſuam Roboamum caſtigandi obligaſſet, procraſtinat tamen, donec pauperes ab eo vexatos videat ib.

Domin. 7. poſt Trinitatem.

Et ſuſtulerunt, quod ſuperaverat de fragmentis ſeptem ſportas.
Marc. 6.

O præclarum documentum divitibus! Comedant qui ſunt imitati, ſuperſint tamen fragmenta, ut in pauperes diſtribuantur, hinc rectè monet S. Jacobus: *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.* Ep. c. 5. n. 5. evolvant igitur Divites divitias ſuas ad manus pauperum, ne corrumpantur, & ipſe cum divitiis ſuis pereat, ſed iis illæſis æternùm fruatur in regno cæleſti. Hoc conſequetur, ſi Dives erit, pró Deo, & pauperibus 169.

Aurum non eſt malum, ſed abuſus illius eſt malus ib.

Etiam egeſtas oculos claudit, ne JEſum intueamur 170.

Jacob Deum citiùs invenit, cùm eſſet dives, quàm cùm eſſet pauper ib.

Portæ Noſocomii ſunt pro Divitibus portæ cæli 171.

Cælum ad pauperes ſpectat, & Mecænatibus ſuis illud tranſcribunt 172.

Divitiæ ſunt baptiſmus, quo gehennæ flammas extinguimus 173.

Noſocomium eſt Domus Dei, & porta cœli 174.

Etiam aurô cœlum venale proſtat 175.

Medium cumulandis divitiis per opportunum eſt, ſi divitias noſtras per Pauperes Deo largiamur 176.

Una manu damus, & duabus recipimus 177.

Nunquam majus bonorum tuorum dominium poſſides, quàm cum illa diſtribuis 178.

Tam pauper nunquam eris, ut tibi nihil in eleemoſynam ſuppetat 178.

Ex propria penu eleemoſynam impertire 179.

Domin. 8. poſt Trinitat.

Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere Matth. 7.

Licèt arbor non malos fructus producat, tamen vocatur mala, quia non bonos præbet. Sic ſufficit, ut homo dicatur malus, modò bona opera negligat. 49.

Adamus Paradiſum perdidit, non quòd illum vaſtarit, ſed quia non excoluit ib.

In domum feriatam Dæmon velut in ſuam intrat 45.

David dum otiatur, & ſe & populum ſuum perdidit ib.

Otium præcipitavit Regem Nabuchodonoſorem ex throno ad beſtias 46.

Arbor emoritur, quæ ſudore non rigatur 47.

Ad cælum non tendere eſt recta ad Infernum progredi 48.

Sufficit, ut ſponſa non amet, ut illa repudietur. Oſcitantia ad bonum eſt alacritas ad malum 51.

Arbor quæ fructum non præbet, ignis Infernalis alimentum erit ib.

Domin. 9. poſt Trinit.

Laudavit Dominus Villicum iniquitatis. Luc. 16. 8.

Reticuit, quod laudare non potuit, & quod laudare potuit, in medium produxit. quia perfecta charitas nunquam evulgat malum, niſi remedii cauſa 234.

Deus benedicit Bonis, at nunquam maledicit malis ib.

Nullus ex te culpam fratris reſciat, niſi poſtquam illam depoſuit 235.

Chriſtus etiam in ſolio gloriæ ſuæ omnem delictorum memoriam fugit 236.

Suæque gloriæ detrahet, ne nobis miſeriarum noſtrarum mentionem ingerat ib.

Qui ſolius remedii ſollicitus eſt, illi tantummodo malum aperit, qui mederi poteſt 237.

Qui Parenti fratris defectus aperit, adhibiti remedii in partem venit 238.

Chriſtus non clamore delicta noſtra ſuo Patri æterno aperit, ſed ſecreta voce 239.

Dominica 10. poſt Trinit.

Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem. Luc. 19.

Lapideis cordibus malleus, vel ignis debetur. Dæmon omni molimine impedire conatur, ne concionatores fabri ſint 449.

In templo gloriæ mallei ſtrepitus non auditur, verùm hic non expoliuntur petræ vivæ absque mallei ictibus 449.

Timor eſt vitæ ſpiritualis principium 450.

Timentibus Deum miſericordia, peccatoribus verò juſtitia proponenda eſt ibid.

Peccatorem pœnitentem Patris amore, obſtinatum autem Judicis rigore excipiat 451.

Peccatores, qui obtuſis auribus ſunt, voces non excitant, niſi mallei ictibus aſſocientur 452.

Caro nimium mollis non curatur mollibus remediis ib.

David non emerſit à peccatis ad vocem miſericordiæ, ſed ad juſtitiæ comminationes ib.

Dominica 11. poſt Trinit.

Deſcendit hic juſtificatus ab illo. Luc. 18. 14.

Publicanus hic fuit genuinum pœnitentiæ Prototypon, in quo nullum priſtinæ formæ veſtigium reperiri erat.

cùm

cùm Phariſæus è diverſo idem deſcendit de templo, qui priùs aſcenderat 428.

Pœnitentia quæ Niniven ſceleratam deſtruxit, ſanctam reædificavit 429.

Non externa ſolùm facies, ſed & internus mentis habitus mutari debet 430.

Hoc eſt ſe ſibimet ipſi negare, & peccatorem funditus deſtruere 431.

Dominica 12. poſt Trinit.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum. Marc. 7. 33.

Chriſtus miſerum hunc hominem non ideò à reliqua ſegregavit turba, quaſi non potuiſſet eum curare turbæ immixtum, ſed ut indicaret peccato remedium afferri non poſſe, quamdiu in occaſione peccandi verſamur 474.

Propterea etiam noluit, ut Magdalena in Domo Phariſæi diutius hæreret ibid.

Oportet igitur, ut pœnitentia deſtruat peccatum, ejusdemque occaſionem, & fructum 472.

Ut Deo vivamus, debemus nos ipſi judices, atque ſimul Divinæ juſtitiæ miniſtri eſſe ib.

Si peccatum vi non expellatur, revertetur iterum 473.

Veræ converſionis nota eſt, ſi cum peccato occaſio peccandi deſeratur ib.

Nec ſolum peccatum, ejusdemque cauſa tollenda eſt, ſed pernitioſos peccati partus atque fructus deſtruere funditus debemus 474.

Quid juvat, ſi petram ſcandali Pater è domo abjiciat, ſi filius in eam ultrò inquiſitum eat 475.

Si arbor mortifera eradicetur, non eſt conſervandum venenum in ejus fructibus 476.

Magdalena etiam libidinis inſtrumenta confregit ib.

Achab pœnitentiam egit, at quia non reſtituit alienum, condemnatus eſt ib.

Dom. 13. poſt Trinitatem.

Alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. Luc. 10. 34.

Nec totum oleum, quod nimis dulce eſt, nec totum vinum, quod nimis mordax, infudit pius Samaritanus. Sic nempe nec nimis lenes, nec nimis rigidi eſſe debemus 23.

Cælum omnia largitur, & pluvias, & ſolem 21.

Sceptrum regale ſit modò virga Judicis, modò baculus Paſtoris ib.

Bonus miniſter habeat ſtellas quibus coronet, habeat gladios, quibus proſternat 22.

Faciem ſolis, ſed oculos fulgurum ib.

Juſtitia & Clementia manus connectant 23.

Miniſtri Dei & Lux, & ſal ſint ib.

In Monte Thabor, ubi Dei ſolium erectum fuit, lux, & nubes, ſol & nix videbatur 24.

Chriſtus in cruxe gloriam & ignominiam, flores & ſpinas conjunxit ib.

Deus homines nunquam caſtigat, niſi ſimul pietatem exerat 25.

Domin.

Domin. 14. post Trinitat.

Regressus est cum magna voce magnificans Deum. Luc. 17. 18.

Quia leprosus sanitatem à Christo acceptam coram toto populo cum encomiis evulgavit, vicissim à Christo laudari meruit. Sic beneficia divina publicè profiteri, ac peccata nostra deplorare non erubescamus 463.

Publicæ lacrymæ peccatorum labem penitùs delent ib.

Sponsa dum in foro sponsum quærit, eum invenit 463.

Quia latro Christum ante omnium oculos confessus est, in paradysum à Christo invitari meruit ib.

Lacrymæ cordis amantis triumphant de corde Dei 464.

Unica lacryma integrum sanguinis sacrificium supplet ib.

Deus, qui omnia possidet, nostrarum solùm lacrymarum avidus est 465.

Christus in convivio cum Pharisæo pœnitentiæ cibos exspectabat 466.

Magdalenam Christi sitim suis lacrymis penitùs extinxit ib.

Etiam in convivio cælesti cibus maximè gratus ac sapidus est, qui pœnitentiâ conditus est 467.

Dom. 15. post Trinitatem.

Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Matth. 6. 28.

Sine omni humano cultu atque labore, solo cæli rore irrigata ac nutrita crescunt lilia, hinc neque tu ulla humana arte ac molimine crescere poteris, sine evehentis Dei subsidio 97.

Se Deo submittere, est optima crescendi ratio 98.

Fortunæ unio solo cæli rore pascitur, & totius maris suppetias spernit ib.

Stultarum Virginum est creaturarum opem implorare, cùm illam àbundantiùs ac securiùs in Deo possideant 99.

Deus, quia unicus sufficit, omnia alia adminicula evertit ib.

In omnipotente Dei manu felices rerum successus versantur 100.

Lilium, quod solùm ad cœli radios sua folia explicat, pro sceptris educatur 101.

Terra peccatis non infecta producet fructus; Peccatori verò acerbas spinas præbet 102.

Beatum te nunquam arbitrâre, quidquid terra tibi affundat, si cæli favor dissentit ib.

Dom. 16. post Trinitatem.

Adolescens tibi dico surge, resedit, qui erat mortuus. Luc. 7. 14.

Adolescens hic ad Christi mandatum confestim surgit. Opus igitur fuit Christi voce, ut adolescens rediret ad vitam, plantet Paulus, riget Apollo, si Deus incrementum non dat, germen sterile atque aridum manebit. Quisquis Dei imaginem in se per peccatum destruxit sine Deo, cum Deo illam reficere debet 371.

Deus jubet, & adjuvat, verùm nos Deo operanti concurrere debemus 371.

Anima

Anima non inſtar ſtatuæ ſit, ſed inſtar lilii, quod cœleſti rore nutritur 372.

Magdalena lucem à Deo hauſit verum illa prius ſeſe in ſacrificium obtulit. & ipſa ſponſa ſponſi ſui imaginem cordi ſuo imprimere debet 372.

Cœlum ſpinas progerminat, quas in terra colligere debemus 373.

Cœleſtis theſaurus non erui poteſt, niſi fodiendo 374.

Virtuti quæ nullô pretiô venit, nullus honos defertur 374.

Dominica 17. poſt Trinit.

Cùm invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco. Luc 14.

Ambitio interitum ſuum quærit, dum quærit gloriæ apicem 67.

Solium crux eſt, & ſceptrum eminus conſpectum lilium apparet 67.

Job felicior cubabat in fimeto, quàm in ſolio 68.

In humili fortuna meras roſas, in ſublimi meras ſpinas invenies 68.

Multum habet, quod formidet, qui regnare non formidat 69.

Dabitur crux ſine corona, at non corona ſine cruce ib.

Formidando leonum ſatellitio ſolium ſtipatur, non verò amæna avium corona 70.

Nec poteſtas nec authoritas invenitur, quæ adverſitatibus non ſit obnoxia ibid.

Dominica 18. poſt Trinit.

Tentans eum. Matth. 22.

Filium Dei eſſe & tentationibus impeti, non ſibi opponuntur, hinc tentatio quæ ſuſtinetur, ſi non placet, non nocet 491.

Crux cui Chriſtus affixus eſt, modò adoratur 491.

Tentatio, quam formidare debes, eſt illa, quam quæris. non illa quæ te quærit 492.

Flamma fornacis Babylonici non illos abſumit, qui in eam injiciuntur, ſed qui propius accedunt ib.

Flamma, quò amplior eſt, non lædit, quia fuga declinatur; minor verò urit, quia contemnitur 493.

Petrus, qui aulam ſpontè accedit, labitur; Moyſes in aula educatus, triumphat ib.

Mare eum non abſorbet, qui fugit, ſed qui illud ingreditur, mergitur 494.

Jacob non horret periculum, præſentiſſimum licèt; quia in id à Deo poſitus fuit 494.

Dominica 19. poſt Trinit.

Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Matth. 19.

Ipſa miracula, à Chriſto patrata, non ſunt immunia à maledicorum convitiis. propterea maxima cum ſollicitudine excubare debet, obtrectatorum dentes quisquis effugere cupit 247.

Calumniator reticebit, quidquid ad gloriam tuam illuſtrandam erit, ſolúmque propalabit quod in tuam ignominiam cedet ib.

Si non data occaſione atque materia convitiatur, quid aget, ſi fæcundam ac paratam habebit? 248.

Sola virtus omni numero abſoluta ab hoc malo ſeſe eximet 249.

Sol in omnibus Deo obedit ib.

Bos licèt alis inſtructus ſit, lento tamen paſſu incedere debet 250.

Cultrum eodem vultu, quo coronam intueri debemus ib.

Deus potius solum malum, quàm malum bono mixtum sufferet 251.

Quem Gloria Dei in officio non continet, contineat propria infamia 252.

Infamia est potentum frænum ib.

Dominica 20. post Trinit.

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Matth. 22. 12.

Sufficit ut ejiciaris è convivio, si non ornatus sis veste nuptiali, licèt aliàs eô indignus non sis 356.

Sic etiam Christus vitam in eo non agnoscit, qui nihil operatur 351.

Vivere plus est, quàm vitam accipere ib.

Justus non est statua inanimis, sed lilium vivum 352.

Sponsa, si vult portari, debet currere 353.

Cœlestis epuli convivæ alii commedunt, alii bibunt, alii denique deliciis merguntur ib.

Nec doceri nec comprehendere possumus cœlestium deliciarum dulcedinem 357.

Jacob dum contemplabatur fidei ac timoris eliciebat actus 358.

Nec Seraphini unquam cessant repetitis virtutum actibus Deum suum adorare 359.

Anima sancta quò magis deliciis fruitur, eò ardentiùs operatur 361.

Dominica 21. post. Trinit.

Abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus. Jo. 4.

Rex erat hic, & tamen non horruit ipse adire Christum, infirmitatem filii sui exponere, ejusque opem publicè implorare; hanc illicò præsentem sensit, de perfecta valetudine filii sui nuntio recreatus. sic vulnus, quod non manifestum redditur, non curatur 480.

Lingua est universale antidotum contra omnia morborum genera 480.

Quàm grande malum sit, sacro tribunali peccata reticere 481.

Qui se Deo ejusque Ministris sistit, non habet, quod flammas & fulmina timeat 482.

Via impiorum tenebris obruta est ib.

Pejor est culpa silentio suppressa, quàm commissa 483.

Peccatum sacerdoti non manifestum remedii incapax est ib.

Dominica 22. post Trinit.

Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum. Matth. 18.

Deum imitari debemus in condonandis injuriis 193.

Summa gloria, quam Deo reddere oportet, ex data inimicis venia exsurgit 193.

Deus sibi summopere glorioſum ducit misericordia hominum malitiam vincere 194.

Petra etiam virgis percussa aquas beneficè dedit 196.

Illam horam Christus suam vocat, quæ illius omnia cruciatuum atque opprobriorum genera attulit ib.

Dominica 23. post Trinit.

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. 21.

Christus non sibi depoſcit ea, quæ mundi sunt 320.

Sic filii à primis incunabulis non juxta mundi

mundi placita ac leges educandi sunt, quos cupimus aliquando Deo donare 317.

Christus permolestè fert, ut cordis iniqui penetralia sua veste obvolvantur 320.

Alæ ad volandum non sufficiunt, si exercitatio desit ib.

Adveniente occasione quilibet ágit, quod agere antea solebat 321.

Qui à Deo eligitur, deliciis haud natus est 322.

Si spinas seminas, quid conquereris, quòd rosas non colligas 323.

Videre non est malum, sed est origo mali ib.

Dominica 24. post Trinit.

Tenuit manum ejus & surrexit puella. Matth. 9. v. 25.

De nullo sene constat, quod à Christo ad vitam fuerit revocatus, ac si de hac ætate nihil esset sperandum. sic nempe vitia quæ diuturna consuetudine in nobis consenuêre, dejicere non possumus, nisi ferri sævitia abscindantur 410.

Dum lucis adhuc usurâ fruimur, cum Deo in gratiam redire debemus 411.

Verno ac æstivo tempore patientiæ ac clementiæ locus est, in Autumno verò ac hyeme rigor succedit 412.

In cunis meditari ac elucubrari debemus, quæ sepulchro olim incidi volumus 413.

Negotium tanti momenti unius horulæ discrimini objicere non debemus 414.

Gravis injuria est, misericordiæ confidere, ut misericordiam offendas liberius ib.

Ob moram unius momenti coronâ nonnunquam exciditur 415.

Dominica 25. post Trinit.

Cum videritis abominationem desolationis. Matth. 24.

Dies Judicii terribilior erit, quàm Inferni nox 513.

Si stellæ de cælo cadent, quid in terra immotum persistet? ib.

Deus in acerbissimis filii sui cruciatibus exemplum dedit, quàm severè peccatorem castigaturus sit 514.

Etiam Job in maximæ gratiæ locum reponit, Infernum eligere, quàm irati Judicis intuitum sustinere 515.

Ipse Joannes Deo dilectus exanimis concidit Deum Judicem intuens 516.

Dei irati sub forma hominis ad judicandum veniet 518.

Magis formidandus est agnus iratus, quàm Leo 519.

Deus ut Deus Philistæos vinci permittit, verùm ut homo eos penitùs delet 520.

Deus humilis venit ob excessum misericordiæ: apparebit autem Deus iratus ob excessum justitiæ 521.

Usque ad illam diem Deus gladium nunquam è vagina educet 522.

Ejus diei calamitates cunctas retroacti temporis ærumnas gravitate superabunt ib.

INDEX FESTORUM.

Festum Circumcisionis D. N. J. C.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2.

Vix octiduum à Nativitate elapsum est, cùm JEsus profuso sanguine in victimam se Deo Patri obtulit. Deus à nobis non sanguinem sed amorem postulat, nam sacrificium amoris contriti æque valet, atque sacrificium sanguinis 440.

Victima Deo maximè accepta est cor contritum ib.

Deus remuneratus est Abrahamum non ob filium sibi in victimam oblatum, sed ob immolatum filii amorem 441.

Magdalena se lacrymarum unionibus coronavit 442.

Non minus placet cor, quod amat, quàm quod vulneratum gemit 443.

Hinc ut sponsa sibi sponsum devinciat, non vulnera, sed amorem ostendit 443.

Amor contritus ex Magdalena Mariam, & ex latrone Martyrem efficit ib.

Festum Epiphan. Domini.

Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus Matth. 2. 2.

Magorum promptitudo illicium fuit, ut omnes eos sequerentur. Sic cœli stellam sequi debemus, seu hac, seu illac ducat 375.

Si Deus te totum postulat, nihil eris, si te totum non dones ib.

Qui Dei ductum sequi renuit, gloriosa coronide se ipsum privat 376.

Deus, si habet stellas, quibus coronet; habet & gladios, quibus feriat 377.

Si divinæ ordinationi obnitimur, nitimur in nostrum exitium ib.

Etiam qui gloriæ divinæ currum regit, Dei spiritum sequacem habeat 378.

Festum Purificat. Mariæ.

Nunc dimittis servum tuum Domine. Luc. 2.

JEsus vita est, hac donatus Simeon mortem optat. Sed rarus est, talis Phœnix, qui in morte vitam invenit 398.

Si Phœnix datur, miraculum est, quod creditur, sed non videtur, & latro pariter, qui in morte ad Deum convertitur, primus dicitur; de secundo siletur ibid.

Ipso Deo teste pœnitentium numerus perexiguus erit 399.

Ismael è domo eliminandus est, licèt peracerbum nobis accidat, illo carere 400.

Justitia formidata Misericordiam propitiam reddet 401.

Festum S. Matthiæ.

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11. 29.

Christus se non rigoris exemplum proponit, sed mansuetudinis 14.

Non semper virga, aut gladius sit 10.

Deus qui omnibus imperat totus pectus est 11.

Majestas magis humana, magis amata 12.

Deus quem altiùs elevat, magis humilem cupit 13.

Qui regere cupit, Pastorem agat 14.

Qui imperat, Patrem, non Judicem se ostendat 15.

Ille

Ille non meliùs ſanat, qui plus ſanguinis elicit 16.

Ubi vox ſufficit, virga cedat 19.

Feſtum Annuntiationis B. V.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. 32.

Maria turbatur, & formidat eſſe Mater illius filii, qui futurus eſſet Rex 81.

Multum habet, quod timeat, qui coronam non timet 79.

Sedes ſublimes ſunt formidandæ ib.

Chriſtus regios honores fugit, metuens, ne humilitas cum ſolio componi poſſit 80.

Magni requiruntur humeri magno oneri ſuſtinendo 82.

Chriſtus illum latronem vocat, qui non vocatus ſe Paſtorem gregi præficit 83.

Feſtum SS. Phil. & Jacobi.

Ego ſum via, veritas, & vita. Joan. 14. 6.

A via aberrare neſcit, quicunque veſtigia Chriſti perſequitur 363.

Chriſtus non priùs contemplari, quàm operari cœpit 362.

Etiam in Monte Thabor crucem amplexus eſt 363.

Pater cæleſtis ab agendo nunquam ceſſat, & eundem quaſi ſemper amoris actum progignit 364.

Maria ad arctiſſimam cum Deo unionem non otioſa quiete, ſed quotidiano virtutum exercitio ſeſe diſpoſuit 365.

S. Paulus ad tertium cœlum raptus non ad omnia ſolùm ſuſtinenda, ſed & facienda ſe Deo obtulit 366.

Nativ. S. Joannis Baptiſtæ.

Manus Domini erat cum illo. Luc. 1. 66.

Ut Deus ſingulare hoc privilegium Joanni conferret, quo illum etiamnum in utero materno ab originali labe immunem reddidit, opus fuit tota Dei manu. *Manus Domini.* Ut verò Balthaſarem ſacrilegum Regem plecteret, ſolis digitis, *apparuerunt digiti.* Dan. 5. 5.

Manus quæ culpas remittit, eſt Dei, manus quæ injuria ulciſcitur, eſt hominis 192. nam venia inimicis data hominem Deum reddit 185.

Jure Deum Patrem appellare poteris, ſi fratri ignoſcitur 186.

Chriſtus omnibus in rebus ſe hominem oſtendit, præterquam in ignoſcendo, ubi ſe Deum præbuit ib.

Dei natura eſt ignoſcere 189.

Ex data inimicis venia Deus gloriam ſuam eruit 190.

Ignoſcere eſt Regum prærogativa 191.

Feſtum S. Petri & Pauli.

Tibi dabo claves regni cœlorum. Matth. 16. 19.

Quamvis Petrus cum clavibus ſupremam in orbe poteſtatem à Chriſto accepiſſet, hac tamen dignitate non contentus ulteriùs requirit, quo honore ornandus ſit, eò quòd omnia reliquiſſet? *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* ſed quænam hujus ambitionis cauſa? quia nempe omnia, quàm primùm his frui incipimus, evaneſcunt, & ſolùm id, quod deſideratur, placet 89.

Ambitioſum nulla res ſatiare poteſt 90.

Lucifero omnia nihil videbantur, quia Deus eſſe non poterat 91.

Humilitas in vallibus, ſuperbia in montium vertice habitat 93.

Niſi honorum æſtus in cunis ſuffocetur, vincet, cùm adultiot erit. 94.

Festum S. M. Magdalenæ.

Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: hic si esset Propheta sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Luc. 7. 39.

Oculos habebit Pharisæus, ut videat etiam in magistro, quod non est 229.

Charitas si contingat, ut maculas videat, saltem eas non evulgat 229.

Nec culpam à nobis amoliri debemus, ejusdem invidiam in alios derivandô 231.

Lilium neminem pungit, vepres quemlibet vulnerat 232.

Nunquam sufficientia habentur argumenta de sacerdotibus perperam suspicandi 233.

Festum S. Jacobi Apostoli.

Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad sinistram in Regno tuo. Matth. 20. 21.

Quicunque bona filiis cupit, eos bonos cupit 275.

Modò foveatur corpus, periclitetur licèt anima, parùm solliciti sunt 276.

Verus amor mavult videre filios obrutos, quàm malos 277.

Qui benedictionem terræ cælesti præfert, utramque excidet 279.

Bonus Pater complectitur filium pœnitentem, licèt pauperem: malus verò etiam perditum non deplorabit, modò de divitiis nihil perdat 281.

Festum S. Laurentii Mart.

Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. 12.

Nos mori oportet, ut fructum afferamus, pati & sustinere acerba, ut lætemur, vehementer dolere, ut impense amare possimus 458.

Æs cùm è flammis extrahitur, indurescit. Pharao cessante suppliciorum atrocitate ad pristinam lapidei cordis duritiem redit 459.

Persequebatur David filium suum Absolonem; verùm quia eum amabat, à morte ereptum volebat 460.

Non omnis dolor ex sincera contriti cordis amaritudine provenit 461.

Fest. Assumptionis B. V. M.

Optimam partem elegit Maria, quæ non auferretur ab ea Luc. 10.

Beneficia à Christo non conferuntur juxta potentum patrocinium, sed petentium merita. Solius Virginis Privilegium ac prærogativa est, ut etiam indignissimis mortalibus gratias maximas à filio impetrare possit 144.

Quoties non accidit? ut aurea adoretur statua, aut Bestia, quo potentes mulierum preces in nostrum favorem lucrari valeamus 145.

Sæpe potentum patrocinia res penitus jam deploratas erigunt 146.

Festum S. Bartholomæi.

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Luc. 22. 24.

Prodigium! etiam Christi discipulos, Ecclesiæ Principes ambitio invadit. Ambitionis scilicet tinea non tantùm agrestem pannum, sed etiam pretiosum sericum corrodit 123.

Serviemus Deo usque dum obtineamus præmium, & non amplius 124.

Fulmen excelsos solùm montes ferit, ambitio verò etiam valles invadit 125.

In sterili eremo lilia non florent 126.

Festum

Festum Nativitatis B. V. M.

De qua natus est JEsus. Matth. 1. 16.

Quæ erat destinata, ut foret Mater Dei, jam merito ac dignitate conspicua in mundum prodit 299.

Sic qui sapientia ac sanctitate insignis esse cupit, ab incunabulis in virtutis stadium maturè ingrediatur, nam qualis oriens, talis occasus; qualis adolescentia, talis senectus 291.

Solidum domûs fundamentum est domûs securitas 293.

Si serò jugo collum subjicis, vel illud ferre non poteris, vel intolerabili te gravabit pondere 294.

Qui ut lilium inter spinas educatur, erit nix inter flammas 296.

Lusus juventutis in res serias evadunt senescente ætate 297.

Mollis nimium parentum amor filios sæpè perdit 300.

Festum S. Matthæi Apost.

Et surgens secutus est eum. Matth. 9.

Quamprimùm Christus illis verbis *sequere me* Matthæum ad relinquendas divitias excitavit, sine morâ obtemperavit. At quantùm ab hac promptitudine distat alterius juvenis contumacia, quem pariter Christus hortatus est, ut fortunis nuntium remitteret, *veni, sequere me. Sed abiit mœrens.* Marc. 10. 17. Rarò enim divitiæ moderatè amantur.

Magna amoris divini excellentia est, si eum supra aurum amamus 157.

Auri amor ante mortem non extinguitur 159.

Festum S. Michaëlis Arch.

Videte ergo ne contemnatis unum ex his pusillis. Matth. 18.

Nihil est tam abjectum ac vile, quod sedulo cultu, atque cura excellentius non possit evadere 302.

Ex Saulo efformari potest Paulus 303.

Multi parentes pernicioſa conniventia filios suos magis in exitium impellunt, quos piâ industriâ ad meliorem frugem flectere possent 304.

Filium à parentis oculo subducere, est eum perdere 305.

Ecclesia Augustinum non haberet, ni Augustinus Matrem sanctam habuisset 306.

Festum SS. Simon. & Judæ.

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Jo. 15.

Mundi perversitas sequaces suos nunquam persequitur 255.

Ex conviciorum nube innocentia illustrior adinstar solis egreditur 253.

Animus heroicus inter tempestatum procellas tranquillus dormit 256.

Festum omnium Sanctor.

Et duodecim portæ. Apoc. 21. 21.

Inter tot sanctorum Myriades ab Apostolo hodie recensitas non omnes eadem viâ ad cœlum tendunt, sed illâ, quam Deus illis constituit, ac monstravit; nam Deus omnes regit, prout vult, neque omnes eodem modo 384.

Quidam vix tonitru percipiunt, alii simplicem fulgorem expavescunt 385.

Ubi S. Paulus Dei obsequiis sese devoverat, rationem ei serviendi non elegit, sed ad omnia sese obtulit 386.

Quilibet sibi destinatam crucem ferat 387.

Si Petrus eodem, quo Judas remedio sanari voluisset, eodem pariter exitio periisset 388.

Festum

Festum S. Catharinæ.

Clausa est Janua. Matth. 25. 10.

Qui serò attingit, nunquam attingit 394.

Quia pastores Agnum Divinum media nocte quæsiverunt, eum invenerunt 395.

Rem difficilem ac irritam aggreditur, qui sub pleno felicitatis meridie stellas perspicere ac deprehendere conatur 396.

Deum ubique invenire, ac sequi possumus 397.

Festum S. Andreæ Apost.

At illi relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 4.

Cur igitur & nos vocanti Deo non obtemperamus? an forte quia Deus ardua nimis, atque viribus nostris superiora imperat? minimè: sed quia nolumus. si enim volumus, possumus 208.

Si Deus circumcisionem Abrahamo imperat, opus erat multis præmiis, ut ille hoc mandatum impleret 209.

Libente ac exultante amplectemur animo, quæ mundus imperat, permolesta licèt atque acerba sint, at eadem intoleranda nobis videbuntur, si Dei amore perferre illa debeamus 209.

Mundi politica nos inimico conciliabit, quod Dei mandatum non poterit efficere 210.

Festum S. Thomæ Apost.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Jo. 20.

Ad quem terminum tentatio non deduxerat Thomam? ut fidem in Christum penè abjecerit. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum --- non credam.* At hoc ipso quia in fide tentatur, in fide firmatur. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Nam quò vehementiùs Dæmon hominem tentat, eò promptiùs Deus succurrit 499.

Deus ab eo, qui tentationibus pulsatur, avelli non posse videtur 500.

Tentationes Dei beneficia sunt 501.

Deliciæ Dei oblivionem inducunt 502.

Nunquam periculosius bellum, quàm pacis tempore 503.

Festum Nativitatis D. N. J. C.

Quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus. Luc. 2.

Deus qui ex essentia sua erat rex, talis visus est, cùm apparuit, ut homo 1. 2.

Dum omnibus providet, se omnium regem probat 3.

Sic regnum suum stabilivit 4.

Omnium centrum esse vult 5.

Eadem trutina & uniones & plumbum librat 7.

Justitia cæca sit, ne videat, quem judicat 8.

Favor ad omnes se extendat 9.

Festum S. Stephani.

Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem --- Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. 56.

Bino Martyrio coronatus fuit Stephanus, uno quo pro Christo vitam profudit, altero quia pro inimicis oravit. Gloria, quæ à venia inimicis data exsurgit, martyrio æqualis est 207.

Gladius, qui ignoscit, in sceptrum mutatur 202.

Qui hostem opprimit, oppresso gloriam parit 203. 204.

Qui erga inimicum beneficus est, erga se beneficus est 205.

Festum S. Joannis Evangelistæ.

Non moritur. Jo. 21.

Justi in morte non moriuntur, impiis verò mors æterna in morte paratur. 424. 423.

Impiorum mors est morte pejor 425.

Hæc ab Isaia depingitur 426.

Virtus in vita adhuc peragat, quod necessitas in morte agere coget 427.

Idea I.

Unus ſit idémque omnibus

1. QUem ſua omnium Regem origo conſtituit, omnibus Regem ſeſe exhibeat. Univerſorum eſſe Regem ſumma dignitas, omnibus & ſingulis eſſe, par obligatio. Sceptrum in latus alterutrum nutans videtur caſui proximum. Purpura, quæ omnes haud contegit, aulicus erit ad oſtentationem ornatus, minimè erit regale pallium. Mulier erat *amicta ſole*, Apoc. 12. 1. quam coronâ ſtellarum ornatam velut Reginam, omníſque perfectionis Regiæ Ectypon terrigenis oſtendit cœlum: Nec radios nec fomenta ulli ſubtrahit Phœbus, *non eſt, qui ſe abſcondat â calore ejus.* Pſal. 10. 7.

In Rege ſupremo Apoſtolus non tam celebrat majeſtatis ac divinitatis quàm benignæ atque humanæ indolis decora: *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit ſalvatoris noſtri Dei.* ad Tit. 3. 4. Deus ab æterno jam talis erat, in tempore patenter talem ſe exhibere voluit, quando ſe non tantùm carne humana indutum, ſed omnibus gratioſum verè probavit: *apparuit enim gratia Salvatoris noſtri omnibus hominibus*, ib. cap. 2. 11.

2. Id totum Chriſtus recens natus ac mundo datus comprobat. Oſtendit ſe paſtoribus in Bethlehemi vicinia ſuper gregem ſuum vigilantibus, & unà ſe manifeſtat Regibus inde procul ad ortum diſſitis. Sed en! cum unis ſe communicat popularibus ſuis, abjectum duntaxat infantis nomen recipit; *videntes cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Luc. 2. 17. nec de ruſticelli filio vilius quid dici queat? ubi adoratio? ubi plauſus? ubi

munera tanto Regi debita? vidisse contenti pastores, nullum aliud promunt obsequii genus. At orientis Reguli vix Hierosolymæ salutant limen, & illicò magnificum Jesu testimonium præbent, signa venerationis supremæ ociùs exhibent in cunis vagienti: *ubi est, qui natus est Rex Judæorum, vidimus stellam ejus & venimus adorare eum.* Matth. 2. 12. illic infans: *invenietis infantem.* Luc. 2. 12. isthic Rex: *qui natus est Rex.* â pastoribus inventus solùm: *& invenerunt infantem positum in præsepio.* ibidem. v. 16. â Magis insuper adoratur: *& procidentes adoraverunt eum*, Matth. 2. 11. quid hoc rei? tam citò in regalem trabeam mutati panniculi infantiles? in sceptrum paleæ? in solium præsepe? tuguriolum in ipsum cælum? ita sanè est, ùt enim in unis orientalibus Regibus ad nationes omnes, (Ecclesiæ opinione) imperium suum extendit Servator, quia universis æqualiter beneficum se demonstravit, jure ùt Rex ab omnibus coli debuit.

3. Clariùs adhuc id ipsum notavit in sua Apocalypsi Sanctus Joannes, ubi filium Dei cap. 19. 16. appellatum dicit: *Regem Regum & Dominum Dominantium*, magnificos siquidem hos titulos tunc ille accepit, quando præconis angeli voce ê medio solis gentes omnes, cæli avium specie expressas ad agni cænam magnam invitavit. Non solæ ad lautissimum hoc convivium evocatæ regales Aquilæ, non soli generosi falcones, non solæ doctæ grues, non solæ canore Aedones, non solæ formâ & plumis superbientium alituum cohortes, sed adesse insuper permissæ columbæ simplices, querulæ turtures, solitarii passeres ac vulgò neglecti alii pennigerûm greges. Volucribus omnibus sub cælo degentibus facta invitatio. Omnibus & singulis regius favor impenditur, nulla tam vilis habetur, quam dignam non censeat inter grandis cœnæ convivas numerari: *& clamavit voce magna omnibus avibus, venite.* Et quidem meritissimo jure omnium Rex tunc aliquis dici meretur, quando indiscriminatim omnibus annonam & cibaria larga manu suppeditat. *Venit hora*, inquit prælaudatus Evangelista, *ut clarificetur filius hominis.* cap. 12. 24. & quænam hæc hora? qua Dei filius pro vero Numine ac omnium Rege agnosci & coli debeat? an quando Lazarum in vitam revocat jam â monumento fœtidum? an cum pistico unguento miræ fragrantiæ â Magdalena suaviter inungitur? an verò ubi ipse urbem sanctam triumphantis habitu ingreditur? nil horum, tunc clarificari filius hominis incipit, cùm & ipsos gentiles ad se trahit, quando sine discrimine universos in suam fidem recipit. *Erant autem quidam gentiles*, ibidem v. 20. *qui dicebant volumus Jesum videre*, v. 22. allecti scilicet regiis Servatoris dotibus, ea præsertim prærogativa, qua se sine personarum acceptione omnibus & singulis æqualiter beneficum demonstrabat. Hæc ipsa causa fuerit, cur ad Judæorum peti-

petitionem Regis titulum eradi non permiserit Pilatus, scriptus enim erat *hebraicè græcè & latinè*, seu omnium in orbe tunc magis notarum gentium linguis. Enim verò, an non ab omnibus Rex salutetur Jesus Nazarenus, qui pro omnibus in crucem suffigi voluit? quomodo deseri poterit Salvatoris & Redemptoris plausibile nomen, postquam omnibus maxima beneficentiâ procurârit salutem & redemptionem? nempe pro omnibus in cruce mortuus, omnes sibi in funiculis charitatis arctissimè devinxit: *si exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Joan. 12. v. 32.

4. Petebat regius Psaltes â cœlesti Patre regni diadema filio Jesu: *Deus judicium tuum Regi da*, Psal. 71. quodnam autem hujus petitionis fundamentum? en geminum! *& benedicentur in illo omnes tribus terræ.* v. 17. *& replebitur majestate ejus omnis terra.* v. 19. Benedictio populorum & tribuum non hujus aut illius, sed omnium, & glorioſa Majestatis non in hac vel illa, sed in omni terra facta manifestatio insigne regium jure poscebant. Alibi idem David sic magnificè canit: *Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes cœlos*, Psal. 94. 3. Idque exinde probat, quia Providentiæ suæ dexterâ attingit omnes & singulos globi terraquei, quàm latè patent, terminos: *quoniam in manu ejus sunt omnes fines terræ.* v. 4. quasi diceret, universi dominus vocetur Deus, quia cœlum creavit, vocetur Deus, quia plasmavit stellas, vocetur Deus, quia omnipotens ipse & mirabilia omnia opera ejus. Sed Deus iste præterea dicatur: *magnus Dominus*, *Rex magnus*, quia liberalissima manus ejus sese extendit ad omnes fines terræ, uti astra ita & flores, non minùs valles quàm montes, folia æquè ac fructus, fines terræ omnes in manu ejus. Ineptè magnitudinem cordis tanti metitur Regis, qui ad brevem modici telluris tractus hexapedam præsumit eandem exigere. Dominus noster Deus est, & omnium est Deus, neque talis foret, si vel uni pateretur deesse providentiam suam. Hinc aptissimè Gentium Apostolus dixit: *nam idem Dominus omnium*, *dives in omnes*, *qui invocant illum.* Rom. 9. 33. Hæc enim verò luculenta Divinitatis nota, esse divitem in omnes, optimè quoque Philosophus ait: *ipsa Dei natura est dare.* L. *quòd deterior potiori insidietur.* Et tanta dare, quantis alii indigent. Ecce hîc quomodo Paulinum id explicari queat: *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Philipp. 2. 6. verbum divinum, quod in forma Dei esset, nil minus egit, quàm prædam Deitatis, utpote in ejusdem gloria undique Patri æqualis, quid ergo vel â quo rapere esset arbitratus? anne Divinitatem ab hominibus? In hunc finem exinanivit semet ipsum, & servi formam accepit, ut in formam Dei servum ipsum transferret; & visus est sibi rapinam Deitatis facturus ab hominibus, nisi formam divinam dedisset hominibus. Thomæ Apostoli

cæteri unum hoc innuerant: *vidimus Dominum.* Joan. 20. v. 25. & tot fide digna teſtimonia de viſu ſufficere poterant, ut & ipſe crederet gloriam reſurgentis. At ipſe tamdiu ſe non crediturum reponit, quamdiu in manibus ê tumulo redivivi non viderit fixuram clavorum, in latere verò lanceæ vulnus. Mira quidem ſed vera hujus increduli illatio, dixerant illi: *vidimus Dominum*, ſubjungit iſte, ſi Dominus eſt; ergo habebit apertas liberalitate manus, patentia amore præcordia, non credam Dominum, niſi in omnes videro liberalem & ſuorum palàm amantem. Ad Labanum iturus Patriarcha Jacob ita ſecum ratiocinari occæpit: ſi Dominus in itinere iſto mihi fuerit propitius, & victum pariter atque veſtitum benevolè ſubminiſtrârit: *Erit mihi Dominus in Deum.* Gen. 28. 1. videtur oppoſitum potiùs inde debuiſſe inferri. Neceſſarium ſiquidem eſt Deum eſſe Deum, non item eſſe Dominum ſaltem relativè ad ſervum, non tamen ita intulit Jacob, ſed: *erit mihi Dominus in Deum*, etenim poſſe beneficium conferre, & id actu non conferre multoties cadit in Dominum, nunquam in Deum. Eſſentia Divina multum imò plurimum habet Patris, qui teſte Filio Divino *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos* (nec ſolùm oriri, ſed etiam occumbere in morte Solis Juſtitiæ) *& pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Matth. 5 45. en pro omnibus ſolem, pro omnibus pluviam, pro omnibus lucem, pro omnibus calorem, pro omnibus irriguum & ſiccitatem. O! magni noſtri Dei infinitam bonitatem! hæc non minùs deſerta irrigat ac fæcundos campos, nec magis pinguem irrorat pratorum glebam quam arenoſa loca, ſui ſolis luce myricas æquè dignatur humiles, ac ſublimes planetarum globos, nec abundantiore cœli rore aſpergit roſas, quàm ipſas ſpinas & tribulos: ad creata omnia æqualiter ſeſe extendit providiſſima hujus Patris cura, qui rerum omnium & Creator & Deus eſt.

Circuli meditullium neceſſariò 5.
oportet eſſe individuum, punctum nempe, cujus pars nulla. Principium ſiquidem eſt linearum omnium recta ad peripheriam tendentium, nec iſtarum origo foret, niſi totum ſe æqualiter ipſis daret. Centrum omnibus commune eſſe deſineret, ſi uni ſe ſubtraheret, ut pleniùs alteris ſeſe impenderet. In medio omnium ſine diſtinctione ſingulas reſpicit, æqualiter univerſas dirigit, ac cum illis ſe ipſum nectit. Politicam, ſi ita loqui fas eſt, iſtam Divinam è cœlo ſecum traxit in terras Chriſtus: docet hic Magiſter cœleſtis, útque omnes pari ſcientiæ incremento diſcant, medium ſe miſcet legis peritis: *Invenerunt eum ſedentem in medio Doctorum* Luc. 2. 46. concionatur, & in medio concionis ſe ſiſtit, *medius veſtrum ſtetit*, Joan. 1. 26. invitat ſuos, utqúe ſingulis inſerviat meliùs, omnium ſe medium ponit: *in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Luc. 22. 27. mundi ſalutem operatur, & in terreſtris ſuperficiei

medi-

meditullio maximum hoc præstat misericordiæ opus: *Operatus est salutem in medio terræ.* Ps. 73. 12. moritur pro bonis & malis in infami crucis patibulo, & ne in extremis quidem medium declinat: *& crucifixerunt cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Jesum.* Joan. 19. 20. resurgit ê monumento glorioſus, & in corona discipulorum apparet medius: *venit Jesus & stetit in medio.* Joan. 20. 19. Denique constituto tempore secundi sui adventûs ad judicium veniet Gualfrido teste *omnium medius.* Ecce quàm sit medii amans benignissimus Deum inter & homines mediator noster! in medio semper vixit, in medio est mortuus, & salutem nostram operatus, in medio resurgentem se exhibuit, ac in decretorii judicii die olim sese exhibebit, indicio utique luculento dato in omnibus servandum esse æquilibrium illi, qui unus idémque debet esse omnibus ne ad dextram potiùs quàm ad sinistram inclinet.

6. Sol lucis parens astrorúmque princeps in medio cœli ac minorum planetarum centro locavit thronum suum, nil penitus affectat privati affectus in suo stellis hisce dispertiendo lumine. Tantundem radiorum suorum communicat potenti Jovi ac prævalido Marti, quantum senectâ tetrico atque impoti Saturno, tantum docto Mercurio, quantum formosæ Veneri, unus idemque Sideribus omnibus Phœbus æqua manu splendida sua dispescit munera, & terrestris ac lunaris globi ita jugiter collustrat hemispheria, ut cuivis terrarum loco intra unum annum spatio semestri, singulis verò Cinthiæ partibus diebus quindecim intra mensem luminis sui & gratiam & copiam faciat, idcirco meritus justitiæ solis dici solium, quippe qui omnium Rex *in sole posuit tabernaculum suum*, Psal. 18. 6. Magna illa Apocalyptica heroina, in qua velut splendidiore throno resedit idem sol justitiæ, non tantùm majori luminari se accinctam vidit, sed & minori velut Scabello innixam, ac sidereo præterea ornatam diademate. *Mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. 1. miraculum sanè ingens solem lunæ, háncque stellis ita jungere, ut non majori, quàm sese extendat hominis statura ab invicem dirimantur capedine. Nempe & diei & nocti copiosam affundit lucem splendissima hæc cœli terrarúmque lampas. Sol est iis, qui in diurno gratiæ lumine ambulant, Lunæ & stellarum splendor iis, qui in nocte & umbra mortiferæ culpæ errabundi vagantur, verè *Electa ùt sol, pulchra ut luna.* Cant. 6. 9. E lucidissimo hoc throno egressio ejus, *qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. 5. Hic olim rerum omnium conditor, denique esse voluit reparator omnium. Magnum æquè ac parvum respexit, cui est cura æqualiter de omnibus. Hinc omni creaturæ in universo mundo prædicari jussit Evangelium. Non respicit vultum hujus vel istius

hominis, qui plasmator & restaurator est omnis hominis. *In medio templi*, ùt acutè notat Mellifluus, *misericordia est, non in angulo, non in diversorio, in communi posita est*, juxta illud: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi*, Psal. 47. 9. *Offertur omnibus, nemo illius expers, nisi qui renuit.* Serm. 1. de Purific. sic in rerum primordio plantavit Deus: *Lignum vitæ in medio paradisi.* Gen 2. 9. ut omnibus esset remedio, nisi iis, qui ultrò quærerent perniciem. Sic in liberatione populi Israelitici principia boni regiminis in viridi Rubo ac splendenti auro legenda Moysi exhibuit Legislator Dominus, ubi in lenticeto eidem sese spectandum præbuit: *apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi.* Exod. 3. 2. Totius Judæorum plebis figuram virgultum illud gerebat, & in ejus meditullio tribunal suum erexit Judex supremus, ut omnes in circuitu accessum haberent, singuli favores & clementiam juxta causæ merita inde haurirent.

7. Una est mensoria ulna, quæ nihil separat pretiosum â vili, pannum æquè malè textum, ac purpuram & holosericum metitur. Unum proin etiam sit sceptrum, quod æqualiter regat nobilem & plebejum. Justitiæ æquitas lance eâdem appendit æs & aurum, argentum & ferrum. Princeps aut quiscunque aliis moderatur, speculum est, in quod omnes respiciunt, patere proin debet tam minimo quàm maximo, clarè humilem non minùs exhibeat, quàm grandem aut Magnatem. Imo authoritatis nota est, supplicem non despicere humilitatem. Quæ olim simulacris inesse credebatur vis divina, hanc non fulvum nec nitidum præstabat metallum, sed fusæ coram idolis preces. Eó minús figmenti habere censebantur fictitia hæc numina, quo sincerioribus pauperum coli votis cernebantur. In nostris quoque Christiadum templis eæ Divorum statuæ plus laudis & celebritatis habent, quæ majorem præ aliis trahunt opis indigorum turbam. Sic illi præ cæteris æquitate eminere autumantur Judices, quorum subsellia confertiùs stipant miserorum greges. Si justitiæ virtus ubique ex se æquilibrii amans alicubi flectenda in alterutrum latus, illuc inclinetur, quò deflectunt imbecilles, non ubi potentes assurgunt. Genuinum enim solium non potentia, sed una erexit indigentia. Rarus ísque adnimadversione dignus casus Theodorico obvenit. Sors alloquii regii viduæ inopi fortè obtigerat, conqueritur misella illicò, post annos adhuc pendere litem suam Misertus pauperculæ Rex ex ipsa die judicibus commendat hujus causæ decisionem, & en Luce insequenti mox latam sententiam! id miratus Theodoricus promptitudinis rationem exquirit, atque sibi dici intelligit, nihil esse quod morari queat comendationem regiam, mandato ipsi æquivalentem. Nunquid autem hîc intulit æquissimus Rex, ego aliud mandavi, cum vobis judicandi onus imposui, quàm ut causas præsertim pauperum

perùm expediretis quantocius ? & cum dicto neglecti reos officii ad aliorum terrorem mulctavit severè. Non multò post tanto affecta principis favore mulhercula eidem templum ingresso incendit cereum velut sacrosancto. Englgrav. Emblem. 32. ecce hîc modum merendi luces ! lucrandi aras ! en signa, quæ ipse dedit cœlorum Monarcha suæ Divinitatis. *Euntes*, inquit Joannis Baptistæ discipulis, *renunciate, quæ audistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Matth. 11. 4. Domine non hujusmodi petunt Præcursoris tui ad te missi proselyti; hoc scire avent, an sis mundi Salvator ? an verus Dei vivi filius ? & id ipsum reponit Christus in iis signis, & nihil aliud affirmo. Nota est infallibilis Divinitatis præstitum multiplex subsidium miseriis humanitatis.

8. Non ergo ii qui judicant terram, personas respiciant sed merita. Non attendant, quinam loquantur aut petant ? sed quid & quo jure ? non Astræam vellem, sed amorem videre oculatum. Sic iste cerneret, quem amat, illa non discerneret quem judicat. Sic in judiciis fieret, quod fecit Christus non Judex de visu sed de auditu. Ipse enim dicit: *ego sicut audio, judico.* Joan. 5. 30. Et quidem ita, ut tota judicandi ratio non fuerit suum sed Patris beneplacitum. Hinc subdit: *& judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* ibid. Heroicè prorsus ille Vandalorum Rex deprehensos aliquot in flagranti fures sine mora patibulo addixerat. Ferali sententiæ unicus reorum intercessit, regio se ortum sanguine dictitans. Eatenus valuére preces, quatenus trabeatus iste altiori inter cæteros trabe penderet. Id unum suo Rex sanguini detulit, nihilque recti judicis in eo præjudicii attulit. Canticum Moysis mirum spargit ac diversum sonum. Hic insonat benedictio, alibi reboant minarum toni: modò iræ infremunt, aliàs demulcent favores, unà cum sententiis promulgatur legum tenor. Sed ad ista invocatur cœlum & terra, ut unà audiant, nec sublimi, qui loco habitat, rigorem supterfugiat legis, nec qui humili sedet, privilegii careat favore. *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Deuter. 32. 1. & illicò populi Ductor petit: *concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* v. 2. rore suaviter irrigantur tam herbæ quam flores, rosæ æquè quàm spinæ, non minùs folia, quàm ipsi arborum fructus. En favoris Ectypon ! cùm in pluviam resolvitur nubes, non rarò imbrem & grandinem fundit in luteas domos & regum palatia, in humiles myricas & excelsas cedros, in squallores eremi & hortenses delicias ! en legis rigorem ? Ambo & lex & privilegium omnes concernunt, nullum hîc plebejos inter & magnates discrimen. Querebatur apud Valerium Maximum

L. 7. Anachartis, leges aranearum telis haud esse absimiles, has dum impunè involant muscæ prægrandes, & divites melle apes, evadere nequit infirmior culex, aut improvidus papilio. Sic legum vinculis solus adstringitur pauper & imbecillis, dives & præpotens hos nodos vel eludit vel omnino infringit. Sed hoc est: *Judicium convertere in amaritudinem, & fructum justitiæ in absynthium*, ùt deplorat Amos cap. 6 23. cur autem in absynthium vertantur leges? *quia idem medicina fit homini quod est mors culici*, ut de herba ea docet Dioscorus L. 3. c. 23. & Galenus L. 6. simplicium. Urbes condere legislatoris est, uti & principis ac supremi judicis, sic Deus Jeremiæ mandat, *ut ædificet*, cap. 1. 10. qui urbica fundamenta eruit nec molli parcit telluri, nec duræ materiæ. Hinc etiam in canticis anima sancta dicitur; *fons hortorum & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* cap. 5. 15. uti hortorum Scaturigines indiscriminatim areolas omnes irrigant, ita torrentes impetu suo & flores & segetes proterunt. Sic ê corde candido sponsæ Epithalamii proprio velut ex fonte limpido, & ê Zelo justitiæ integritatis amante velut ex Libano fluenta legum in omnes decurrant. Hac una ratione meritis suppliciis eximitur Ninive, ubi nullus solvitur jejunii lege. Pauper & dives, mancipium & Dominus, civis cum Rege *â majore utque ad minorem* jejunant omnes Jonæ 3. 5. & post quadraginta dies Ninive non subvertitur.

Gemina Principis brachia jure nuncupantur præmium & pœna, unum ac alterum ad omnes æqualiter extendere æquum est. Felix respublica, in qua favoris spes etiam abjectos allicit, ubi metus supplicii sublimes quoque compescit. In templis aqua lustralis in pauperem & divitem spargitur, tam plebejum quam nobilem abluit. In vasto illo Babylonis imperio etiam id trepidat captivorum custos, ne vel eorum vultus culpâ suâ gracilescant: *Timeo ego Dominum meum Regem.* Dan. 1. 10. Monarchæ Chaldæi cor sanè regium quod inter amplissimi regni curas etiam de mancipiis tantum curat. Et nil timeant â Deo constituti pastores filiorum suorum præsertim pauperum, in quos tamen jugiter teste regio vate *oculi ejus respiciunt.* Psal. 9. 31. Pauperculus iste quem despicis, & non rarò pessimè habes, delicium est supremi Domini, quam hujus olim rationem reddes, si fame sinas perire, dum alter fortè servus nequam ingluvie utris instar extenditur? væ tibi, si etiam domi tuæ *alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, 1. Corinth. 11. fors sonipes in equili ex eo pingue scit, quod famelici subtractum est ollæ famuli. Non sic pastor ille bonus ac verus princeps egit. In communi escæ penuriâ magis alienam quàm suam dolet necessitatem, *unde*, inquit, *ememus panes, ut manducent hi.* Joan. 6. 5. non dicit, ut manducent divites, magnates, amici, sanguine juncti vel etiam discipuli mei, *sed hi*, nempe 9.

omnes

omnes, cùm univerſorum paſtori cura ſit de omnibus. Hæc forſitan potiſſima cauſa, cur populus voluerit hunc regnare ſuper ſe, ùt colligitur citato loco v. 15. ubi dicitur: *Jeſus ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ſolus ipſe.* Ejusmodi vel volunt vel amant ſubditi Reges, qui nil magis volunt & amant, quam ſibi ſubjectorum bonum. Denique eſſe quidem poteſt rete piſcatorum ſed non â Deo ſelectorum, ſi quos ſinu ſuo excipit piſces, unde & quales veniant, rimetur. Qui pro Deo piſcantur omne ſquamigeri gregis colligunt genus, prout incurrerint in Domini rete. Hinc ſagena hæc comparatur regno cœlorum, quod nil rejicit eorum, quæ in terra qua capit: *Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare & eo omni genere piſcium congreganti.* Matth 13. 42. Et licet tunc, cùm venerit præſtitutum tempus ab angelis ſelectus faciendus ſit bonorum piſcium â malis, nulla tamen habebitur ratio magnitudinis aut parvitatis. Unde unde venerint vel qualescunque fuerint, *boni omnes eligentur in vaſa, mali autem foras mittentur.* v. 48.

Idea II.

Nec baculo ſemper, nec cultro utendum.

10. NUlla virtus genuina vitii amat eſſe filia. Valor utpote nobilis tam malam matrem noſſe recuſat, qualis eſt violentia, quíque ſe novit filium liberæ, mancipatam ſe negat prolem ancillæ. Ferro durius vinclis ferreis adſtringi animum; violenta non durant. Vim facilè inferes alienis manibus, ne malum apprehendant, nullo conatu efficies, alterius voluntas, ni ipſamet velit, amet bonum. Hinc Seneca: *Naturâ contumax humanus animus, & in contrarium arduum nitens, ſequitur facilius, quàm ducatur.* L. 1. de Clem. c. 24. Etiam Deus utut infinitè potens, cui nil valet reſiſtere, non vi, ſed amore trahit. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Oſe. 11. 4. Ferrum quidem minatur duræ cervicis hominibus: *Reges eos in virga ferrea.* Pſ. 2. 9. ſed illico addit, obſtinaces ejusmodi animos frangendos potiùs, velut perditionis vaſa, quàm emolliendos, ut evadant vaſa honoris, & electionis: *& tanquam vas figuli confringes eos.* ibid. qui ſemper virgâ ferrea hos regit, frangere poterit, non emendare, plectere, non corrigere, jacturam facere, non lucrum.

11. Quo Abrahamum in sui obsequium alliceret Deus, ita eum alloquitur: *Ego Deus omnipotens.* Gen. 17. v. 1. ubi Ecclesiastes legit: *Deus liberalis, fortis, beneficus.* notátque eo scripturæ textu vocem contineri pectoris lactei significativam *quasi Deus totus manna sit, unde omnia fluant, ùt lac.* prout idem auctor advertit. Ecce hîc modum, quo utitur supremus Dominus cum servis suis, dulcedinis nempe, & amoris plenum. *Liberalem* se illis ostendit, ac summè *beneficum*, quando vult, ut se Deum *fortem* agnoscant. In tam amabilibus titulis invictæ suæ potentiæ jus stabilit. Nempe omnia & potest, & obtinet liberalis benignitas. Nec omnis salsedo maris, nec fluctuum, decumana quos ciet tempestas, horrificus fragor, nec spumantis elementi rabies, vel unicum in conchis formare valent margaritum. Guttula suavis è cœlo defluí roris inter totius oceani amaritiem hoc Cimmelii feliciter enititur. Horribile tonitruum boatu ac terrifico fulminum igne ipsæ quoque feræ moventur, at non ut pariant, sed quò aboriantur. Dulcis contra Servatoris obtutus, quos non illicò è Petri oculis, elicuit lachrimarum fontes? *Et conversus Dominus respexit Petrum: & egressus foras Petrus flevit amarè.* Luc. 22. v. 61. & 62. Magna felicitas centurionis, cujus nutibus parebant subditi omnes, qui Christo cum veritate dicere potuit: *Dico huic vade, & vadit, & alii, veni, & venit.* Matth. 8. v. 9. Inter humanam militiam rarum aliàs exactum adeò parendi studium. Sed nihil non obtinet prompti â suis obsequii dulcior mandantis humanitas. Hac suum in subjectos milites dominium condiebat præcipiens centurio, dicebátque: *Ego homo sum.* ibid. & qui miti ore dabat mandatum, sine tergiversatione recipiebat servitium. Servos, ac subditos non nemo comparabat herbæ, quam dicunt Basilicam. Istam si blanda manus contingit, suave olentem circùm fragrantiam exhalat, ubi strictiùs presseris, locô grati odoris fœtorem elicies: nec desunt, qui autument, plantam hanc inter duriora saxa fortiùs contusam in virulentum scorpionem migrare, â quo meritò timeas.

12. Cæcitas est præfidentis superbiæ, quæ tibi persuadet tantùm accessurum auctoritatis, quantùm addetur de ostentatione potentiæ. Id certum est, nullam esse majestatem, cui major & amor, & honor deferatur, quàm quæ est humanissima. Attende sis, Alexandro Severo crebriùs inculcabant mater, & uxor, ne mitiori imperandi genere contemptum parias Augusto regimini. Ita sit, reponebat Princeps, haud tamen inficias ibitis, hac ratione firmari ac sibi constare imperia. Hoc ipsum sentiebat David, quando in filio reges cæteros instruens amplas ipsorum armis in justitiæ mansuetudine promittit victorias, & ad eorum pedes suaviter prostratos populos. *Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam,* Hieronymus legit:

legit: *propter mansuetudinem justitiæ sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Psalm. 44. v. 5. Consentit Ecclesiasticus, dum regentis, ut sentit Palatius prosecutus institutionem, præprimis commendat mansuetudinem, cujus ope etiam magis ardua feliciter conscendant, subditósque habeant in sui adorationem proniores. *Fili*, inquit, *in mansuetudine opera tua perfice, & super humanam gloriam diligeris.* Eccles. 3. 19. Fieri quidem potest, ut mansuetorum manibus non rotentur terræ sceptra, certos tamen nos reddit Dei Filius, quod soli mites, præter beatitudinem olim in cœlis obtinendam, sint possessuri in hac vita terram, uti ad litteram explicant S. Chrysostom. Theophilactus, & Eutymius in illum locum Evangelii. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5. v. 4. Nec alius Regii Vatis sensus, dum enim malignantem arrogantiam paulatim videt Regnis, & populi æstimatione ac memoria dejectam, unà cernit mansuetos dominatum capere, ac perennis pacis fructus uberrimos. *Qui malignantur, exterminabuntur, quæres locum ejus, & non invenies. Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in abundantia pacis.* Psal. 36. v. 9. 10. & 11. Quis toti orbi sub jugum mittendo non validiorem censeret leonis iram, quàm agni mansuetudinem? istud tamen Deus elegit, ac priùs vaticinatus est Isaias iis verbis. *Emitte agnum Domine, Dominatorem terræ.* Is. 16. 1. Agnus esse debet, qui aliis imperat, mitis, qui victorias legit, mansuetus, qui canit triumphos. Phœbus nunquam magis boreale telluris hemisphærium illuminat, quàm cùm delatus ad æstivum solstitium lentiùs ac velut tranquillo gradu Zodiacum emetitur. Sol verò justitiæ, dum *visitavit nos oriens ex alto.* Luc. 1. 18. & excelsum divinitatis suæ junxit infimo humanitatis nostræ juxta Paulinum illud: *Cùm in forma Dei esset exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Philipp. 2. 6. id præprimis spectavit, ut suo exemplo humiles nos, ac mites redderet sæpiùs ingeminans: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11. 29. Spica, quò altiùs caput attollit, eò manifestiùs vanitatis suæ præbet indicium, multùm habebit stipulæ, parùm grani.

Maxima evectio filiorum Abrahæ, quando Deus illos sustulit usque ad stellas Cœli! sed & infima depressio, ubi pares facti arenis, seu aquarum rejectamentis! *Dabo semen tuum sicut stellas cœli:* en excelsitatem! *& sicut arenam, quæ est in littore maris* Gen. 22. 17. Ecce profunditatem! Mole in hoc universo nil majus, stellis, nil minus arenis. Illæ creatis omnibus corporeis superstant, istæ etiam vilissimis subsunt. Astrum quidem sit, qui imperat, sed tractabile, & accessu facile ùt arena, velut sidus benignum experiantur subditi, non timeant ùt fatalem cometam. De certa Indorum natione refert Octavianus Tufus in Eccl. c. 3. quòd si quispiam 13.

eorum ex humili ad sublimem evectus fuerit sortem, præ se gestare debeat fortunæ pristinæ signa, perennia humilitatis, ac humanitatis documenta. Id ipsum Moſen facere jussit Deus populi sui principem institutum. Baculus, *quo* humilis pastor soceri oves *mi*naverat olim, Israelitis humanè regendis subin deserviit. Hoc sceptro confundendus erat Pharaonis fastus, hoc adminiculo mille patranda terrâ, marique prodigia. Non alias, quàm viles istas Deus indulget maximæ auctoritatis, & potentiæ Ductori Israelitici populi testes litteras, pedum nempe pastoritium, non in terrificum serpentem versum, sed ex serpente in baculi formam revocatum lege Exod. c. 4.

14. Ita est. Pastor sit, qui alios regit, si cupit felix regimen. Christus Dominus, ter dicit Petro, *pasce oves meas* Joann. 21. 15. nec semel: *cæde*. Ratio in promptu est, noverat nempe Pastor Divinus Ovium mala melius sanari bono pabulo, ac ipso pastorali baculo. Cùm Servator â piscium captura ad piscandos homines traduxit filios Zebædæi, & alios discipulos suos verbis iis: *faciam vos fieri piscatores hominum* Matth. 4. 19. Reliquit in eorum manibus cannas palustres cum hamis, & esca illice, ùt colligitur ex variis Evangelii locis, quæ de illorum piscatione referunt. Nullibi autem scriptum legimus, etiam baculos ipsis traditos, quêis commissum sibi gregem percuterent. Imò ipse Pastorum supremus Pastor in se paradigma dedit, quomodo cæteri errantem ovem reducerent; ubi ipse fugitivam assecutus est non vinculis adstringit, non mulctat, non aliis post se trahit funiculis, quàm charitatis. Hinc amore illam allicit, amplexu fovet, & lassam ipse lætus deportat ad caulam, nimirum inventam, quæ perierat oviculam *imponit in humeros suos gaudens* Luc. 15. 5. Joannes Præcursor peccatorum mala sublata non refundit in minas Adæ olim factas, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris* Genes. 2. 17. Nec in severissimas mundi cataclismo submersi pænas, nec in Leonis terrificos rugitus, sed in mitissimi agni adventum. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Jo. 1. 19. Hinc ipse hic Agnus, qui venit delere hominum crimina, nullum rigoris in suavissimo suo regimine nos vult capere, sed solius benignitatis documentum, â se enim discere jubet quòd mitis sit, & humilis corde, útque ipsum in eo imitemur, animi quietem, maximum in terris bonum, nobis promittit: *& invenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11. 29. illis verò, quos â simplicitate, & mansuetudine alienos viderat, apertè denunciat ipsam cœli jacturam. *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum cœlorum.* Matth. 18. 3.

15. Superiores æquè ac Patres laudo virtutis subditorum, ac prolium juges Zelotes. Id non laudo, si nunquam non rigorem, si tribunal, si virgam suis ostendant. Ubi subditi in præpositis

fitis velut in ſpeculo leones ſemper intueantur, an mirum, ſi & ipſi denique Leoninum quid ſpirent? In ſchola amoris potiùs, quàm timoris adoleſcit obedientia. Princeps, qui continuò timeri â ſuis cupit, an volet, ut denique tyrannum ipſi ament? Quò obſequentiſſimos nos ſummo Deo redderet Chriſtus, exhortatur: Eum dicamus Patrem. *Vos autem ſic orabitis: Pater noſter* Matth. 6. 9. Sic meliùs agnoſcemus Dominum, quem crebriùs nuncupabimus Patrem. Hujus pietati vel unicus filius mille mancipiis potior. Miſeris hiſce ſcatet infernus non ſine commotione viſcerum miſericordiæ Dei, qui quantum in ſe eſt, nec unum volebat inferorum rudentibus mancipatum. Deum quidem timent dæmones & contremiſcunt ad rigorem juſtitiæ ejus. Sed blasphemant ſimul, ac abhorrent. Qui à ſuis amari cupit, & pronis eorum frui obſequiis, ipſe ſuos amet, iísque ſe humanum exhibeat. Vel unius filii, præeligat dici pater, quàm centum vinctorum vel inuitè ſervientium Dominus. Natura quidem, & ratio dictat, ne filius præ patre, aut ſubditus præ Rege aliud amet: ſed ubi neuter ſuorum amori reſpondet, denique ſolvetur legis quoque ſtrictiſſimæ vinculum. Filium prodigum magìs movit paternæ in ſe charitatis memoria, quàm repetiti arietes caninæ famis. *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei Pater.* Luc. 15. 18. *Fili*, inquit Salomon, *ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Prov. 1. 10. niſi pocula lactea filiis propinet pater, virulenta ii denique ſugent ab inimico blandè oblata. Ubi mater domi fuerit merum abſinthium, an mirum, ſi ſoboles foris incautè lambat aconythi dulcedinem? Paulisper inhibete rigorem parentes, oſtendite amoris quandoque ubera, & hac ſuavitate illecta proles facilè â vitiis ablactabitur. Contra ſi tenella animula nil, quod dulce ſugat, inter domeſticos lares invenit, prodigium ſit, ni quandoque limites egreſſa paternas extranea, eáque nimium noxia bellaria abſumat. Certè myſterium hoc clarè revelant cantica verbis iis. *Soror noſtra parva eſt, & ubera non habet, quid faciemus ei? ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum tabnrnacula argentea.* c. 8. 8. Mirabile ſanè, quid tantis opus, vel ut infantula inter parietes domeſticos contineatur? an neque murus ſufficiat? non herclè & antemurali indiget, ut domi contineatur, propugnaculis & excubiis opus habet, quæ nil habet apud ſuos dulcoris. cùm interim ab extraneis largè propinatur lac perditionis.

Inſurgunt haud dubiè hinc inde ne- 16.
quam rebelles, quorum pervicacia rigore legum compeſcenda, id tamen etiam innegabile, morbo huic non eſſe illam optimam medelam, quæ plurimum exhaurit ſanguinis, ſed illam, quæ dum humores nobiles ſervat, peccantes eliminat, quod herbis corrigi poteſt ſanitatis vitium, infeliciter ferro curatur. Medicatoriæ artis inſcitiam nil magìs probat, ac de-

desperata remedia. Hinc Senecca: *mali Medici est desperare, ne curet.* L. 1. de Clem. c. 16. Non illicò circumspiciendum de cultro, nisi ut rescindatur, quod ampliùs impunè retineri nequit, quis unquam Parentum exhæreditavit filium prima vice in se injurium? quis sibi pedem aliquando præscidit, nisi ubi damnum majus immineret eo conservato, quàm perdito? Etiam citatrices occurrunt, quêis erubescas, non glorieris. Multa supplicia Principi tam parum decora, ac repetita Medico funera, nullius subditi tam despicabilis conditio, quin perditio ejus dolenda. Licèt enim modica sit, pars tamen aliqua corporis censetur, cujus superior caput est. Exclamat Deus: *Heu consolabor super hostibus meis & vindicabor de inimicis meis!* Is. 1. 24. Ut quid suspiria hæc mi Deus, ubi soli adversarii tui, quos dicis plectendos? sed hoc ipsum est, quod viscera misericordiæ Dei sauciat in improbos à rigore justitiæ excussum fulmen. Bonum sanè Deum, bonum Regem! qui in nullius etiam sibi infensissimi lætatur perditione! quàm parùm amat ferire, cui tantùm dolet, si quem cernat perire! clarum est, quando minæ sufficiunt, rectè abstineri suppliciis. Dii, ùt poëta cecinit multas culpas metu supplicii repressêre, pauca ipso supplicio.

Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coërcet.
Et jacit invitâ fulmina rara manu. Ovid.

Scribat coacta æquitas in papyro 17.
sententiam, sed non deleat ex corde amorem. Titus Arius Seneca teste L. 1. de Clem. c. 1. condemnare filium potuit, paricidii intentati convictum, abhorrere non potuit; ut suo capiti consuleret extorrem filium voluit, non quod alii suadebant, capite minutum: à suis oculis removit; non à præcordiis; exuli enim ùt antea de necessariis paternè providit. Hac ratione non est relictus dubio locus, quin justè ille damnatus sit, quem pater damnavit, nec tamen odit, additque Seneca c. 16. *Morbis medetur medicus, non irascitur:* vel si quid irarum effundit, in morbos effundit, non in ægros, istos eò blandiùs habet, quò mitiùs in illos furit. Quot in Deo indignationis causæ Sodomorum nefandæ libidines! & patienter tamen audit omnino septies adductas, & quidem eodem argumento in favorem ingratæ urbis Abrahami rationes, ùt testatur Genes. c. 18. aliàs itidem populi murmure gravissimè læsus à Moyse irascendi velut licentiam petit. *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* Exod. 32. 10. En quàm procul Dominus abest ab infligenda reis pœna, qui etiam à servo impediri se sinit in concipienda ira! Proxima est venia injuriæ, quando offensus vindictæ modum tractare incipit cum offendente.

Tempus dandum iræ, ubi enim hæc 18.
ardet, non illuminat, sed comburit. Romani teste Plutarcho avium capturi auguria lampadem accensam locabant sub

ſub dio ut colligerent ex ipſo lumine flatum venti, ac inde de volucrum captura ferrent judicium, actum putabant de divinationibus, ubi turbidior aura lucem omnino reſtingueret. Sic infert ille: *Cùm iræ turbo perflat, rationis lucerna extinquitur, nec quid certi ſtatui poteſt.* Hinc iidem Romulides juſſêre colligatos faſces præferri Conſulibus, ne licet vellent, repentè poſſent ferire. Non ſemper nudandus enſis nec manus armanda flagello, ne in furore iræ momentô facias, quod æternùm poſteà infectum velles. Citò iraſcentis animi merces perditio, ùt docet Eccleſiaſtes c. 2. 28. dicens: *Iracundia animoſitatis, ſubverſio illius eſt.* Apes nunquam feriunt, niſi iratæ. Sed dum vindicant injuriam, unà amittunt vitam, *non enim figunt aculeum ſinè avulſione viſcerum.* ùt Ariſtot. ſcribit L. 9. Hiſt. c. 4. Incenſum lignum, dum urit, etiam comburitur. Proin David: *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Iſ. 117. 2. Alii legunt, *exarſerunt, ut extinquerentur.* Id aliquando Regius Pſaltes de ſe ipſo faſſus eſt, dum dixit: *Turbatus eſt â furore oculus meus.* Pſ. 30. 8. quem locum Cajetanus vertit: *tineavit ab ira.* Primum furoris malum turbatio rationis, & oculi caligo. Alterum ipſa furentis pernicies. Nam ſicut tinea veſtem deſtruit, quæ ipſam concepit, ita furor hominem, ex quo ortum traxit. Ne Cœlo inſereretur Magnus Alexander, ùt notat Valerius Maximus L. 9. c. 3. ſola obſtitit iracundia, cujus præcipiti impetu Lyſimachus Leonibus objectus, Clytus lanceâ transfoſſus, & Calliſthenes morti datus. Hæc fuit æterna tanti Principis infamia, quam nec potuerunt delere tot facta heroica, nec inaurare tam inſignes victoriæ, ùt infert Seneca L. 6. Natural. qq. c. 23.

Queſtus olim Deus de Moſe & Aa- 19.
rone, quòd virgâ inſtructi efficere voluerint repetitis ictibus, ùt multorum fert mos, quod obtinere poterant ſolis vocibus. Præceperat nempe Dominus, ut vocem darent. *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Num. 20. 8. Sed illi haud contenti verbis etiam verbera addunt, eáque geminata. *Percutiens virga bis ſilicem V.* 11. Mulctari meruit inconſultus rigor, & quidem mortis pœna, utrique enim illicò dictum: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*, uterque ante ingreſſum mortuus. Ubi ſufficit correctio, quid additur caſtigatio? quod verbo emendari poteſt, quare verberibus in melius mutetur? ſi admonitio, & minæ totum poſſunt, ad quid ſervient flagra, & vulnera? Imò correptio omnis etiam ſolo ore ſuſcepta, quò ſit magis proficua, ſuavitate condiatur. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem.* Prov. 25. 12. talis ſit correctio, aureum quid, non tamen ut gravet, ſed ſolùm ut ornet, gemma ſit feriens ſplendore oculos, non vulnere pupillam honoris. Non ſit admonitio ùt amicorum Job tunc quoque gravium, quando ſublevatum

venerant

venerant Patriarchæ onus. Ut ipſe queritur dicens: *Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis.* Job. 16. 2. Herinacius etiam cùm vult blandiri, pungit, quod hîc eſt naturæ, in multis evadit linguæ vitium. Nunquam poſſunt lambere, quin unà mordeant. Contrà Dominus noſter, qui dulcis eſt, etiam cum propinat correctionis abſinthium: *Inebriavit me abſinthio.* Thren. 3. 15. in eo ipſo gratum poculum miſcuit, nam teſte Plinio L. 27. c. 7. *abſinthii radix dulciſſima eſt*, & ùt notat Aretas in c. 8. Apocalyp. 1. oculis viſûs aciem roborat. Proin è dulci corde manet admonitio, eàque amoris, ac benevolentiæ ſignis condita, omnibus ſuavis aecidet, ac propterea lumen rationis intendet. Quamvis ſui delicti convictum blandè jubet excipi gentium Apoſtolus. *Et ſi præoccupatus fuerit homo, vos qui ſpirituales eſtis hujusmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Gal. 6. v. 1. Mandat quidem Deus prophetæ ſuo, ut frontem æneam iis oſtendat, qui geſtant ferream: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Ezech. c. 3. 8. ſed iis, qui laborant duritie cordis idem Deus minimè opponendum cenſuit cor durum, uti enim dixerat, *domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde.* Ib. v. 7. fronti illicò oppoſuit frontem, non autem cor cordi. Imò antequam ad hos duros corde mitteretur Ezechiel, juſſus eſt comedere volumen mellifluum, quo aliena vitia corrigentis os & cor dulceſceret. *Et comedi, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Ib. v. 3. Eſtque notatu dignum, quod dein ſubjungitur, *ut adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam.* v. 9. ſit enim durſſimum quid adamas, pretioſum tamen eſt, lucidum eſt ac amabile. Silex verò præterea ignes evibrat, quò ſanentur non abſumantur correctionis vulnera. *Corripere* námque idem ſonat, ac *cor rapere.* Manſuetudinis Sibilo oves ſuas congregandas eſſe nunciat. *Sibilabo eis, & congregabo illos.* Zachar. 10. 8. *Quia redemi eos.* Pretium ſiquidem ſunt proprii ſanguinis, & filii amoris. Quando ſibilus proficit, fruſtrà impenditur lapis, aut baculus, imò ovibus hæc magìs nocent, qùam ipſa noxia pabula. Monet Timotheum Paulus: *Argue, obſecra, increpa*, 2. Timoth. 4. 5. ſed hæc fieri jubet *in omni patientia.* Increpationi præmittendæ preces amoris indices, ne ſcilicet peccetur in modo, quod rectè geritur in arguendo; in hiſce inſuper, quò ritè fiant, præſcribitur ſolicitus labor, patrem arguentem decens: *Tu verò vigila, in omnibus labora.* Ibid.

Denique obſervat Seneca, ab artis medicæ peritis nunquam exhiberi pharmaca creſcente, ſed decreſcente febrili æſtu. Meritò autem *ex ore ſatui reprobatur parabola, non enim illam dicit in tempore ſuo.* Eccleſ. 20. 22. Non illicò Deus corripuit Davidem adulterii, & homicidii reum, ſed oblata poſt occaſione Nathanum miſit, qui delinquentem ad pœnitentiam reduceret: ſic nec Jacob filiis Simeoni, 20.

&

& Levi exprobrat jus gentium in Sichimitis enormiter læsum, dum abrepti vindictæ furore cum Principe subditos in ore gladii absumunt. Contentus Patriarcha suum iis indicâsse dolorem, nil præterea movet, at cùm jam morti subin propinquaret, tantum facinus hoc fulmine mulctat: *Simeon & Levi fratres vasa iniquitatis bellantia.* Gen. 49. 15. Furenti oceano loqui, idem est, ac verba vento spargere, iræ impotentem velle reprimere nunquam proficuum, non rarò etiam noxium. Matres dicit Plutarchus, dum filios periculo lapsûs vident proximos, illis dulcè acclamant, ubi salvi emerserint, etiam cœdunt. Totum circumquaque Justitiæ Divinæ tribunal Misericordiæ, & pietatis arcus coronat: *Iris erat in circuitu sedis.* Apoc. 4. 3. Tutiùs manu poma carpimus, quàm ferro, vel baculo, qua pendent arbore, violentè decutimus.

Idea III.

Rigor temperandus Suavitate.

21. OMnia habent Cœli, omnia etiam dant, jam soles, dein pluvias. Aquis telluri opus est, quæ humectent, non minùs solaribus radiis, qui rursus humorem exsiccent. Hæc providentia æterni Patris, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super justos & injustos.* Matth. 5. 45. Non semper ridet Phœbus impio, nec jugiter in pluvias Olympus solvitur justo: pro omnibus cœlum suppeditat omnia, pro omnibus panem, & grandinem: solem dat, ut calefaciat, aquam quò refrigeret, lucem ut exhilaret, nimbos, qui affligant, si unus sol occuparet omnia, arderet tellus, si solæ pluviæ, diluvio periret. Temperet ergo æstum frigus, & rigorem suavitas. Ligamen neque sit instar gossipii molle, ne illicò rumpatur, neque duritiem habeat æris, ne complicari se ullatenus permittat sapientia, quæ in Jericho, seu hoc mundo regnat, neque est merus flos, neque mera spina, *sed quasi plantatio rosæ.* Eccles. 24. 18. suavis ùt rosa, aspera ùt spina. Delectet quia florida, reverentialem metum ingerat, quia horrida. Tantùm ex una parte blanda, quantùm ex altera torva, rosetum sit integrum, & spinis venerationem, & rosis eliciens amorem. Talem dilectum suum invenit sponsa, cùm modò experiretur amarum velut myrrham, aliàs dulcem, ut uvæ racemum. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cant. 1. 13. & 14. Pulcherrima

mulierum, si myrrha est sponsus tuus, quomodo botrum vocas? si amarus, qui dulcis audiat palato? utrumque est, reponis, sed ita novit amarum miscere dulci, ne dulcoris saturitas omnem tollat orexin, néve stomachum moveat acerbitas amaroris. Vitis nec tota debet esse acerba, neque etiam nectarea penitus. *Homo erat Pater familias, qui plantavit vineam*, talem scilicet, quæ & acres, & dulces uvas proferret. Deus suos in hac vita eo modô solatur, quem David expressit, *virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ps. 22. 3. nempe solatiis adduntur virgæ, & gaudia excipiunt luctus. Tale est sceptrum regium, quod justè timeas, & revereâre, ac simul in eo velut baculo quiescas, & securitatem tibi spondeas. Sic regalis quoque diadematis potissimum decus radii sunt in orbem dispositi. Quantùm hi splendore alliciunt, tantùm acie sua terrent. Etiam verba illa Psalmi secundi plena rigoris *Reges eos in virga ferrea*, v. 9. ùt notat D. Hieronymus haud carent dulcedine, nam ita ipse vertit: *Pasces eos in virga ferrea*, non habes, quòd nimis timeas ferrum, si in hoc etiam porrigitur pabulum. Refert Herodotus L. 1. morem eum viguisse inter Babylonios, ut Reges eorum virgam potestatis insigne terrent pomo instructam, si quem illa contingeret, uberem fructum ille referret, & paratam in quovis ictu escam. Monet Ecclesiastes: *Sustine sustentationes Dei.* c. 2. 3. quasi diceret, quantùm à Deo patienter sustines, tantùm ab illo sustentaris: utrumque Dei manu dignum munus, tam baculus, quàm panis. In virga Aaronis prodigiosa rigor erat junctus suavitati. Talem elegit Deus, è qua flores & fructus unà germinarent. *Invenit germinâsse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis exuperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Num. 17. 8.

Magnus ille cœlestis minister, quem 22.
in Apocalypsi vidit Joannes, caput ostentabat & capillos lanæ, ac nivis instar nitentes: *Caput autem ejus, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* c. 1. 14. In summo Judice, qualis is erat super insignes 7. Ecclesiæ Principes, optimè quadrant candidæ mentis sensa per caput & capillitium album denotata, ne scilicet judicium supplantet malitia, & æquitatem pervertat sequior intentio. Sed quî congruunt inter se lanæ, & nivis candor? ille calefacit, hæc refrigerat. Hoc ipsum est, quod Judicem utraque ista deceat albedo, sic quod una nimio gelu constringit, altera calore apto dissolvet. Insuper manu ferebat stellas favorum symbola, ore verò gladium Astrææ insigne. *Et habebat in dextera sua stellas septem, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* ibid. v. 16. Præterea vultus ejus quasi Phœbi totus amabilis, & *facies ejus sicut sol*, sed oculi terrificum quid spirant, quoniam corruscationes evibrant *tanquam flamma ignis.* v. 14. Ne tamen totus sit lux & ignis, cordis ardorem temperat velut aqua sonitus

oris.

oris. *Et vox illius tanquam vox aquarum.* v. 15. Alter itidem Angelus quem vidit Joannes, Dei vivi minister, facie solem ferebat, sed nube condebat aspectum. Vidit nempe *amictum nube, & facies ejus erat ùt sol.* Apoc. 10. 1, Jungitur Phœbus nubi. Ne scilicet oculi aciem hebetaret merum solis jubar, aut nimias offunderet tenebras sola nubis fuscedo. Lætificet ille delibutis vapore radiis, terreat ista telis fœta fulmineis, quòd si tempora coronet pacis Iride, vindicibus flammis vestiat pedes. *Et Iris in capite ejus .., & pedes ejus ùt columna ignis.* ibid. Nempe in supremi Judicis throno nec pietatem ac clementiam omnia, nec omnia terrorem spirant. Inde quidem *procedebant fulgura* & voces, & tonitrua: attamen *Iris erat in circuitu sedis.* Apoc. 4. 5. Etiam glorioſæ Christi anastasis paranymphus Aliger terræ motibus mulierum animos terret, & simul earum oculos recreat splendido aspectu, ac candido vestium habitu. *Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini .. aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix.* Matt. 28. 2. & 3. adeò ut timoris causa fuerit gaudium, gaudii verò timor, subjungente S. textu: *exierunt cum timore, & gaudio magno.* v. 8.

23. Cùm gloria Dei apparet super terram, jungi debuit æquitati clementia, & pax justitiæ. *Ut inhabitet gloria in terra nostra misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt.* Ps. 84. 10. & 11. sic glorioſa in terris lucet justitia quando arcto stringit nexu misericordiam: ita omnis tellus gloriâ repletur, si æquitas armet Clementiam hæcque illius rigorem attemperet. Quam Deus in paradisi medio sua manu plantavit arborem, lignum erat *scientiæ boni & mali.* Gen. 2. 9. ut scilicet felices horti incolas doceret reprobare malum, eligere bonum. In frondium virgis intentabat metum, in fructuum ubertate delicias, ut quos hi nimiùm attraherent, illæ incautos cöercerent. Erravit Eva sectando solùm delectabile, & nil metuendo, quod poterat esse noxium. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile, & tulit.* Gen. 3. 6. malesuada obtutum figit in pulchritudine, unicè quærit dulcedinem, gustat in vetito fructu paululùm melis, & ecce moritur. Ecclesiæ suæ Ministros lucem nuncupavit Servator: *Vos estis lux.* Matt. 14. lux nempe, quæ illuminat simul, & recreat. Idem tamen addidit, *vos estis sal terræ*, nimirum id quod acrimoniâ mordet. Timotheo suo, ut bonum in eo præsulem daret, præscribit Paulus: *argue, obsecra, increpa.* 2. ad Timoth. 4 5. corrigeret, ùt prælatus, rogaret, út amicus, increparet, ùt pater. Miscenda dulcedo reprehensionis amaritiei, & ubi solus oculi annutus valet corrigere, ùt in Petro factum, *respexit Dominus Petrum*, neque opus est attollere vocem, aut aliud quid asperitatis inspergere: ubi autem benignitas non sufficit, utrumque

que miſcendum, oleum nempe, & vinum exemplo Samaritani, *qui alligavit vulnera ejus* (nempe â latronibus ſauciati) *infundens oleum, & vinum.* Luc. 10. 34. Oleum quod plagam humectet, dulcorétque, vinum quod exſiccet, & mordeat. Hinc Baptiſta magnum illud mundi lumen haud contentus lucere, etiam ardere voluit; *erat lucerna ardens, & lucens.* Joan. 5. 35. Et Chriſtus miſſurus ſuos, ut accenderent omnia mandatum iis dedit: *& lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. 35. In luce habemus pulchritudinem attrahentem: in ardore ingeritur metus combuſtionis.

24. In monte Thabor oppoſita occurrunt inter ſe poſita, luces & nubes: ſoles, & nives: timores & gloriæ, rigores, & blandimenta. En in vultu Jeſu luces, & ſoles! in veſtibus ejus nubes ac nives! Zelum in Elia, manſuetudinem in Moyſe, gloriam in transfiguratione, metum in diſcipulis! ùt videre eſt Matt. 17. â verſu 2. usque ad 6. Prophetia ea, *egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Iſ. 11. 1. de Servatore dicta eſt *virga* nuncupatur, ut terreat, *flos*, quò alliciat. ſi Apoc. 5. 5. *vicit Leo* ibidem v. 12. *dignus eſt agnus accipere virtutem. Leo* nuncupatur, ut fortitudine ſua ſternat refractarios, *Agnus* ut manſuetudine alliciat meticuloſos. Leoninum quid, & humanum ſpirant animalia. exedo gloriæ Altiſſimi apud Ezechielem juncta. Quod ibi leonis cernitur, figura apparet hominis, quod verò eſt homo, ſimile quid habet leonis. *Similitudo autem, vultus eorum facies hominis.* Ezech. 1. 10. Leo ſit, convenit, qui accurrit ſpolia detrahere ſtygio hoſti, ſed homo appareat, qui venit ſalvare hominem Idcircò teſte Apoſtolo *Humanitas apparuit Salvatoris noſtri.* ad Tit. 3. 5. Ipſa crux Chriſti non ſolos fert ignominiæ titulos, habet etiam honoris, & quidem regii, ſi coronas monſtrat ſpineas, flores etiam profert in nomine Nazareni. *Scripſit autem & titulum Jeſus Nazarenus Rex.* Joan. 19. 19.

Cùm Deus peccantem Adamum in jus vocaret, ac reum convictum mulctaret, ſententiæ rigorem blanditie temperat, & ſi eum pro merito plectit, non tamen omnino relinquit nudum, nam *fecit Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Gen. 3. 21. & hac benigna agendi ratione verè ſe probat Deum, atque etiam Dominum. *Dominus Deus.* Hic ipſe Dominus qui venit ùt Leo ad redimendum è diuturna captivitate mundum, etiam idcirco agnus fieri voluit, ut coram tondente ſe obmuteſceret. Iſa. 53. 7. & ſic lanam præberet, qua hominis ad incitas redacti nuditatem operiret. En majora adhuc inter rigores hujus Leonis de Tribu Juda Clementiæ indicia. Juſto Servatoris Imperio ſtatione ſua cedere cogebatur blasphemi Luciferi arrogantia. Devota huic duci peſſimo dæmonum legio, licèt omnes Dei vindicis commerita iras, aliquem adhuc 25.

huc ſperat locum pietati, rogátque Chriſtum, *ſi ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum, & ait illis, ite.* Matth. 8. 31. Ecce manſuetiſſimi Domini clementiam, maledictos illos non remittentis in ignem æternum, ſed ire permittentis, quò ipſi petunt! Ecce bonitatem, quæ etiam tantæ majeſtatis læſæ reis, ac convictis non quidem veniam, cujus ob pertinaciam, ſunt incapaces, ſed tamen aliquam confert gratiam. Oſtendere nempe voluit, quod rigor omnis effundi debeat in offenſam, relicta adhuc offenſori aliqua benignitatis ſpe. Puniatur ergo culpa, ſed reo non negetur, quod in ipſo capit miſericordia: ſatisfiat juſtitiæ, ita tamen, ut locus etiam quantum fieri poteſt, detur clementiæ, & ſeveritas appareat ubique in mititate. Id conſecuta eſt ſponſa canticorum, cùm inter animi deliquia, & cordis angores ad lævam Dilecti, alleviari ſe vidit, & amatis amplexibus ſtringi â dextra ejusdem. *læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. 6. ſiniſtra Numinis manus pœnas immittit, & cruces, dextera ſolatia, & delicias, per utrasque incedunt animæ juſtæ, nam Deus juſtus Judex ad ſuos ſanctiſſimos fines, & illis & iſtis utitur.

Idea IV.

Mali plectantur, munerando bonos.

26. ECce hîc grandem aliam politicam Prudentiæ itidem filiam atque etiam manſuetudinis genuinum partum, nocere malis, ut proſis bonis, horúmque præmia vertas in illorum ſupplicia. Sermone ad turbas habito laſſatus Servator è monte deſcendit, & inde Capharnaum ingreditur. Occurrunt venienti â centurione miſſi, ſubin centurio ipſe rogans, dignaretur famulum ſuum ægrum ſanare, promptum ſe petitioni offert Dominus, petítque ad ægriturientem perduci. Hîc centurio ſuam indignitatem cauſatus, negat, opus eſſe ingreſſu in domum ſuam, unicum ſufficere Divini Magiſtri verbum, quò etiam abſens ægrotus ſanetur. Miratur Jeſus hominis militaris fiduciam, converſúsque ad eos, qui ſe ſequebantur teſte Evangeliſta novam parat Concionem, atque his eos verbis alloquitur: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matth. 8. 10. Quid hoc Magiſter Cœleſtis! adhuc reſponſum debes libello ſupplici centurionis, & tu ad illos deflectis ſermonem, qui de re nulla te interpellant? ſi modicam eorum averſaris credulitatem, prout oportet, mulcta ſubin illam, modò æquitas videtur poſcere, ut tantam centurionis fidem congruo digneris

præmio. Utrique satisfacio reponit Servator, dicto meo: Fidem laudo heri pro servo deprecantis, & simul plecto incredulitatem turbarum me insequentium, prioris encomium cedet in posteriorum vituperium. In suprema Judicii die præmium bonorum præcedet pœnam malorum. *Dicet Rex his, qui â dextris ejus erunt venite benedicti.* Matth. 25. 34. subin *dicet & eis, qui â sinistris erunt, discedite â me.* v. 41. Nimirum sic reprobos jam torquebit invidiæ ignis audita felicitate justorum, antequam avernali urantur, lata postea primùm Judicis sententiâ in flagitia impiorum. Hic curiæ cœlestis stylus est, occinit Maria: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. 1. v. 53. Pauperes scilicet, & famelicos virtute omnigena replevit, superbos manibus vacuis abire permisit. Ita justo Dei judicio magis humiliantur inflati, dum in istorum oculis altius eriguntur despecti, sic etiam in cœna illa magna, dum illi qui venerant lautissimè habentur, cæteri qui venire recusârant, acerbiùs puniuntur. *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam.* Luc. 14 24. unos benignè assumere, alteros quantumvis intrare appetant, truci vultu repellere, infelicium horum erit intolerabile supplicium. Cain in eo primùm deliquit, quòd è terræ fructibus meliora sibi, deteriora reservârit sacrificio, cùm Abel ex primo-genitis suarum pecudum holocaustis pinguiora, & optima destinaret. Hujus liberalitatem, & alterius sorditiem sic acceptat Deus, ut in illam respiciat, ab hac oculos avertat. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* Gen. 4. 4 & 5. gravius quid Caini videtur meruisse delictum, quàm primo intuitu appareat fuisse irrogatum. Sed si res bene perpendatur, gravissimum erat supplicium, non respexisse Deum ad munera Cain, dum benigno oculo Abelis oblata dignatur. Hinc de illo fratrum alter plurimùm doluit. *Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* v. 5. quænam tanti furoris, ac doloris causa? de quo conqueri audes? quid mali denique tibi accidit Cain? malum sanè maximum reponis unum hoc, oculus Dei â me & rebus meis penitus aversus, unicéque conversus ad fratrem & rem ejus. Multùm peccaverat Heli noxiâ in filiorum nequam indulgentia. En qua noxam pœnâ mulctat Divina Nemesis. *Videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israël.* 1 Reg. 2. v. 32. nimirum in servi mei Samuelis felici regimine tabescent invidiâ oculi tui, gaudium ejus erit luctus tuus, & ad tantæ lucis splendorem, tu iracundi ignis ardore consumêris. Pertinaciæ Luciferianæ maximus infernus est Divinæ misericordiæ excessus, hominibus impensus, & divitis avari sævissimus dolor, pauperis Lazari in sinu Abrahæ leniissimus sopor. Dum Satanas humanam naturam videt ad latus dextrum illius solii locatam, quod

quod ille parabat ſcandere, ſimilem ſe reputans Altiſſimo, invidiâ totus rumpitur, dum Epulo indicibilem Lazari, & felicitatem & gloriam ſuis cogitur haurire oculis, tum primùm petit ſuis miſeriis levamen, ſitis ardori frigidam. *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. 24. ſed cur non petit ſibi permitti aditum ad aquas, ubi non ſolùm refrigerare unica guttâ linguam, ſed liberali potu æſtum levare valeat, imò cur has quoque ad Abrahamum infelix preces fundit? *Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei.* ibid. v. 27. nempe oſtendere voluit magis ſe invidiâ torqueri, quàm ſtygiæ flammæ tormentis, & præ omnibus aquis ſitire Lazari ſaltem ad tempus ejectionem è ſinu Abrahæ quiete ſua, inquiebat, depellatur Lazarus, & ego â maximo cruciatu tantisper quieſcam, non jugiter mei oculi eum intueantur in eſſedo gloriæ, & mitiùs ego feram ſquallida inferni ditis ergaſtula. *Mitte Lazarum, mitte.*

27. Iſrael diligebat Joſeph præ omnibus filiis ſuis, ſed tunicâ illa polymita non ante donavit amatam prolem, quàm id ſingularia ejus merita peterent, ùt ùt tenerius â patre diligeretur Joſeph communia tamen reliquis fratribus amoris paterni referebat ſigna, quamprimùm demeritis ſuis Germani cæteri auxêre Joſephinæ virtutis meritum, multicoloris veſtis præmia illicò ſequuntur. Accidit, ut crimine peſſimo macularent ſe Jacobi filii uno excepto Joſepho, hic non particeps, ſed conſcius ſceleris Patrem monet. Non videtur dicto abnuiſſe fidem Jacob, nil tamen ſceleſtis ſupplicii, vel animadverſionis intentatum ſacræ paginæ recenſent. Poſſibiléne in tanti Patriarchæ domo abire impunitum tam enorme delictum? ſiccine tam gravè peccantes ne quidem verbulo filios corripiet ſanctiſſimus Parens? ſi ita fit in aliorum quandoque laribus, non ita fuit in Jacobinis, hîc re vera debita mulctatum pœna commiſſum crimen. Major enim fuit, ac ſi irrogatæ fuiſſent virgæ, flagra, carceres, & exilia? pœna hæc erat. *Diligebat Jacob Joſeph plùs quàm omnes, fecítque ei tunicam polymitam.* Gen. 27. 3. nimirum malos punivit apertè oſtendendo, quòd probum amaret, in laſcivos animadvertit, dum merita laude caſtimoniam Joſephi donavit. In innocui liberali præmio noxiorum apparuit acerbum ſupplicium. Tunica illa multicolor exhibita fratrum nimio præcordia æſtu invidiæ exuſſit, & tot excuſſit ex eorum vultibus ruboris faces, quot veſtis ea diſtinguebatur Phrygiæ manus ductibus. Vix non cenſerem ſuperſedendum carceribus, ſi ſtabiliter parata ſuppeterent innocentiæ, quæ decernerentur præmia. Culter hic foret aureus, qui vitia apprimè reſecaret, dignus & Regis & Patris, quod noxium eſt, amputantis manu. Culter, qui aliis haud indigeret juſtitiæ miniſtris, culter, cujus aciei nil invium ſic facili brachio

ſuscipi

ſuſcipi poſſet reformatio Domus, familiæ, palatii, Regni, quin jure quis conquereretur de tam blandæ juſtitiæ vindicativæ proceſſu. Rarò medium occurret efficacius ſceleribus tollendis, ne latiùs ſerpant quàm remedium iſtud aureum. Arbitraria erat exlegis Eſau vivendi ratio, neque enim inveniebatur, qui impunè omnia agentem comprimeret. Nam Iſaac Pater & Senex & cæcus vel neſciebat filii crimina, vel ſi ſciret eò impotentiæ redactus non poterat corripere. Rebecca Mater, vel quia viſcera habebat Matris non volebat, vel quia ſexus imbellis non prævalebat contra puberes, eósque qualis erat Eſau, indomitos, non audebat malo afferre medicinam. Homo ergo iſte moribus, quàm pilis horridior omni ſolutus patria poteſtate magno doloris Iſaaci & Rebeccæ ſenſu geminas Cananæas, id eſt alienigenas, quod erat lege vetitum in domo Abrahæ, pro ſua lubidine ducit uxores. Quid faceret hîc Iſaac? quî filii licentiam comprimeret, quas corporis infirmitas negabat, ſenii prudentia, vires ſuppeditavit. Mille ſuper Jacob filium ſuum alterum benedictiones effundit, quòd parentum obtemperans Conſilio Sponſas ſibi delegerit ex Labani familia, eâdem, qua ipſe ſtirpe prognatus. Vidit id Eſau, & in ſe ipſum reverſus ita discurrerit. En quæ manent benedictiones pro illis, qui genitorum dicto auſcultant! qui matrimonia cum Cananæis non contrahunt! qui uxores accipiunt ex propria cognatione! ibo ergò & ego, ut in me quoque veniat benedictio iſta: Iſmaëlis filiam mihi ſanguine junctam matrimonii vinculis arctiùs mihi conjungam. *Videns autem Eſau, quòd benedixiſſet Pater ejus Jacob ... ivit ad Iſmaelem, & duxit uxorem.* Gen. 28. 6. & 9. Benedicat itaque Pater filio bene ſe gerenti, & hoc uno emendabit filium malè viventem. Præmium decernatur virtuti & obedientiæ Jacobi, & quaſi certò emendata manebit Eſau pervicacia. In hoc habes myſterii plenum ramum aureum fabuloſæ Proſerpinæ, uno avulſo ſuccreſcebant mille alii pariter aurei. Dum vel unius heroici principis manus videbatur ferre hanc palmam, ſexcenti alii dignos capiebant Heröe Spiritus, ut & ipſi ſimilem mererentur. Ramos ante carpebant, velut virides lauros, cúmque in unicum intentos haberent oculos, qui felici metamorphoſi abierat in fulvum metallum, etiam ipſorum rami virorem vertêre in auri ſpeciem. Ecce unus in paradigma eligitur, & mille alii pulchro exemplo trahuntur!

Idea V.

Deus ſuorum injurias magìs vindicat, quàm ſuas.

28. QUis non miretur diverſam cum vineæ colonis Domini agendi methodum? Cædunt illi miſſum illuc Heri filium, ut devoluta ad ſe hæreditate diteſcant. In minis denique conſiſtit tota parricidii vindicta. *Malos malè perdet.* Matt. 22. 41. Is ipſe Dominus vix intellexerat, quod iidem ingrati agricolæ egêre, *cùm tenuerunt ſervos, & contumeliis affectos occiderunt.* ibid. v. 6. & en! aliam Domini ſuorum injuriam vindicandi rationem: *iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.* ibid. v. 7. primo loco dicitur, *perdet.* altero *perdidit.* ibi vocat *malos*, hîc *homicidas*, quando cæditur filius, nec tuguriolum exſcinditur; ubi ſternuntur ſervi, nec urbis murus excidio ſupereſt. nempe offenſa filii eſt propria Patris, ſervorum aliena reſpectu Domini. Illâ tangitur in ſe ipſo, iſtâ in ſuis. Deus autem, qui indicibili patientia ſuſtinet illatas ſibi injurias, inexplicabili rigore vindicat eas, quæ inferuntur aliis. Si videat ſuas cum templis ardere aras, vix efferveſcit; ſi verò temeraria manus pauperculi domunculæ ſubdit faces, illicò fulmina expedit, quæ in immite facinus vibret. Iſte fuit Divinæ curiæ ſtylus jam â Mundi primordio. In Deum peccat Cain, frugibus deterioribus ſacrificiô oblatis, & ſuæ ingluviei reſervatis melioribus. Peccat is ipſe in Abelem, furori ſuo fratrem immolando. Et en! delictum primum uno nictu oculi plectitur, *ad Cain autem & munera ejus non reſpexit* Gen. 4. 5. delictum alterum maledictionem trahit ad vitæ dies perennandam, ac denique mortem infert quàm maximè violentam, ídque primùm poſt transactam vitam omni morte duriorem. *Maledictus eris ſuper terram.* v. 15. Qui viderit Jeroboami Regis manum repentè arefactam, dum temeraria extenditur in Prophetam Domini, *& exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum.* 3. Reg. 13. 4 haud dubiè cenſebit mille fulminibus proſtrandum infame illud mancipium, quod in adorabilem Chriſti faciem auſum eſt ſceleſtam manum ſuam impingere. *Unus aſſiſtens Miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens: ſic reſpondes Pontifici?* Joan. 18 22 ſed non ſic cenſuit Deus, qui impactum ſibi â viliſſimo homuncione colaphum tulit patienter, & acriter in Rege plexit verbi ſui miniſtro intentatas minas. Jeſum toto ſuo vitæ tempore, & verbo, & facto inſectantur Judæi, & nec in minimo de enormi hac in-

gratitudine conqueritur. Perſequitur Saulus paucis diebus gregem Chriſti, & illicò gladio oris ſui velut fulmine humi ſternit Chriſticolarum perſecutorem. *Saule, Saule, quid me perſequeris.* Actor. 9 4

29 Sacrilegè deliquerat in deſerto populus, & Sacerdos, cultu idololatrico vitulum aureum devenerati, & Deus ad pauculas Iſraëlitici Ducis preces tantam ſui injuriam condonat. *Moyſes autem orabat Dominum; locutúsque eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Exod 31. 8. Murmurat ſubin idem miſmo, id eſt, populus contra Moyſen, & en! ita iraſciturDominus, ut ad internecionem omnes delere meditetur: *feriam eos peſtilentiâ, atque conſumam.* Num. 14. 12. Ingeminat rurſus preces Moyſes, & quidem præfervidas, & vix id impetrat, ut decretum in rea capita differatur ſupplicium. Bene eſt, fiat tibi ſicut vis, modô dimittam illis, nullus tamen eorum regionem ingredietur lacte & melle fluentem, ſed omnium oſſa hoc deſertô condentut. *Dimiſi juxta verbum tuum, attamen omnes homines, qui tentaverunt me, non videbunt terram.* ibid. Ecce hîc, quomodo Idololatriæ in Deum commiſſæ Sacrilegium impunè habebat ad Moyſis preces, & murmur contra ipſum Moſen excitatum in omnibus plectatur pœnâ mortis, licèt etiam præceſſerit deſicti venia. Videlicet ſcelus primum affecerat Deum, ſecundum Miniſtrum Dei. Impius Iſraëlis Rex Achab aras & templa Altiſſimi demoliitus erat, ut eo loco Baali ſtrueret; tanto hîc peccatum exceſſu, quanto nullus anteceſſorum illius Deum offenderat. *Irritans Dominum Deum Iſraël ſuper omnes Reges Iſraël, qui fuerant ante eum.* 3. Reg. 16. 34. Nec tamen ad facinus ſacrilegum ruit cœlum, nec terra hiat, nec avernus os diducit, quid dico avernus, nec Propheta linguam in minas ſolvit. Omnia eò recidunt, ut triennio non plueret, ídque etiam imperiô potiùs Zelotis Eliæ, quàm Dei voluntate. *Et dixit Elias, vivit Dominus: ſi erit annis his ros, & pluvia.* 3. Reg. 17. 1. Hoc non obſtante Achab ſceleſtus vivit, Achab regnat, Achab triumphat, Achab in fame tanta populi non ſolùm habet, quod rodat, ſed quod etiam lautitias ſapiat. Nam non deſunt, qui ſentiant, carnes & panes eſurienti Prophetæ â corvo promicondo allatas, fuiſſe ſpolia menſæ, vel culinæ regiæ. Tanta ſerenitate ſuas, eásque graviſſimas injurias ſpectat Deus. Idem Achab ſubin vineam Naboth rapit, & in vite ipſam vitam: jam adibat poſſeſſionem malè parti prædii. *Jam deſcendebat in vineam Naboth, ut poſſideret eam.* 3. Reg. 21. 18. Et en! ira Domini ſuper illum: mittitur ocyùs Elias in occurſum Achab, & ſine ambagibus denuntiat imminens ſupplicium. *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* v. 19. Occidiſti Naboth, & vineam tanto ſcelere partam uſurpâſti, hoc ipſo loco, quo innocuus effuſus ſanguis,

ſanguis, & noxius tuus fundetur ad reſtinguendam canum ſitim, qui depaſtis carnibus ipſa arrodent oſſa. Quid hoc Domine? peccatorum maximum Idololatriam impiiſſimus committit Achabus, nec verbulo ſceleſtum corripis, contentus ferias indixiſſe nubibus, ne aquam fundant? Cùm autem Naboth occiditur, pœna talionis haud ſufficit, non ſolùm mori debet Achab, ſed linito præterea canum linguis ejus ſanguine, ferarum evadit pabulum. Achab irreverens, profanus, ſacrilegus roris duntaxat cœleſtis beneficiô caret, & quia unum ex ſubditorum minimis præter fas, & æquum habet, moloſſorum dentibus totus abſumitur? Neque hîc Dei vindicta conſiſtit, nam & Uxor Jezabel ſceleris utriusque in Naboth commiſſi rea, pari lanienæ ſubjicitur, & maledictio, ad quartam progeniem juſtô Dei judiciô extenditur. Utique majus quid eſt Dei vivi templum, ac vinea Nabothica? utrumque tamen rapuit Achab; ſupremi Domini honor dubii procul vilis hominis vitæ quoque præferendus? in illum, & iſtam injurius fuit Rex impius, & tamen tantillô ſtat delictum majus, dum graviſſima pœna excipit peccatum minus. Nempe tam remiſſus Deus in ſuis, qui tam ſeverus vindex eſt in alienis plectendis injuriis.

30. Terrorem incutiunt Iſraëlis abominationes, capite 1. Iſaiæ calamo deſcriptæ. Hinc, *væ genti peccatrici* propheta occinit, Deus verò pœnitentiam. *Lavamini, diſcite benefacere.* Quid ergo facient, qui ad frugem redeant? Idola incendent, eorum aras ſubvertent, templa profanabunt falſarum Deitatum: ita ſanè, ſi velint pœnitere, ùt oportet. Hæc tamen non petit Deus, ne peccatores tam grandes arguat in virga furoris ſui. Quid ergo? *Quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam* v. 18. Iſta peccantibus & quidem tam graviter, præſcribit Deus, atque unà promittit. *ſi fuerint peccata veſtra ùt coccinum, quaſi nix dealbabuntur* ibid. Domine! an non vides totum iſtud in bonum redundare ipſorúmmet Iſraëlitarum? ubi autem inſtauratur honor tuus tam enormiter læſus? quando erigentur nomini tuo aræ in Idolorum gratiam olim deſtructæ? quo loco ſanctificantur templa tot ſacrilegiis undique profanata? ſcio equidem iſta, reponit Deus, ſed eorum jam non memini, cùm verſatur præ oculis juſtitia Iſraëlis vendita, conculcatus pauper, deſpecti orphani, omninò derelictæ viduæ. Ite, malum hoc tollite de medio veſtri, nec porrò timete, id ſi ſuſtuleritis, Dei vindicem manum; ſin minùs, etiam thura, & ſacrificia veſtra averſabor. *Nec offeratis ultra ſacrificium fruſtrà: incenſum abominatio eſt mihi:* v. 13. In eundem ſenſum locutus eſt Chriſtus, quando juſſit thuribulum relinquere ante aram, & ire priùs conciliari proximo ſuo. *Relinque ibi munus tuum ante altare, vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5. 24. magis enim

videtur sentire Deus, quòd cum proximo malè tibi conveniat, quàm secum ipso. Hujus gnarus David, non in Uriam, sed Deum se peccasse fatetur, *tibi soli peccavi* Ps. 50. 5. An fortè cultum Deo debitum in creaturas *transtulit*? an verò nomen Domini *blasphemavit* Propheta hic regius? non sanè. Ut quid ergo læsæ Divinæ Majestatis se reum dicit, dum longè minùs deliquerit cædendo Uriam? sciebat nimirum, faciliùs placandum Deum, si se noxæ in eum commissæ fateretur reum, quàm si proximo irrogâsse injuriam testaretur. Notatu itidem dignum est, quod de David in improperium Abiæ 3. Regum c. 15. 5. refertur. *Non declinavit ad dextram, nec ad sinistram excepto sermone Uriæ.* Nihilne aliud Domine peccatum â Davide? & quid inobedientia in censu populi? nempe peccati hujus, jam est oblitus Dominus, utpote in se solum commissi, id legitima patientia rursus deleri potuit, quod in Uriam patratum est nefas, saltem è Dei mente deleri non potuit. In supremo Judicio Christus Judex in Evangelio non dicitur exprobaturus ea, quæ contra honorem, & legem suam fuerint perperàm acta, sed quæ omissa sunt erga proximum in necessitate constitutum. *Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, mihi non feciſtis.* Matth. 25. 47. In hunc sensum, quò veniam impetraret certiùs, filius prodigus in unum Patrem se fatetur injurium, licèt & fratrem oppidò offenderit, *Pater! peccavi in Cœlum, & coram te.* Luc. 15. 18. Servus etiam ille, qui decem millia talenta hero suo sublegerat, tanti debiti indulgentiam unica impetrat sui furti confessione. *Misertus Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Matth. 18. 27. sed cùm idem servus postea immisericordem se exhibuisset conservo suo: *iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus* v. 34. O ineffabilem Dei misericordiam! Exclamat hîc Chrysostomus Hom. 27. in Genes. dum ipsa offenditur, ad primas preces illicò condonat debitum, sed si offendatur homo, illicò liberalitatem, & clementiam omnem revocat.

Fugiebat in Tharsis Jonas, ne 31.
verbum Domini Ninivitis nunciaret, prout jussus fuerat. Inobedientia Prophetæ urbi Ninive nil videtur intulisse mali, impeditiva tamen erat boni, quod in illam parabat misericors Dominus. Nihilominus qualicunque delicto gravis oppidò incumbit pœna, insurgunt venti, turbatut mare fluctibus, mergitur Jonas, obscuro carcere, aut potiùs sepulchro seu ventricosi piscis utero vivus conditur, & denique littori vel invitus exponitur, ut etiam ingratiis suis discat obedire, & cladem venturam indicere genti peccatrici. Exequitur mandatum Domini, discurrit per compita, subversionis minas undique terribili voce spargit, & en! civitas tota convertitur, quæ subverti debuerat Jonæ vaticiniô! eventu alio longè, quàm prædixerat, tristatus præco de ipso Deo incipit conqueri, factum suum appro-

approbare, quòd fugerit in Tharſis, tacitè ſuggillare Divinam juſtitiam, quæ paucis Ninivitarum lachrimis emolliri ſe ſineret, ne, uti decreverat, tanto ſcelerum pondere gravatam urbem demergeret. Quid agis Jona, ſiccine in Deum tuum inſurgis? ignoſcentis Clementiam arguis? & non times Juſtitiæ ejus irritatæ rigorem? Et verò temeritati ſuccenſet Deus, pœnam parat, ſed mitiorem longè, quàm antè, ubi aliquatenus in Niniven peccabat Jonas. *Et paravit Deus vermem, & percuſſit hederam, & exaruit.* Jon. 4. 7. neque pilus hîc tangitur non dicam capitis, ſed nec tunicæ hominis tam fœdè Dei iram laceſſentis. vermiculus ſolùm arrodit umbraculum hederaceum, ſub quo ſedebat Jonas, heríque natam exſiccat plantam. Gladius Juſtitiæ Divinæ unicus hîc eſt tineæ morſus, non pallium, ſed viride ac brevì periturum prophetæ Conopæum exedentis. At verò tergiverſatio eundi in Niniven incommodatura urbis incolis mulctatur Typhonum furiis, decumanis oceani fluctibus, navis præſentiſſimo naufragii periculo, Jonæ in maris profundum dejectione, ejúsque in ceti ventre triduanis moris. En hîc iterum, quàm longè mitiori manu Deus ſibi ac aliis irrogatas ulciſcatur offenſas!

32. In cujus aures inſonat terribilis ſententia contra Amalecitas â Deo lata, ſuſpicari occipiet, gentem illam Gigantæo auſu alteram molitam eſſe turrim Babel, vel rurſum ab iis profanata eſſe ſancta ſanctorum, arcam teſtamenti everſam, in ejus locum ſubſtitutô, Beelphegoris Idolô. Ut executioni mandaretur, teſte Samuele, â Domino in Regem Iſraëlis electus Saul. *miſit me Dominus, ut ungerem te in Regem.* 1. Reg. 15. 1. quaſi diceret: pro ſceptro, quod hodie porrigo, nec incenſa, nec aras â te peto, ſed Amaleci ſanguinem, & urbium, ac populorum internecinos fumos, & buſta. *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus: ne parcas ei, ſed interfice â viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem, & camelum, & aſinum.* ibid. Eja è veſtigio accingere gladio, irâ, & furore induere, Amalec totum, quantus eſt, ocyùs perde. Nullus fit nec minimus veniæ locus, omnes pereant in ore gladii, feri, macta, ſterne viros, mulieres, jumenta, omne quod vivit. Et quæ inauditi ſupplicii culpa? quæ tam exceſſivi rigoris cauſa? En illam. *Recenſui*, (inquit Dominus) *quæ fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cùm deſcenderet de Ægypto.* Ibid. v. 2. Ita nempe Nemeſis Divina vindicat mala ſuis illata, ut etiam vindictæ flammas per plura ſæcula nutriat, & patrum delicta in ſeris nepotibus plectat! Non tam lento pede ultio Dei inſecuta eſt Heliodorum, in flagranti corripuit ſceleſtum repoſitorum in templo theſaurorum expilatorem. Tam repetitis flagrorum ictibus tunditur miſer, ut jam in labiis anima hæreat, nî Oniæ preces obſtarent, omninò evolatura. Et hic

quidem erat plagarum modus! quænam autem genuina ſupplicii cauſa? an quod devotam victimis, & ſacrificiis pecuniam abſtulerit fur ſacrilegus? minimè gentium. Nam qui theſauros Regi manifeſtavit, unà addidit eſſe privatorum repoſita. *Communes copias immenſas eſſe, quæ non pertinent ad rationem ſacrificiorum.* 2. Machab. 3. n. 6. Credebat nimirum infelix, non offenſum iri Deum oblata pecuniâ ejus cultui minimè ſacrata: ſed deceptus eſt oppidò, cùm ob hoc ipſum certior, & acrior pœna exceperit delictum, in proximi unicè, non in Dei damnum redundans, Oniæ enim aſſerto, *depoſita eſſe hæc, & victualia viduarum, & pupillorum.* v. 10. abundè conſtabat, atque fieri non poſſe, ut in Divini judicii ſtatera vel obolus ejusmodi creditorum defraudetur impunè. *Decipi autem eos, qui credidiſſent ... omninò impoſſibile eſſe* v. 12. prout malo ſuo affatim expertus eſt impius hic Heliodorus.

§3. Silebit Deus, licet ſeptingentæ Reginæ cor Salomonis in Idololatriæ peccatum maximum inflectant, & exſecrandis ſuperſtitionibus Templi ſacra polluant, atque in urbem ſanctam Jeruſalem plura inducantur Idola, quàm fuerint Regis concubinæ; ſilebit cùm peſſimo huic exemplo etiam manus dabit Domus Achab Jezabelis ſeducta vafritie. Verùm enim verò ubi oculus Dei lucidior ſole viderit impietati ſuperaddi violentiam, & ſubditorum oppreſſionem, tunc non ſilebit, ſed loquens loquetur, & jubebit etiam regio ſanguine elui injuſtitiæ maculam. Tolerabit ſibi aris dejecto ſuffici viliſſima Aſtarthes & Molochi ſimulacra; unum verò ex minimis ſuis aliorum tyrannide oppreſſum, nunquam tolerabit. Proditionem impii Judæ ſtomacho immoto excipiet, non tamen, ſurda aure præteribit murmur in officioſam Magdalenæ pietatem concitatum. *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Matt. 26. 18. Phariſæi ſe prophetam in corde negantis perfidiam nec verbulo arguet; illicò tamen corripiet temerarium judicium, latum contra mulierem jam ad frugem reductam, quaſi adhuc in ſordium limo hæreret. *vides hanc mulierem.* Luc. 7. 44. Hanc hypocritæ oculis velut pœnitentiæ ſpeculum objiciet, ut ipſe grandis malitiæ ſuæ nævos perſpiciat, præter omne fas, quæ & qualis fœmina illa eſſet interiùs arguentis. Promiſerat Dominus mulctaturum ſe abſciſſione Regni Salomonis delicta in Roboamo filio. *Quia non cuſtodiſti pactum meum, dirumpens ſcindam Regnum tuum.* 3 Reg. 11. 11. Hoc tamen non obſtante Roboamo Regi illicò, prima ſcilicet die â demortuo ejus Patre, fidem Spondent ſubditi Hebræi, ſi paulò mitiùs ab illo haberentur, quàm â Salomone antea fuerant habiti: *Tu itaque imminue nunc de imperio Patris tui duriſſimo, & ſerviemus tibi.* 3. Reg. 12. 3. quòd autem ſubin 10. Tribus â Roboamo deficiant, unicè videtur Roboami pertinaciæ adſcribendum nolentis quidquam de graviſſimo jugo re-

remittere. Hîc jam oritur dubium, ſi Rex novus non perrexiſſet exemplo prædeceſſoris ſui opprimere Iſraëlitas, regnâſſetne ſuper totum Iſraël? factúmne eſſet, quod ipſi impleta conditione mitioris imperii adpromiſerant ad unum omnes: *ſerviemus tibi.* ſi ita, quomodo ſubſiſtet verbum Domini? *dirumpens ſcindam Regnum tuum.* Nodus diſſolvitur, ſi dicamus in ſponſionis Divinæ eſſentia hanc fuiſſe imbibitam conditionem: *ſcindam Regnum*, ubi perennabunt oppreſſiones populi, neutiquam ſciſſurus, ſi hæ fuerint ſublatæ. Oculos meos claudam ad injurias tot infamium Idolorum cultibus mihi irrogatas, & præſtolabar patiens, ut ſuos Salomon aperiat, quô tantum nefas defleat, ſed ſi pauperes ſubditi præterea opprimantur, videns videbo afflictionem eorum, nec ampliùs parcam. Hoc ſcilicet eſt pondus, quod Divinæ Nemeſis bilancem inclinat vel in pœnam, vel ad veniam. ſi fuerint etiam in Roboamo injuriæ illatæ pauperibus, in Deo erunt juſtitiæ earum vindicativæ. Idololatrias feret infinita Dei clementia, ùt ùt directè honori ſuo repugnantes, modò abſint miſerorum injuriæ, ſed has nullatenus feret, etiamſi ritus idololatrici omnes abfuerint, uti abfuiſſe videntur in Roboami Regimine, cùm nullos ſacra pagina referat.

Idea VI.

Dormire idem eſt, ac perire.

34. LAzari jam defuncti obitum Chriſto lubuit ſomnum nuncupare. *Lazarus amicus noſter dormit.* Joan. 11. 11. diſcipuli autem de hoc Magiſtri dicto lætati, videbantur ſibi non incongruè ita concludere: *Domine, ſi dormit, ſalvus erit.* v. 12. Ita multi cum diſcipulis ſentiunt modico ſcilicet rationis lumine iis affulgente; putant, ſe eò melius vivere, quò dormiunt profundiùs. In ſpeciem videbuntur hi bene ſentire, quia licèt eo, quo dormimus tempore, liberi arbitrii defectu nil poſſimus mereri, ex eodem tamen capite neque poſſumus demereri quidquam, neque eſt modicum quid in hujus vitæ miſeriis, ad tempus nil peccare, ſed revera malè ii ſentiunt: ſervi enim ſumus ſupremi Domini in hoc mundo omnes: ſervire autem, nemo ſanus dixerit, haud eſſe aliud, quàm nil agere nec boni, nec mali. Hinc ut dedoceret errorem Evangeliſta, mox advertit, de qua Servator loqueretur dormitione. *Dixerat autem Jeſus de morte ejus.* v. 13. Proin in ſcripturæ ſenſu *dormire* idem eſt ac *mori*, aut in corpore, prout omnibus hominibus Adæ filiis conſtitutum, aut in

anima,

anima, quæ, quotiescunque gravè peccaverit, morietur, uti in mille sacrarum paginarum locis patet. Qui autem moritur alterutro ex his modis, perire jure dicitur, proin dormire idem erit, ac perire. En! plura rei paradigmata! Dormiebat Holofernes, & quidem inter excubias exercitus integri de hostibus suis jam jam triumphantis, & dormiens moritur, obtruncatur imbellis mulieris brachio. Judith. 13. Dormiebat Sisara dulci lacte sopitus, cùm debilis Jaëlis manus adacto per tempora clavo eum affigit æternitati. Judic. 4. dormiebat Isbosethin ipso meridie, & paulò pòst noctis perennis tenebris se vidit obvolutum. 2. Reg. 4. Invictus diu stetit Samson, sed ubi dormire cæpit in sinu Dalilæ, vinctus est, & hostium suorum factus ludibrium Judic. 16. v. 19. Binis vicibus teste scriptura dormivit Rex David, semel cùm vitam posuit corporis. *Dormivit igitur David cum Patribus suis, & sepultus est.* 3. Reg. 2. 10. iterum, quando mortem animi incurrit adulterio violatâ Bersabee. *Dormivit cum ea.* 2. Reg. 11. 4. Istud nempe dormitionis lucrum, vel stipendium, mors corporis, aut animi. & *dormire* hoc non potiori jure nuncupabimus *perire?* Salomon nomine, & diu etiam re ipsa Salomon, scilicet sapientissimus hominum, denique & ipse dormiendo periit. nil profuêre dormienti sexaginta fortium lecto jugiter adstantium vigiliæ, quò minùs productiore hoc somno veternum contraheret vitiorum, quæ & Salomonis tantam sapientiam, & ipsum denique Salomonem perderent. Cant. 3. 7. & 3. Reg. 11. 1. Somni tendiculis vigiles insidias castimoniæ Josephi tendebat infamis lupa Putipharis uxor, identidem illibato juveni occinens: *dormi mecum.* Gen. 39. 7. & 77. non dicit ut videat, & pereat, ut peccet, & laqueum sibi perditionis inducat, sed solùm, ut dormiat: sed hoc ipsum est velle perire & peccare, cùm is vult dormire, cui obligatio vigilandi incumbit. Sic sensit & ipse Joseph, ac etiam perversæ suæ Dominæ exprobravit: *quomodo possum hoc malum facere in Dominum meum.* v. 9. Dormiente Jesu in navicula somnum haud dubiè mysterii plenum, illicò exsurgunt venti, ingruunt tempestates, inter fluctus jactatur carina, & vectores, si non pereunt, saltem se vident, ac timent proximo expositas pereundi periculo. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat... & Jusciaverunt eum dicentes, Domine salva nos, perimus.* Matth. 8. 24. & Luc. 8. 23. Idum fuit Jesum dormire, ac in discrimine pereundi navim versari, atque eo momento, ac somnum excutit Servator, etiam maris fit tranquillitas magna. Hac sola occasione dormîsse ab Evangelistis Christus dicitur, & neque hæc sola dormitio somni fuit periculô immunis. si paulò longiùs fuisset protracta nec unum suffecisset ruinæ, quam post se erat tractura, reparandæ prodigium. Imò prodigium unum breviusculus licèt &

tam

tam properè excuſſus ſomnus exigit; nam ad illum attonitæ turbæ exclamant: *Quis eſt hic, cui obediunt venti, & mare.* ibid. Oſtendere nempe etiam ſigno patrato Servator voluit, quàm res ſit plena periculi, dormire illum, qui agere deberet vigilias ſuper gregem ſuum, eſto, quòd grex ipſe *neque dormiat, neque dormitet.* Cùm in thalamo ſuo delitioſam quietem capit Regius ſponſus: *dum eſſet Rex in accubitu ſuo.* Cant. 1. 11. illicò in pedes aſſurgit evigilans ſponſa: *Nardus mea dedit odorem ſuum.* ibid. De nardo refertur, quòd nullum odorem exhalet, niſi conculcetur: ſponſa igitur Epithalamii ſtatim, ac inſiſtit pedibus, *odorem ſuum* effundit: nil ſimile de Regali ſponſo in lecto ſtertente, quòd ſcilicet & ipſe tunc fragrantiam ſuam emiſerit, cantica referunt. O quot aquilæ, Regum ſymbola, dum incautè ſomnum ſe capere credunt, in excelſis capiuntur ipſæ!

35. In ultima Cœna Dominus ſupra pectus ſuum recumbentem Joannem ſuſtinet: *erat recumbens unus in ſinu Jeſu.* Joan. 14. 23. non autem ſuſtinebit, vel temporis momentô ejus in ſomnum claudi oculos! his apertis naſcitur leo, & genuinus aquilæ pullus ad ſolis rotam, velut lydium lapidem ſuos & probat, & acuit. Chriſtum recèns natum ab ipſis incunabulis Magi Regem agnoſcunt: *ubi eſt, qui natus eſt Rex.* Matt. 2. 2. Ex quo id inferunt? niſi quia novam in cœlis ſtellam incendit, quaſi oculum ſibi aptaret ad luſtrandum omnia in circuitu. *Vidimus enim ſtellam ejus in oriente.* ibid. Aſtrum, quod in ortu incipit videri, naſcentis Regis eſt prodromus, & horoſcopus. Ita Nathanaëlem quoque concluſiſſe veroſimile: vix enim intelligit, ſe viſum ſub ficu â Jeſu, cùm eum & Magiſtrum & Regem fatetur. *Cùm eſſes ſub ficu, vidi te: reſpondit Nathanaël, & ait, Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël.* Joan. 1. 49. Turbæ, quæ Chriſtum ſequebantur, volebant eum facere Regem: cernebant enim oculos ejus in ſuorum commoda ſemper apertos. *Cùm ſublevâſſet ergo oculos.* Joan. 6. 5. Dormiêrant in horto diſcipuli liberrimè, dum Dominus factus in agonia prolixius orat, & ſanguinem largè ſudat. *Invenit eos dormientes.* Matt. 26. 40. *& factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. 44. ſi, dum vigilat paſtor, & dormiunt oves, ille ab hoſtibus ſuis capitur, ac percutitur, & iſtæ diſperguntur; quid fieret, ſi ipſe dormitaret, dum vigilant cum Juda inimicæ cohortes? Hominum Princeps Adam in loco voluptatis dormit ſopore â Deo immiſſo procumbens, *immiſit Dominus ſoporem in Adam.* Gen. 2. v. 21. & en! ſubin expergiſcitur lateri adhærente periculo, quo & ipſe & omnis ejus progenies periit. Nota eſt paræmia, qua mortalium in rebus ſuis modicam curam indicamus: *quandoque bonus dormitat Homerus.*

Nemo inficiàs ibit, regnare idem 36.
eſſe, ac vigilare; non ergo regit, qui

dormit. Facilè continget, imò neceſſarium penè eſt, ut è manu dormientis ſceptrum cadat, nullóque molimine opus, quò ſomnolento capiti diadema auferatur. Vivere dicas mortalem, qui dormiat! (niſi hæc ſit bruti potiùs, quàm hominis vita) haud diſſentio: nullus autem dicat dormiendo vivere Regem. Qui ad hujus ſomnô demerſi thalamum excubant, ad tumulum excubant, in quo ſi non hominis pars melior, certè dominatus omnis ſepultus jacet. Roſa florum felix Regina nunquam florido ſuo lecto clauditur, eadem majeſtate, qua cum aurora conſurgit, etiam de nocte jugiter vigilat, docta vivere inter ſpinas, ne fors opprimatur Morpheo. Hæ excubiæ non tuentur, ſed arcent ſomnum roſæ, pungentes caput, ubi vel invitum nutat. contra, quæ de nocte totam ſe complicat, & variegatis ſuis faſciis indormit, tam citò purpuram amittit Tulipa. In hunc finem Jeremiæ ſceptrum, velut vigilias agentis oculum, Deus oſtendit, *virgam vigilantem ego video.* Jer. cap. 1. 11. Virga, quæ vigil excubat, regale ſceptrum eſt, â ſenis morti proximi baculo vix differt ſceptrum dormiens. Saulis milites regio juſſu comprehenſum ibant Davidem, ſtrato adhuc ſuo incumbentem. Eorum manibus ereptura maritum Michol, ægrum eum lecto detineri finxit. 1. Reg 19. veroſimilius quid dicturam Michol videri poſſet, ſi dixiſſet, adhuc ſomno indulgere Davidem. Sed quod de aliis fortè credi poterat, de Davide ne quidem ſomniâſſent ſatellites, qui, uti David circumſpectus eſt in omnibus, utique non dormiet in capitalis inimici ſui domo. Hinc invenerunt in lecto ſimulacrum Davidis, ipſum Davidem non invenerunt. Statua enim ſit, non homo, & mortuus potiùs, quàm infirmus, qui ad tantum ſui periculum lecto immoretur. Dormiebat Nabuchodonoſor, & per ſomnum videt Imperii formam in ſublimi Coloſſo adumbratam. In hujus luteos pedes ſubin incurrens lapillus, è monte fortuitò deciſus, machinam totam evertit, ac in pulverem comminuit mirum! ictu tam leni diſſolvi poſſe duriſſima quoque metalla: erat enim ſtatuæ caput aureum, argenteum pectus, reliqua ex ære, & ferro. ſed effigies erat imperii, cujus Rex *vidit ſomnium.* Dan. 2. 1. ubi dormierit etiam aureum Regni caput, facilè ac velut ſuapte ſponte regnum cadet, haud erit opus aliena manu, quæ impellat in caſum. Etiam de nocte nunquam quieſcit cœlum, abſente ſole; Argus hic in ſtellis velut centum oculis excubat. Aliis qui præeſt, proin vigilet in omnibus, ſi in ſui dominii veſtibulo omnia velit eſſe tuta: vigilantia hæc erit omni ambitione fortior, nec occurret, quod in eam prævaleat. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace omnia ſunt ea, quæ poſſidet.* Luc. 11. 21.

Haud ſufficit, oculos non claudere, 37.
ne ſaltem videaris dormire, ſi revera dormias. Nulla dormitio magis nocet, quàm quæ fit ipſis oculis apertis. melius erit hos gravari ſomnô, modò præ-

præcordia vigilent, quàm ſi corde ſopito lumina vigilias agerent. Hinc Regum Idea in canticis: *Ego dormio*, ajebat, & *cor meum vigilat*. cap 5. 2. Etiam Idola gentium ſtare videntur in excubiis, *ſed oculos habent, & non videbunt*. Pſ. 113. 13. ſimilis illis fiet, qui oculos habet apertos quidem, ſed rebus & ſuis, & ſuorum minùs intentos. Idolum erit, non unum eorum, de quibus ſcriptum: *dixi, dii eſtis*. Pſ. 81. 6. Et cæcus, & dormiens videndi facultate carent: ſed hic, quia non vult, prior, quia non poteſt videre; in uno videtur majus vitium voluntatis, quàm in altero infirmitatis. Dum in hoc mundo Chriſtus viveret, nec habere voluit, ubi caput reponeret. *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*. Luc. 9. 59. quando id ſemel inclinare cæpit, in cruce videlicet, etiam vivere deſiit. *Et inclinato capite tradidit Spiritum*. Joan. 19. 31. Herodes Rex malus habebat, unde reclinaret, atque etiam altùm dormiret: *vulpes foveas habent*. Luc. 9. 58. in ſinu Herodiadis caput repoſuit, ac ita dormiendo ſe & illam perdidit, ut tragico ejus exemplo concuſſi omnes ſic dormientes lethargum denique excutiant. Vix in Evangelio ſomnum admiſerant coloni, quando clades Domini agris ocyùs illata. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit Zizania*. Mtath. 13. 25. non hîc dicitur, quòd & ipſe Dominus ſe ſomno in prædam dederit; ſed quia alienæ vigilantiæ commiſit ſua, etiam perdidit. Proprium eſt Spirituum immundorum, in ſolitudinum otio ſectari quietem, ſed neque ibi illam inveniunt; *ambulat* dicit Chriſtus de ſathana, *per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens*. Luc. 11. 24. Cor generoſum in ſola quiete non quieſcit; nam & ſomnus ſuos habet labores, & qui nil operatur, neque vivit. Jordanis reprobæ aquæ, quæ obſequio non reverentur Arcam, ad mare mortuum currunt, ibíque obtinent interitum, ubi ſperabant feliciter emenſi itineris præmium. Ubi â lucidis, ac fervidis ſuis laboribus ſol ceſſat, deficere dicitur, imò ipſe *ſolis labor Eclipſis* nuncupari ſolet; quando idem planeta horizontem ſubit, occumbere illum dicimus: ſi enim infra eum demerſus non dormit, ſaltem vigilem non videmus. Principis tenebrarum eſt quærere in via quietem, hinc dum erat viator jam parabat ſeſſionem. *ſedebo in monte teſtamenti*. Iſai. 14. 13. Princeps lucis jugiter circumſpicit glorioſi laboris arenam, & Dei nunquam operari ceſſantis æmulatur exemplum. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*. Joan 5. 17.

Etiam quies vitæ humanæ neceſſi- 38.
ria, & brevis ille deperditarum virium inſtaurator ſomnus; myſterium ſit potiùs, quàm otium in iis, quibus aliorum regimini nunquam non advigilandum. Sic quando *apparuit Dominus Salomoni per ſomnium*. 3. Reg. 3. 5. petitam iſte cœlitùs ſapientiam obtinuit, ſic utrique Pharaoni futu-

rorum eventus itidem in ſomniis præfigurati ſunt, uni in *ſpicis*, & *vaccis*. Gen. 41. alteri in *ſtatua aurea*. Dan. 2. & arbore ſecuri exciſa. Dan. 4. ſic etiam *Samueli* in templo dormienti revelatus eſt ſermo Domini, ut nunciaret calamitatem Heli obventuram. 1. Reg. 3. & Reges ſancti, adoratô recèns natô Dei filiô, in ſomnis audiunt, per aliam viam regrederentur in regionem ſuam. Matth. 2. 12. Nempe inſtruere Cœlum voluit ſomnis his myſterio plenis, quòd qui reliquis præſunt, etiam dum quieti indulgent, ſuorum commodis ubique invigilare debeant.

Idea VII.

Non omnia fieri poſſunt per alios.

39. FAſſus eſt centurio, pro ſervo ægro opem Chriſti olim interpellans: *dico huic: vade & vadit, & alii: veni & venit.* Matth 8. v 9. Quódque æſtimandum magìs, ſi cui dicebat: fac hoc, alter facit: non tamen addit, an *bene* fecerint illi, quod faciendum dicebat centurio, de quo haud dubiè relictus dubio locus. Hac ſua loquendi forma Domino perſuaſum volebat, ut & ipſe verbo uno afflictam famuli valetudinem ſanaret, vel unum ex diſcipulis mitteret, qui ejus nomine id charitatis ægroto impenderet; ſed Chriſtus terram illam, jam ſementi aptam intuitus, ad has primas preces illicò repoſuit: *Ego veniam & curabo eum.* v. 6. Non id, ut ipſe veniret, petebat centurio, neque etiam opus erat: ipſe tamen parare voluit morbo remedium, cui traditum erat â centurione ægri dominium: *Domine puer meus jacet in domo paraliticus.* En Dominum centurio me vocat, cùm ad medelam me vocat, dominium habeo ego ipſe, remedium ergo parabo ipſe: *Ego veniam & curabo eum.* Si Principi datur gloria remedii, ipſe etiam aſſumat laborem ferendi ſubſidii: non curet per alium, quod meliùs curabit per ſe ipſum.

Multa ſunt, quæ alienis non benè 40.
creduntur manibus. Volebat Deus Iſraëlitas, Angelo duce, ê deſerto in terram promiſſam educere: ubi id populo innotuit, velut ad ingens malum ſuum totus ingemuit. *Audiens populus ſermonem hunc peſſimum, luxit.* Exod. 33. v. 4. nulla videtur hîc gemitûs cauſa: quis enim ſecuriùs ducat, quàm Dux Angelus? ſed inter Angelum & Deum infinitùm intereſt; Dominum ipſi petebant arduæ viæ ducem, & ipſis deſignatus ſervus: en! ubique ſufficiens doloris motivum! Angelus Domini etiam ad piſcinam deſcendebat; ſed tamen neque triginta octo annorum circulo curavit para-

paraliticum: hoc enim tempore transacto, miſer adhuc jacebat *in infirmitate ſua.* Joan. 5. v. 5. Vix Servator illuc venit, & illicò alter ſanus factus eſt. Nempe Jeſus, per quem omnia facta ſunt, per ſe ipſum pleraque fecit. Ipſe notavit indigentiam cibi in turbis, quæ eum erant ſecutæ, ipſe panes prodigioſè multiplicavit, ipſe benedixit, & ſua manu *diſtribuit diſcumbentibus.* Joan. 6. v. 11. Hinc ipſum volebant facere Regem, quem videbant aliis tantùm benefacere per ſemetipſum. Novæ legis meliorem ſortem paucis indicaturus Jeremias dixit: *Regnabit Rex.* cap. 25. v. 5. nil novi hîc dici videtur, ſed tamen novum eſt, ac magnæ notæ felicitatis regis adventus, qui per ſe ipſum regnet. Vix Reges occurrunt, qui ipſi regnant; cùm tot alii regnent, licèt necâ longè ſint reges. Maximum regni malum, quòd, qui Rex eſt, non regat, & qui non eſt, regat. Ubi Moyſes in montem ſeceſſerat, populi regimine Aaroni concredito, hominem illum vocant: *Moyſi enim huic viro.* Exod. 32. 1. & tamen Dei inſtar, cùm ipſe clavum teneret, ipſius Domini juſſu Moyſen habebant: quæ etiam mala exceperint Ducis Iſraelitici abſentiam ex eodem Exodi capite liquet.

41. Jam cœlos pervaſerat Sodomæ nefas in cœlum clamans, & juſtiſſimæ Nemeſis inclamans vindictam: *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt.* Geneſ. 18. v. 20. Sed etiam Empyreum in odorem ſuavitatis aſcenderant fragrantes Abrahami virtutes. Utrique jus ſuum dicere parabat divinum tribunal, & decernere pœnas delictis, præmia meritis. Angelos tres in eum finem ablegat ad Abrahami ædes; urbem Sodomam ipſe Dominus inviſit. *Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam.* v. 21. quare Deus non ipſe petit Abrahami domum, aut cur non etiam ad ſodomitas mittit Angelum adminiſtrum? nempe accipere hoſpitii donum etiam miniſtri nôrunt, ut ut ſint Angeli, ſed rectum ferre in cauſis quà civilibus, quà criminalibus judicium, ipſius Domini & attentionem & æquitatem poſcit. Angeli ergo ſint & Dei Miniſtri, qui liberali Abrahæ hoſpitalitate fruantur; qui verò cauſæ proceſſum, merita & delicti probationes videat, juſtámque ſententiam ferat, etiam in infamem Sodomam, ipſe Deus ſit: *Deſcendam & videbo*, quaſi ritè hæc nôſſe non poſſet, niſi præſens adeſſet, niſi coràm ſuis oculis videret, *ut ſciam* in omnibus ſcilicet veritatem, ne iſti miſceatur falſitas, ne malitia offucias faciat æquitati. Triumphalem ſuæ gloriæ currum Deus quatuor equis aut aliis animantibus credit. Ezech. 1. ſatis enim tutus eſt tanti Rectoris manu currus hic quadrijugus. At verò currum illum amoris, quô reducenda ovis perdita, nulli credit, niſi humeris ſuis: *Vadit ad illam, quæ perierat, & cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens* Luc. 15. v. 14. Perierat illa, quia Domini ſui præſentiam fugerat; ut ſalvum faceret,

quod perierat, ipse Dominus præsens esse voluit. Eventus docuit, quàm id feliciter cesserit! si, quæ periit, oviculam aliena reduxisset manus, fors jugulum aut certè lanam ista petîsset, antequam illa Domini ovili redderetur.

42. Soli aquilæ, Jovis aliti & avium Reginæ fulmina tribuêre mythologi, quo indicarent, nulli alteri concedendum supremi arbitrium supplicii, nisi qui proximus esset Tonanti: rationem dabant; quia videmus cor Principis subditos respicientis velut membra sua proniùs longè inflecti ad clementiam, quàm ministrorum, *quorum non sunt oves propriæ*. Joan. 10. 12. hi enim rigori potiùs cedunt, quàm blanditiei, faciliùs resecant, quàm curant, *quia non pertinet ad eos de ovibus*. ibid. v. 13. Et Danieli prophetæ & Joanni Evangelistæ judicium suum ostendit Dominus, at discrimine satis notabili. Prior libris apertis signatum id vidit: *Millia millium ministrabant ei, & judicium sedit, & libri aperti sunt*. Dan. 7. v. 10. vidit & posterior; nullus tamen judicio assistentium aperiebat librum: *Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus erat aperire librum*. Apoc. 5. v. 4. cur in priori casu tam promptè, in posteriori nullo modo ministri justitiæ volumen recludunt? nempe ibi accusabantur hominum delicta, hîc absolvebantur. In libris prioribus ferebantur sententiæ in reos mundi positi in maligno; in posteriore continebatur reparatio generis humani Agni sanguine jam redempti. Innumeri erunt, qui accusent, condemnent, puniant, atque principi suo lites aperiant ac processus gravissimos: vix unus reperietur, qui de venia danda, de misericordia indulgenda vel verbulum faciat, nisi ipse Princeps sinum clementiæ aperiat: *Dignus es Domine aperire librum, & solvere signacula ejus*. v. 9.

43. Angeli fuêre, qui lætitiæ pignus Christi glorioſam Anastasin nunciârant Magdalenæ. Joan. 20. v. 2. qui verò tristitiæ nubem & planctum abstergeret, ipse Dominus fuit; hoc enim officii genus neque in cœlis alteri committitur: *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*. Apoc. 21. v. 4. & quidem ita, ut nec doloris cicatrix supersit. Magdalenæ honor obtigit, ut nuncia fieret relatæ â Christo de morte victoriæ, ac tanti triumphi strenas â mæstis discipulis reciperet: *Vade ad fratres meos, & dic illis, ascendo ad patrem meum*. Joan. 20. v. 17. reductionem verò Emauntem præ merore tendentium ab ipso resurgente Domino suscipi par erat; *& ipse Jesus appropinguans ibat cum illis*. Luc. 24. v. 15. Id quoque certum, Thomam mansisse in pertinaci sua incredulitate, dum mysterii resurrectionis fidem soli faciunt discipuli; ociùs credit, ubi operi suam manum Dominus admovet, ubi dicit: *Affer manum tuam* .. respondit Thomas: *Dominus meus & Deus meus*. Joan. 20. v. 27. Procul dubio ex primis electus est administratoribus ille Spiritus, qui nativitatem præcursoris Zacha-

Zachariæ nunciaret. Nihilo Secius minis opus fuit, & ne sic quidem nuncio angelico fidem iste habuit: *Et ecce, eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fient.* Luc. 1. v. 20. at cùm ipse Deus, virginis clausus utero, domum Zachariæ ingreditur, illicò prophetizat Elisabeth, lætitiæ tripudia exhibet in ventre matris Joannes, exulat culpa, ad suam originem refluit innocentia, ac etiam non multò post, solutô labiô, mirabilia Dei palàm fatetur Zacharias.

44. Ipse itaque Princeps sua manu prehendat flagellum, si suos emendatos cupit, non perditos: idem faciat sacrorum Præsul, si templum purgare velit eorum maculis, qui illud profanant. Ecce ipse Rex Regum ê supremo cœlo in hanc terram descendit, ut ipsam terram in cœlum converteret; homines salvos voluit, útque per se fierent salvi, voluit: *Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* 1. Timoth. 1. v. 15. ipse hic summus Pontifex Jerosolymam ascendit, factóque de funiculis flagello, *omnes ejecit de templo*, pessimos scilicet dominici templi profanatores Joan. 2. v. 13. Dum Christus differt invisere Lazarum, crescente morbo fatis cedit Lazarus. invisit ad sepulchrum Christus, & una voce excitatus tumulo resurgit Lazarus: *Clamavit, Lazare veni foràs, & statim prodiit.* Joan. 11. v. 43. Nullum in hac vita mortali â mortuis excitavit Jesus, nisi cadaveri ipse præsens: sine dubio id miraculi genus etiam potuisset absens patrare. nempe per id docere voluit, ipsâ Principis præsentiâ esse opus in casibus conclamatis. Ut mensam apparent, qua veteris legis absumantur reliquiæ, gemini sufficiunt discipuli, Petrus & Joannes: *Euntes, parate nobis Pascha.* Luc. 22. v. 8. ut verò vitam mundus habeat in vitali esca, ipse Magister adesse debet: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Joan. 6. v. 51. Cùm ad cœnam invitentur homines, servus mittitur: *Misit servum suum dicere invitatis, ut venirent.* Luc. 14. v. 17. ut verò electorum corda in cœna agni penitùs satiet, ipse Minister Dominus adesse dignatur: *Et transiens ministrabat illis.* Luc. 12. v. 37. atque etiam se ipsum tradit manducandum. Denique *ipse Deus erit eorum Deus.* Apoc. 21. v. 7. nam & Dominum esse & Deum esse, est tale quid, quod extra Deum esse non potest, neque per alios fieri potest.

Idea VIII.

Terra, quæ non producit fructus, germinat ſpinas.

45. DOmo ſua ejectus atque contumeliæ impatiens dæmon, relictam ſedem rurſus ingredi parat: *Revertar in domum meam, unde exivi.* Matth. 11. v. 44. ſed quo id jure? quid habet, quod cacodæmon ſeu ſpiritus immunditiæ, agat in æde *ſcopis mundata & ornata*? quomodo vocat *ſuam*, quam etiam invitus alteri cedere debuit? reſpondet Beda, ideo hanc domum repetere dæmonem, *quia invenit vacantem*, ſeu otio deditam; quare ædem hanc prælaudatus Beda vocat, *mundatam â vitiis priſtinis & vacantem â bonis actibus per negligentiam.* Nempe vacatio negligens ab opere bono ſolet eſſe origo non unius operis mali: éſtque hæc miſera terræ cordis noſtri conditio, ut niſi flores germinet, proferat tribulos, uti quotidie id videmus in locis deſertis, & induſtriæ manûs cultu deſtitutis. Deus, utpote benignus Dominus, nullius ingratiis ſuam gratiam obtrudit; offert illam, in tuo arbitrio eſt, oblatam recipere vel reſpuere. Contrà, Lucifer ſævus animarum tyrannus non habet opus, ut venienti ſponte januam aperias: ipſe viam ſibi faciet, niſi iniqui inſultibus generoſè reſtiteris; *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet*, inquit Chriſtus Luc. 11. v. 21. tota tamen hæc pacis felicitas ſtudium quoque exigit, vigilias & curas illius, *qui cuſtodit atrium.* ſi hic otio litârit & ſuis duntaxat deliciis, non multò poſt, quæ poſſidebat, amittet. Si enim is, cujus eſt urbem tueri, nil adhibeat ſolicitudinis, quid reliqui facient? *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.* Pſal. 126. v. 2. Tempus advenerat, quo ad bella ſolent procedere Reges, dicit ſacra Regum hiſtoria, quando David Joabum & exercitum ſuum in Ammonitas immiſit & urbem Rabba obſidere juſſit, ipſe autem Rex David *manſit in Jeruſalem.* 2. Reg. 11. v. 1. Et quem obſidio nacta eſt eventum? ſiniſtrum ſanè; nam & militum plurimi abſumpti ſunt, & locus expugnari nequiit, quidcunque Joab Dux, aliàs ſtrenuus moliretur, donec David ipſemet adeſſet, ac pugnaret: *Cúmque dimicâſſet, cepit eam.* ibid. 12. & 29. Neque hic ſtetêre otioſitatis Davidicæ peſſimi fructus: vix enim â bono opere & virtutis exercitio ceſſavit, quando ê Rege glorioſo David factus eſt abjectum Veneris & injuſtitiæ mancipium. Vix culturam ſepoſuit agri ſui, & exortæ ſunt ſpinæ, vix rigare deſtitit ſudore ſuo illos, quæ gene-

generoſam antè cingebant frontem, lauros, & illicò undique ſuccreverunt Zizania.

46. Palatium ſuum obambulabat regni curis liber Nabuchodonoſor, quando otio torpentem obruêre vaniſſimæ, ac tumoris plenæ cogitationes: *Nonne hæc*, inquiebat, *eſt Babylon magna, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* Dan. 4 v. 17. Ex otioſa ambulatione delapſus eſt miſer in vanitates, & inſanias falſas veſanæ ſuperbiæ, & per hanc graviſſimo caſu ex palatio in agrum, è regio ſolio in campeſtrem ſpeluncam, factus ex homine brutum, ex magni imperii domino animal ê grege cornipedum ſtolidiſſimum: *Fœnum quaſi bos comedes.* v. 29. Hi fuêre malè feriati otii fructus, hæ ſpinæ hominis improvidè Domi ſuæ feriantis. Quis auguraretur pulſandam tam citò dæmonis malis ſuggeſtionibus Evam? vivebat hæc in horto voluptatis, quem plantaverat Dei manus, mariti ſui delicium, donis cœleſtibus & mille gratiis undique munita, & rerum cæterarum dominio ad invidiam dives. Unicus tamen ſerpentini ſibili flatus tam pulchrum florem infecit, venenum hauſit viventium parens, quo ſubin omnes perirent. Tantam victoriam ſerpens antiquus de tanta viragine retulit, *quia invenit vacantem.* Dum enim illa paradiſum otioſa circuit, dæmon artibus ſuis nil agentem, neque etiam ſtrenuè reſiſtentem circumvenit ac perdidit. Gen. 3. Otioſam Iſraëlitici ſeſſionem populi excepêre crimina maxima ebrietatis & Idololatriæ: *Surgentèsque, manè obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas, & ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. 32. v. 6. Niſi otioſa curioſitate ſe paſſa eſſet diſtineri Dina, nec flere debuiſſet violatum pudicitiæ florem; ſtaret adhuc Sichimis & probroſi furoris nota eximium Jacobi filiorum nomen. Gen. 34. Quieſcebat in ſella ſua Heli ſacerdos, dum populus in prælia deſcenderat, & facta eſt Iſraëlis cædes magna, Arca Domini capta eſt, & ipſe Heli ad triſte nuncium ſede ſua excuſſus, dat pœnas incuriæ & negligentiæ ſuæ, repentinæ mortis factus victima 1. Reg 4. Brevis quies Petri & ſeſſio ad ignem, productas ad dies vitæ lachrymas ciet, cùm nihil tunc ageret, rem peſſimam egit, labori ſuas manus negavit, & trinis vicibus Deum ſuum negavit, ſedit, & cecidit, quievit paululùm, & invenit, quod ſemper defleret poſtmodùm. Matth. 26. v. 69.

Nec tamen ſufficit otii vitandi ergò 47.
ſuſcipere laborem, non enim labor omnis utilis. Et illi laborârunt, qui dicebant: *Laſſati ſumus in via iniquitatis.* Sap. 5. 7. labor ſanè omni otio pejor. Domini diſcipuli de ſe ipſis fatentur, *per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Luc. 5. 5. Irritus nempe cedit labor, niſi pro Deo ille ſuſcipiatur. Perperam illi operabantur jaciendo retia ad ſiniſtram navigii, cùm dextrorſum jaci debuiſſent. Mare fa-

tigabant remis, & idem hoc erat ac flagellare ſpumas. Laborabant, quia ſic ipſis erat volupe, non ad nutum obedientiæ, quid ergo inde poterant habere lucri? poſt omnes hos labores coguntur dicere: *Nihil cepimus.* O! quot hominum in navi Petri non otio, ſed ſudore, diffluunt, & tamen nihil merentur, non fructum comedunt manuum ſuarum! ſterilem & ſiccam arborem rigant nullo alio emolumento, quàm fugitivæ, & non rarò etiam noxiæ umbræ, aliam non colligunt laboris ſui meſſem præter vanæ ſpei inanitatem. O! quot mundo ex aſſe deſerviunt, ut ab eo mercedem recipiant, quam ille dare nequit! Deum autem penitùs relinquunt, qui ſolus laborum noſtrorum & poteſt, & vult eſſe largus remunerator! miſeri hi olim ſine mundo & Deo Codris pauperiores ſuo theatro decedent; dici de iis poterit, poſt vanas haſce vigilias & rerum mundanarum anxias ſolicitudines: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Pſal 75. v. 6. Quid enim proderit laborâſſe multùm, ſi nihil pro Deo tuo egiſti? quam olim laboris tui mercedem dabit Dominus, ſi jure dicere poſſit: *Nec laborâſti in me Iſraël.* Iſai. 43. v. 22. & in omnibus operibus tuis non mihi, ſed vanitati litâſti: *Victimis non glorificâſti me.* ibid. quot animæ in Eccleſia Dei Tamares inveniuntur lacte rationabili omnino ſteriles & inceſtuum monſtroſorum ubique fæcundæ! Gen. 38. Nil valent pro Dei gloria, licèt aliquid videantur eſſe pro mundi pompa! manibus carent, ubi ſolvenda debita, centimanos Briareos ſe exhibent, quando rapiunt aliena! ars ipſa & activitas ſunt in rebus terrenis & tranſitoriis, in cœleſtibus & ſemper duraturis pura omiſſio. Miſeriam ſanè vel ſanguineis lachrymis deplorandam! tantum laboramus pro labili hoc mundo, & nec manum aut pedem movemus pro ſummo noſtro, & indefectibili bono! Quàm ſæpiſſimè occurrat memoriæ ſaluberrimum id Chriſti monitum: *Unum eſt neceſſarium.* Luc. 10. v. 42. Animi nempe noſtri ſalus, lucrum omnium â Mida quoque optabilium maximum, in quo clauditur bonorum omnium ſine termino jugiter affluentium ilias. Cur vanis angimur curis, & *turbamur erga plurima*, & illud unum neceſſarium negligimus, cùm tamen hoc unicum jubeamur curare, dignúmque ſit id unum cogitationibus excelſis filiorum Dei, imò ipſius Dei, qui hoc ſolo fine in hunc mundum venit, ut ſalutem noſtram curaret, *ut ſalvum faceret, quod perierat.*

Ut cœlum ſubeas, haud ſufficit, 48.
non promoviſſe pedem in avernum; ſufficit verò, ut ad inferos demergare, non adhibuiſſe conatum aſcendendi ad ſuperos. Non procul aberat æthereis ſedibus Lucifer, ſed quia adhuc paululùm ulteriùs pergere neglexit in via, quietem & ſedem circumſpiciens: *ſedebo in monte teſtamenti.* Iſai. 14. v. 13. Damnationis in caput ſuum ſententiam attraxit: *veruntamen in infernum detrahêris* ibid. v. 15.

In

In scala cœli olim Jacobo ostensa nulla quies datur, aut oportet ascendere, aut descendere necesse est. Hinc Patriarcha vidit solùm *ascendentes & descendentes*, nullos autem quiescentes. Gen. 28. v. 13. Si etiam eorum, qui ad superna jugiter tendunt beatorum videlicet spirituum aliqui inferiora quoque petunt, quid iis fiet, qui nunquam nituntur ad superna eniti? Anima nostra flammæ est simillima, hæc vel eluctatur in superiora & lucet, vel deprimitur ad ima, & illicò extincta nihil præter fumum spargit. Nisi ergo vis in profundum demergi, eluctari contende in altum, ut monet mellifluus! Angeli licèt alati nisi avolent in superiora, demerguntur ad infima, & tu homo alis destitutus â lapsu te tutum credas, nisi jugiter ascenderis? Si attentes stare, ruas necesse est: *minimè bonus est qui melior esse non vult; nam ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus.* Epist. 91. Navis quæ contra fluminis alveum non ascendit, si sibi relinquatur certò certiùs descendet. In exitu populi de Ægypto stetisse aquam testatur Moyses: *stetit unda fluens.* Exod. 15. v. 8. De eo ipso exitu locutus David Ps. 113. dicit: *mare vidit & fugit.* v. 3. videtur inter ambos sacros scriptores misceri antilogia. Si enim consistunt undæ, qua ratione fugiunt, & si fugiunt, quomodò stare possunt? contrarietas tollitur, si dicatur, esse aquæ, uti cuivis gravi, connaturale, ferri ad centrum; proin si illuc non accedit propriùs, inde veluti recedit, aut fugit: *stetit, fugit.*

Atque sic non progredi in semita virtutis, est idem, ac regredi ad viam iniquitatis. Clariùs id patet in prodigio solis. De hoc refertur Josue 10. *Stetit itaque sol. v.* 12. Ecclesiasticus verò dicit in versione græca: *nonne ipsius manu retrò cessit sol.* Cap. 46. v. 5. ambo hagiographi idem reverà dicunt: nam in via, quæ ducit ad cœlum, unum idémque est, immotum stare, ac retrò cedere. Detinuit se Sodomam egressa uxor Lothi, ut miraretur cladem urbis. Delictum hoc præposteræ stationis si curiosam mulierem reverti Sodomam non coëgit, in statuam salis totam converti fecit: *respiciénsque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Gen. 19. v. 26. Expressè dixerat Lotho Dominus, ne retrò respiceret, néve in ea fuga subsisteret, nam inter montis ascensum, & Sodomorum perditionem nullum intercessit medium. *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circum regione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Gen. 19. v. 17. Qui aratro manum applicuit in agri sibi commissi culturam, si oculos vertat retrò, cœlestis regni censetur indignus mercede: *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Luc. 9. v. 62. Hinc malus genius, cùm ædium Dominum otiosè sedentem viderat, illicò se ejusdem domûs legitimum possessorem nuncupat, utpote jam iterum ad se devolutæ: *Revertar in domum meam, ex qua exivi.* Matth. 2. v 44.

Dicet aliquis: qui otio addictus, ni- 49.
hil agit, nihil quoque mali agit, sed

hoc ipsum jam est malè agere, nihil, cùm possis, velle bene agere; hinc cæpit Adæ pernicies, totum Paradisum perdidit, licèt nec unam Paradisi arborem perdidit. In hoc deliciarum horto protoparentem hominum posuerat Deus, *ut operaretur & custodiret.* Genes. 2. 15. Quô ergò fidum hujus vineæ custodem se probâret Adamus? in ea operari debuerat. Culturam omisit, & idcircò custos esse desiit. Si Paradisum coluisset, nunquam terra spinas & tribulos produxisset. Locum ingressus est dæmon, quia Adam nihil operando haud restitit: culpam contraxit, qui furi ostium non clausit. Urbis Gubernator reus est, licèt ipse intra mænia non recipiat hostem, modô venientem vi omni non repellat. Nihil mali agebat in agro ficus, sed etiam nihil producebat boni, & tamen maledictione, ac igne digna visa est cœlesti Magistro: *nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Matth. 21. v. 19.

Sterilitas temporalis reputata est ad culpam, perennis ficui superveniens data est in pœnam. Deus, cùm eidem maledixit, non dixit, ut exaresceret, cur ergo arefacta est? quia non amplius ex ea nasci poterat fructus, ut quid ergo terram occuparet, quæ nihil boni in terra amplius proferret? En hîc grande malum, nullum operari bonum, cùm Deus etiam in stipite id mulctet jugi sterilitate. Si tanti sit rea supplicii planta, quid idcircò merebitur homo? de quo dixit Deus: *posui vos ut eatis, & fructum afferatis.* Joan. 15. v. 16. Imò in eo multò minùs deliquit ficulnea, ac delinquat homo, quia si ipsa, utpote sterilis, carebat fructibus, non tamen malum hoc affricabat arboribus cæteris. Non sic in homine otioso, nam hic & alios *in* vitium trahit, vel malo exemplo, vel nullo ad opus, quod omne deses respuit, incitamento.

Omnis stultitia reprehensionis digna, in virginibus fatuis eò recidit, quòd non operando malum, etiam declinarent â faciendo bono, haud sectabantur mundi vanitates, sed negligebant simul curam cœli. Nulla paraverant unguenta, vel calamistros ad ornatum corporis, sed neque de oleo sibi providerant ad accendendam Lampadem amoris, *non sumpserunt oleum secum.* Matth 25. v. 3. Et hoc erat totum, ob quod ipsæ *fatuæ* nuncuparentur, & referrent sponsi terribile responsum: *nescio vos.* Hoc autem ipsum agere, vel non agere, erit unicum olim felicis, aut infelicis sententiæ motivum: *& dedistis mihi manducare.* Matth. 35. v. 3. Benedictionis causa erit in electis: *& non dedistis mihi manducare.* ibid. v. 43. Maledictionis in reprobis. Invitati ad nuptias peccatum omne fuit carentia boni operis, denotata in neglectu togæ festivalis: *non habens vestem nuptialem.* Matth. 22. v. 12. Et quia ad interrogata non respondit: *at ille obmutuit.* ibid. Ideò supremi jussu Judicis missus est in tenebras, *ubi erit fletus & stridor dentium.* Quid mali egit talentum

50.

lentum in incuriæ desidis tumulo depositum? & tamen negligentia hæc luenda fuit æternis ignibus. Matth. 28. v. 3. Qui aliis præest Cassiodoro teste, vel bonus est, vel malus est, hîc enim in medio nullus consistit; si enim nihil boni perpetuò fecerit, eò ipso malum saltem desidiæ ociùs incurrit. *Præsul mirabilis partem non habet cum dilectis, quia si nihil aliquid egregium assiduè fecerit, culpam vel otiosus incurrit* Lib. 16. variar. Nazianzenus originem mali dicit cessationem â bono, uti absentia lucis est mater tenebrarum: *Mali principium ex boni incuria nascitur, non secùs ac tenebrarum principium est lucis recessio.* Orat. 9. ad V. Julian. Sanctus Epiphanius verò addit, eum, qui in agro superseminavit Zizania, non tam fuisse inimicum hominem seu dæmonem, quàm amicum somnolentis operarii otium, *dum enim dormirent homines.* Matth. 13. v. 25. & nihil boni operarentur, succrevit cum tritico lolium, *ita nos*, inquit sanctus Doctor: *cùm mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata.*

51. Hic sensus est ejus Ecclesiastici sententiæ: *Væ manibus malè facientibus.* c. 2. v. 14. haud dubiè manus multæ, quæ faciunt malum, sed fortè non pauciores occurrent, quæ nil faciunt, his etiam *væ* intentat versio græca, ita legens: *væ manibus remissis*, aut quod idem sonat: *Otiosis!* sed quid mali præstant otiosæ manus? imo verò, quid mali non agunt, nisi benè agant. ita ibidem paulò post subjungitur: *væ corde dissolutis.* Ecclesiast. 2. v. 15. quod Jansenius vertit: *væ cordi remisso.* & reverà idem utrumque videtur. vas quod neglectum obturatur, vel omnino apertum relinquitur, facilè amittit totum id, quod boni liquoris habebat, sola vana remanent, & vanitas aëris. Servus malè Domino suo inservit, qui nihil agit, quod ejus oculis placeat, licèt herum suum non exoculet; malè agricola vineam colit, qui contentus non eradicare vites, illas nunquam neque pastinat, neque putat. Horologium ut ut moveatur, si non ostendit, neque insonet horas non est artefactum, sed inutile ferri, aut alterius metalli pondus. famulus, qui vocem Domini non audit, & servire recusat, instar rebellis habetur. Dei indignationem ille meruit, cui apud Jeremiam exprobratur: *& dixisti non serviam.* c. 2. v. 20. Non vitio ipsi vertitur, quòd peccare intenderit, sed quòd, licèt teneretur servire, noluerit, & verò quæ culpa major istâ? attendite mortales: *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 3. v. 10.

Idea IX.

Culminibus proxima sunt præcipitia.

52. O culmina! ô montes! ô excellentiæ! quàm difficulter, & quàm magno labore conscendimini! quàm ægrè toleratis, ut conculcemini! *Montes Gelboë nec ros, nec pluvia veniant super vos.* 2.Reg.4. v. 21. dicit David, quàm pulchri multorum oculis videmini! quàm steriles revera estis! nec ros cœli in vestra cedit incrementa, nec in fæcunditatem pluvia terræ, sicci & aridi, quales semper fuistis, in omne ævum remanebitis! *Ibi abjectus est Clypeus fortium, Clypeus Saul quasi non esset unctus oleo.* ibid. O! quot fortium Israël in vobis nacti sunt præcipitia! quot in Christos suos electi Dei, dum ad apices vestros eluctari parant, in abyssos miseriarum demersi sunt! quot coronata capita, ad has petras allisa, infeliciter perière! quid in magis excelso monte invenies, nisi rupes, spineta, horrores, ventos, & mille præcipitis lapsus pericula! *quid superbis terra & cinis?* Eccles. 10. v. 9 attendesis, neque Icaros alis instructos diu posse hærere in aëre, quò magis attollêris, eò profundiùs decides. Quid ex sterili cinere fructûs exspectas? plano pede consiste, nec in montem intumescas, ne & tu infelix fias vaticinii Davidici de his pulvereis tumulis paradigma: *Transferentur montes in cor maris.* Ps. 45 v. 3. heu! fuge montem sublimem, nisi cum Lucifero demergi velis in imum. *Sedebo*, dicebat ille, *in monte testamenti*, & loco imaginarii throni in avernalem foveam malè cautus incurrit. *Verumtamen ad infernum detrahêris in profundum laci.* Is. 14. 15. Dicis quidem, expandenda esse ventis carbasa, quacunque ingruant, & favoniis non obluctandum, ubi propitii affient, sed Christi præcursor Baptista te monet, Dominum ventilabro suo paleas hasce, quæ ad omnem auræ motum avolant, segregaturum â tritico, ut Vulcano tradat: *Ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Luc. 3. v. 17. granum â palea facilè dignoscitur, ista levitate sua nullo negotio superna petit, â quovis flatu aëris quocunque arripitur: granum humi consistit difficile sursum moveri, pondere suo ad centrum tendit, terrámque subit, ut infra eam cadens fructum afferat. Ventum time, qui te attolit, ne te in alto paleam alii videant, & rideant.

53. Dices iterum, Angel iconsilium tibi placere, Lotho olim datum: *in monte salvum te fac* Gen. 19. v. 17. ibi meliorem sortem occursuram. Dico ego, Lothi salutem etiam in monte stetisse an-

ancipitem: id certum est, ibi fuisse ebrietate gravatum, ac flammis arsisse, quibus vel ipsa in plano relicta Sodoma erubesceret, factus eorum filiorum parens, quos aliquando nepotes habere debebat. Nempe etiam in montana nobiscum ascendunt nimiùm quantùm terrenæ nostri animi passiones, neque benè in montibus florent lilia convallium. Harum, & non montium lilium se sponsus cœlestis dixit: *ego flos campi & lilium convallium.* Cant. 2. v. 1. Putas te cum Abrahamo in monte facturum gratissima Sacrificia Isaaci primogeniti, unici tui solatii ac delicii, sed sacra pagina docet, nec id sacrificii revera perfectum esse in monte: *vidítque post tergum arietem quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. v. 13. Faxit Deus, ne vocem secutus tenebrarum angeli innocuum agnum immoles locò dilecti Isaaci tui, & quod erat in Arahamo mysterium, in te, montem appetente, fiat grande delictum. A te Deus non poscit filiorum victimas, sed vanarum tuarum cogitationum, quæ in altis habitant. Ne nimium assurgas, si vides multiplicari semen tuum, & lucere velut stellas cæli, salubrem tibi memoriam refricat tui pulveris arena maris. Neque in monte semper illimis aër. Testis Rachel, quæ illuc idola transtulit, & ne â Labano sibi aufferrentur, ibi ascondit: *comprehendit in monte . . . illa festinans abscondit idola.* Gen. 31. v. 23. & 34. Esau reproborum exemplar & ipse tabernaculum suum in monte fixit, & tu credis pietatis palæstram. *Habitavitque Esau in monte.* Gen. 36. 8.

Rursus reponis, montem fuisse con- 54.
scensum â Moyse, ut legem Decalogi ibidem reciperet. Benè est, si mandatum accepisti à Domino, & nihil quæras præter unum legis divinæ beneplacitum sine metu Sinai culmen ascende. Sin autem non, ùt Moyses, sis factor, sed ut populus prævaricator legis, id potiùs tibi dictum puta: *cavete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Exod. 19. v. 12. Si solus contactus montis, & quidem sancti, ac Deo sacri, in quo lex immaculata scribitur, ipsa morte punitur, quâ pœnâ dignus erit conscensus montis, in quo nec Deus, nec lex sancta habitat, sed Satanas, ut in sui obsequium vanis promissis incautos trahat. *Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. 4. v. 8. & 9. Si Deo homini in monte luctandum, ut dæmonis artes eludat, quid tibi homo vane in his culminibus promittis? Aaron in monte sacrarum vestium jacturam passus est. Numer. 20. v. 22. Dux populi Moyses ipsius vitæ. Deut. 34. v. 5. Et hæc quidem in conspectu terræ promissionis, quam videre poterant, ingredi sic disponente Deo non poterant, & tu tibi montes aureos promittis? neque regeras, si Moyses in Sina mortem invenit, Servator in Thabore triumphum adornavit. Verissimum

ſimum id, ſed & hîc apparuêre veſtigia crucis, ê qua pendens ſubin obiit in monte calvariæ: rei teſtes habes cum Moyſe Eliam: *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.* Luc. 9. v. 31. Hæc tu tibi in monte crucis trophæa cape. Apoſtoli certè inter hos ſplendores Thaboræos non minùs in tenebris hærebant, quàm ſubin in monte Olivarum: *Petrus autem, & qui cum illo erant, gravati erant ſomno.* v. 32. Quis ad montis conſpectum non trepidet, ſi viderit, etiam ſelectiſſimos Chriſti diſcipulos Cimmeriis verſari in tenebris, dum Magiſter copioſius affundit, ac ſolis meridiani, jubar? Dormiunt, licèt vocem attollant Prophetæ, licèt de cœlo pater inclamet, ut dilectum filium audiant. Verè inprimis Petrus totus obdormiît, dum oblitus muneris ſibi demandati, mundo ſcilicet ad Deum convertendo, invigilaret, ipſe unicè Thaboris commoda ſomniat, dum dicit: *bonum eſt nos hîc eſſe.* Math. 27. v. 4. Nec ſolùm obliviſcitur curæ ſuæ Paſtoralis, ſed & ipſius Chriſti Paſtoris, id enim ſibi dicit, non Domino: *bonum eſte, hîc eſſe:* idque tunc dicit, quando evanuit Moyſes legis Præco & Elias jejunii Encomiaſtes, ùt expreſsè advertit ſanctus Evangeliſta Lucas: *& factum eſt, cùm deſcenderent ab illo, ait Petrus ad Jeſum, bonum eſt, nos hîc eſſe.* Luc. 9. v. 33. Omnes laudant legem in monte latam, ſed pauci in monte faciunt legem. Erigentur templa & aræ, ut nobis benè ſit in monte, ut ibidem eò commodiùs figamus tabernacula, Moyſen abire permittemus cum tabulis ſuis, ne mandata Domini verſentur jugiter præ oculis, atque etiam Eliam haud gravatè dimittemus, ne jejunio ſuo identidem inculcet abſtinentiam vitiorum. Denique id certum, Petrum neſciiſſe, quid diceret, quidve peteret, aut appeteret, non enim ſciebat, quàm malè haberet, dum putabat ſe benè habere. Ego ſcio Patrem dixiſſe: *ipſum audite.* Matth. 17. v. 5. Non ipſum videte in ſuo ſplendore aut gloria· Filium verò, ſi quid etiam vidiſſent, prohibuiſſe propalari ulteriùs: non enim ſuos volebat æmulatores gloriæ ſed contumeliæ; non ut montem aſcenderent, ſed infra terram ſe deprimerent. Hinc tumuli mentionem ingeſſit dicens: *Nemini dixeritis viſionem hanc, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* v. 9. Præterea deſcendendo de monte glorioſo, illicò ſalubrem memoriam refricat ignominioſi illius, quo inter mille opprobria animam erat exhalaturus. Fortè alius quàm Dei filius ex gloriæ culmine non deſcendiſſet, ſed præceps ruiſſet, imò etiam ipſe deſcendit ita de Thabore, ut ſubin in Calvariæ montem aſcenderet.

Cavendum ſanè â montibus, in quibus non niſi ſiniſtra occurrunt auguria. In Gelboinis pereunt fortes: in monte teſtamenti cecidit de cœlo Lucifer: ipſe Chriſtus velut inde ſibi timens magnis paſſibus illos emetitur: *Saliens in montibus, tranſiliens colles* Cant. 2 v. 1. licèt in vallibus lilii inſtar florentis diutiùs moretur: *Ego flos campi & lilium convallium.* ibid. Montes fugite mortales,

tales, reproborum hæreditas sunt, & possessio, electis autem dicitur: *Sufficit vobis circuire montem istum*, neque enim palmam terræ hujus iis dabo, quibus terram promisi lacte & melle fluentem. *Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.* Deuteron. 2. à v. 3. Malus Spiritus nos erigit, bonus deprimit. Hinc Joannes *vidit Spiritum Dei descendentem.* Matth. 3. v. 16. Isaias verò Spiritum Luciferi ascendentem: *In cœlum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum.* c. 14. v. 13. O superbiam! filius Dei, cui debetur omnis sublimitas solem non transcendit: *In sole posui tabernaculum meum.* Ps. 18. v 6. Et tu ulteriùs conaris, me, solem, stellas atque ipsum Creatorem vis habere sub pedibus tuis? cum stellis tuis cades: *stellæ cadent de cœlo.* Matth. 24. v. 29. Et si sidera, quæ nihil terrestre habent, limpidissimæ cœli faces certò certiùs cadent, quia in sublimi locatæ sunt in rerum primordio, quid illis fiet, qui terra, & lutum sunt, si præsumpserint stare in excelso?

56. Stellæ cadent, & cur non ipse sol? nempe quia licèt siderum princeps habeatur, infra ea tamen locum tenuit. Qui altiùs assurgit, profundiùs cadit. Dux Israëlitici populi instanter petiit sui remo suo munere liberari: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum.* Num. 11. v. 14. stetit quidem in throno hoc, sed 70. seniorum fultus præsidio, & Dei familiari, eóque frequenti colloquio. Injussus illum ipsum thronum conscendere attentat Coreb cum asseclis suis: *Multùm erigimini filii Levi.* Num. 16. v. 8. *& confestim disrupta est terra sub pedibus eorum aperiens os suum ... descenderúntque vivi in infernum.* v. 33. *& tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata usque ad infernum demergêris.* Luc. 10. v. 15. non potuit urbs ista altiùs caput erigere, nec profundiùs in ima subsidere. Spiritus nequam Christum ad summitatem templi sustulit: *Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi,* Matth. 4. v. 5. idque non in alium finem, nisi ut inde præcipitem daret. Spiritus Domini consulit, ut illicò descendat, qui inconsultè nimium ascendit, ùt liquet in Zachæo, cui Jesus dixit: *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Luc. 19. v. 5. quasi diceret, nisi descenderis, nec me hospitem, nec salutem in domo tua hodie sponsam habebis. Caveamus proin nobis à montibus, & soliciti quæramus, & amemus planitiem, ac valles, quæ illorum ruinis diteścunt. In valle terebinthi triumphavit David de Goliat. 1. Reg. 6. v. 2. in valle floret is, qui se nuncupavit: *Lilium convallium.* Cant. 2. Abundantia promittitur vallibus. Isai 6. v. 14. si intuemur montium pericula, ùt quid non timemus? si vallium commoda, cur hîc non habitamus? Psaltes regius fidem facit, mortem esse homini propriam, casum præcipitem solùm principi; *Vos autem sicut homines moriemini,*

mini, & ſicut unus de principibus cadetis. Pſal. 81. v. 7. loquitur hîc David cum diis terræ, & filiis excelſis, in hoc ſenſu, quos vulgata nuncupat *Gigantes*, ſanctus Hieronymus vertit *cadentes*, alii *heroës* ſuper id Gen. 6. v. 4. *Gigantes erant ſuper terram*, ut inde appareat, quàm non procul abſit ab elatione lapſus. Etiam Politicus pro miraculo habuit, quod Piſo ad culmen dignitatis evectus ordinario fato, & non inſigni aliquo caſu occumberet. *Lucius Piſo maximus Pontifex, in tanta claritudine imperii, fato obiit.* Tacit. in annal.

Idea X.

Mundi gloria, inane phantaſma.

87. ADhuc ſuis ducti affectibus Servatoris diſcipuli, ambitione quoque pulſari ſe ſinunt. *Facta eſt contentio inter eos*, inquit ſacra pagina, *quis eorum videretur eſſe major.* Luc. 22. v. 24. Non litigant de eo, quis reverà excederet alterum meritis, & prærogativis, ſed quisnam videretur excedere. Hoc nempe ſibi proprium habent majoratus omnes mundi hujus, toti, quanti ſunt, denique reducuntur ad *videri*, in vanas apparentias, in phantasmatum inanes luſus abeunt: teſtetur id vaniſſimæ gloriæ primus aſſecla dæmon, ut hic Jeſum tentaret, quanta maxima poterat arte, ac doloſa ambitionis eſcâ, *oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Matth. 4. v. 9. Oſtendit procul, ne, ſi cominùs gloriam eam videret, horrorem potiùs; quàm illicium cauſaret. Oſtendit in ictu oculi per tranſennam, in futili apparentia, ita, ut ſolùm videretur, reverà nihil eſſet, niſi vana repræſentatio, phantasma inſtantaneum, quod, dum apparet, diſparet, quíque illud vidit, nihil porrò de eo habeat, niſi, quod viderit. Et umbræ inſtar fugitiva hæc gloria totum denique eſt illud, quod dat, & dare poteſt dæmon: *hæc omnia tibi dabo.* Et tamen iſtud ipſum eſt, quo tot mortalium oculi excæcantur. Illuſionem hanc non incongruè dicetis ei ſimillimam, quæ in oppoſita fluminis ripâ ſtanti exhibetur, ubi in aquis objecta, circumſita videntur quidem, iis tamen nullatenùs inſunt. Hinc David deceptiones iſtas ab aliis ſibi in perditionem obtruſas meritò cenſuit meriſſimas fabulas: *Narraverunt mihi fabulationes.* Pſal. 118. v. 85. in quem locum ſanctus Auguſtinus, Serm. 4. de verbis Apoſt. dicit: *narraverunt mihi delectationes.* Nempe non tantùm momentaneas; ſed & fallaces, utpote â mendaciorum patre iis vendi ſolitas, qui in mundi gloriis vanitatem ſectantur, & mendacium. Hac

ratione

ratione conciliabis Oseæ, & Jeremiæ textus geminos, qui in speciem videntur antilogiâ laborare. Utrobique de impiorum ingratitudine queritur Deus, quòd pro vilissimis mundi gaudiis regni cœlestis inæstimabiles delicias negligant. Id Oseas exprimit dicens, animam falsos suos adulatores secuturam quidem, sed non assecuturam: *Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos.* c. 2. v. 7. Jeremias ultrò testatur, quòd hi vanitatum sectatores denique eas etiam sint assecuti: *Apprehenderunt mendacium.* c. 8. v. 15. nempe non apprehenderunt id, quod quærebant, & apprehenderunt, quod non petebant; quidquid enim habere poterant mundi hujus prosperitatum, nihil aliud erat quàm merum mendacium; adeóque licèt hoc obtineant, nihil obtinent, nihil possident, nullum verum gaudium de mendaci hoc bono iis potest accrescere. Et in hunc sensum regius Psaltes cecinit vanis mundi amatoribus, *filii hominum, ùt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.* Psal. 4. v. 3.

58. Cupidorum oculi, ut experientia docet, & quæ expletam cupidinem subit pœnitudo, longè aliud, quàm viderant, obtinent. Aspexerat Eva vetiti fructus corticem, eúmque callidi serpentis fucatum coloribus, & oculis aspexerat cupiditate plenis. Pulchrum vidit, atque etiam bonum & delectabile ad vescendum: *Vidit, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile.* Gen. 3. 6. quòd fucus oculis placeat, quos fascinat, nihil mirum. Quòd verò bonum appareat, quod in se nihil habet boni, sed malum est pessimum, id non solùm mirabile, sed planè impossibile; nempe cæcis cupiditate oculis id vidit mater viventium, & idcircò omninò præposterè vidit. Dulcedinem vidit in amaritie, salutem in veneno, vitam in morte. Sed quàm citò periit, quod tam turpiter decepta vidit? *Ullulate*, acclamat Joël, *omnes, qui bibitis vinum in dulcedine*, & causam addit: *quoniam periit.* cap. 1. v. 15. transiit nimirum & illicò transiit delectatio omnis, unúsque supersest aculeus doloris. & idcircò propheta dicit: *qui bibitis*, dum actu, quam phantasia pingit, voluptatem somniatis, ecce jam *periit.* Hoc nempe vinum est, quod aurato calice meretrix illa Babylon propinat, aliam non habet dulcedinem, ac, quam cupido bibendi anhelat. Et licèt fortè momento suavis videatur, tocyùs mordet, ùt coluber. Hinc Stephanus Cantuar. in Tilmanno: *Adeò est instantanea delectatio, ùt potius dicenda sit præterita, quàm futura, licèt sit in præsenti.* Ut semel patris sui solium conscendit Salomon, nunquam Rex esse desiit, nihilosecius, illusione posita, liberè fatetur, se fuisse regem, ac si proin non foret: *Ego Salomon fui Rex in Jerusalem.* Eccles. 1. v. 12. fui, & non sum, quia uti Hugo Victorinus in hunc locum commentatur, licèt adhuc sim, clarè agnosco, id reverà nihil esse, quod sum. *Quid est fui?*

inquit prælaudatus Hugo. *Fui, jam non ſum, quia etſi ſum, id ipſum jam nihil eſſe agnoſco, quod ſum.* apud Pinedam. ibid. Vaniſſimæ ſuperbiæ anteſignanus Lucifer aliquando lucere quidem eſt viſus, ſed fulguris inſtar tale evibrantis lumen, quod vix oritur, & moritur, dum accenditur, extinguitur, totum, quantum eſt, in fumos & ſcoriam abit, ita teſtatur Jeſus: *Vidi Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc. 10. v. 18. eſſe, lucere, cadere, incendi, & abire in cineres, aut omnino perire hîc juncta invenies. In hunc ferè modum etiam locutus David Pſal. 36. *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani, tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non inventus eſt locus ejus.* v. 35. ſic evaneſcunt, vel nunquam revera ſunt, gloria & vanitas impiorum: quòd ſi res ita ſe habet cum ſceleſto, quem Propheta regius dicit *Superexaltatum*, ſeu ab aliis exaltatum: quid illo fiet, qui ſe ipſum exaltat, & undique utris inſtar ſuapte ſponte intumeſcit? *conſiderate*, inquit Chriſtus, *lilia agri.* Luc. 17. v. 25. Hæc licèt omni Salomonis gloriâ haud inferiora, attamen paulò pòſt fæno comparantur; *quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur.* Fuit, ſed jam non dicitur lilium, fænum modò eſt, quod manè floret in agro, & veſperi ardet in igne, in fumos denique reſolvendum. Si ergo tota Salomonis gloria, cujus ectypon lilium, jam flos eſt, dein fænum, antea ſceptrum, poſtea truncus, modò agri decus, paulò pòſt nihilum; vanitatum ſectatores diſcant, non tam ſe in liliis ſuſpicere, ſed in vili fæno ſalubriter deſpicere, & memores ſint majorem facem, licèt lumen ſpargat capioſius, longè citiùs tamen in fumos abire, quàm exilem cerei flammulam. Non ſic gloria cœli, qua juſti fulgebunt velut ſtellæ, & quidem in perpetuas æternitates, *manſionis*, proin ſeu permanentiæ nomine â Chriſto inſignita: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Joan. 14. v. 2.

Id probè intellexit, atque etiam docuit Samaritana, cùm ad primos lucis tenebricoſæ ejus menti â Chriſto immiſſæ radios in putei figura ad umbravit vanas mundi glorias, & fugitivas delicias: *puteus altus eſt.* Joan. 4. v. 10. Quid hoc, puteus eſt, quomodo ergò altus? profundus alius diceret. Sed non ita mulier ſuperno jam colluſtrata lumine: puteus eſt, & altus eſt, & quidem quò altior, eò etiam profundior, magis terram penetrat, propior fit inferno. Id nempe proprium altùm petentis mundi faſtui: gloriæ videntur altitudines, & nihil ſunt, niſi profunditates, ad apparentiam in cœlum aſſurgunt, re ipſa in imum hiant inferorum. Aſcendere te putas, cùm illas ſequeris, profundè tamen deſcendis, ubi denique aſſequeris. Infelix altitudo, quæ vera depreſſione falsò attolleris! hoc ipſum confirmat gentium Doctor, dum dicit perituræ vitæ res videri in ſpeculo: *nunc videmus per ſpeculum.* 1. Corinth. 13. v. 12. Inibi ſiniſtra exhibentur dextrorſum, & 59.

Zenit

Zenit seu verticale punctum, quò si um est altius, eò apparet demissius, & ipsa putei profunditas seu *Nadir* punctum vertici oppositum, eò sublimius cernitur, quò fuerit centro terræque vicinius. Veritati procul dubio congruit altitudo cœli, & profunditas putei, sed non congruit hominis vanitati, quæ, vel videre se putat, vel etiam saltem in phantasticæ mentis speculo videt oppositum. Mundo videbatur tunc gloriæ culmen adeptus Servator, quando turbæ eum querebant facere regem, cúmque ipse fugiens regios titulos sublimitati throni se subtraheret, revera alta, non ima petiit: *fugit in montem ipse solus.* Joan. 6. v. 16. Nempe tunc quis excelsa scandit, tunc ad sublimia enititur, & exaltatur, quando â falsis mundi altitudinibus, quantùm valet, recedit. Hoc solùm est verè ascendere; omne, quod huic contrariatur, nihil est aliud, quàm merum descendere. Dicit regius Vates: *quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta â longe cognoscit.* Ps. 137. v. 6. Si ipse *excelsus*, necessum erit, ut longiùs ab illo distet, quod infra terram deprimitur, quàm quod supra illam assurgit: ita quidem videtur, atque etiam ita foret, nisi altitudines mundi forent idem, ac profunditates. Sed non est ita, uti videtur, Deus res videt, neque aliter videre potest, quam re ipsa sint. Arborem conscendit ille in Judæa Zachæus: *ascendit in arborem.* At illicò Christi ore jubetur festinanter iterum ad inferiora delabi: *Zachæe festinans descende.* Luc. 19. v. 5. Nempe sic demittere se apparenter debebat, qui in supremam filiorum Abrahæ sortem elevari cupiebat. Erroneè scilicet, ac prorsus inverso modo omnia effingit phantasticum nostrum speculum, alto locô, quod humili consistit, bonum repræsentat ùt malum, dulce amarum, gaudium tristitiam, & gloriam ignominiam, & vice versa.

Sanctus Paulus dæmones vocat: 60.
mundi Rectores. Ephes. 6. v. 12. Vel *mundi tenentes*, ut Tertull. L. 5. c. 18. sive *mundi potentes*, ut Hilarius in Psalmos. De quibus etiam Christus Luc. 22. dixit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* v. 53. Qui isthæc audit, felices fortè dicet, & invidiâ dignos, si vanitatis oculis hosce rectoratus inspiciat. Quis autem credat, iis, qui tam malè de Deo meriti sunt, obtigisse invidendum præmium, & non potiùs formidandum supplicium? imò verò acutè notat divus Augustinus, idcirco dæmonem rectorem factum esse bonorum terrenorum, quia reliquos malitia præcessit. Mundi accepit dominatum, quia in malo habere voluit primatum. Hæc pœna fuit maligni non præmium, supplicium fuit, non merces. *Rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, magistratus hujus sæculi â Domino dicitur.* De Serm. Domini C. 14. Et verò quod majus esse potest misero tormentum, quàm memoria amissæ felicitatis: *infelicissimum infortunii genus*

est, fuisse felicem. Boëtius. In hac autem hujus mundi rerum instabilitate, atque præsertim in vanitate mundanæ gloriæ, nullus hoc potest evadere supplicii genus, nec non sentire suam infelicitatem, si fuit aliquando felix.

Idea XI.

Nihil stabile in vanitate mundanæ gloriæ.

61. UT suam stabiliant feliciùs sortem filii Zebedæi, sedem stabilem petunt in aula Dei â Christo Domino: *dic, ut sedeant.* Matth. 20. v. 21. Sed revera nesciunt, quid petant, ùt eis Jesus respondit: *nescitis, quid petatis.* v. 22. An non enim stultitia manifesta, petere soliditatem spumæ, quietem vento, firmitatem fluctibus, sedem, seu consistentiam volubili rotæ? eodem passu, quo nos movemur, omnia, quæ in nobis sunt, moventur. Est effatum certum naturalis scientiæ: *motis nobis moventur omnia, quæ sunt in nobis.* Nec aliud quid in re morali contingere, obvia reflexio docet. revolutionem suam rota, quam Fortunæ symbolum appingunt, nunquam perficiet, nisi in ea quoque volvantur, quæ rotæ inhærent. Dum illa parte, qua orbita vertitur, assurgunt sceptra, coronæ, peda, mytræ; parte altera descendant, oportet alia ejusmodi nunquam pedem figentis sortis munera. Dum primum dedit populo suo regem Deus, ungi eum jussit, coronam veluti in unctione tribuens, quæ, ut scimus, est prodromus mortis. Nempe ostendit Deus in Saule, idem esse Regem institui, ac morti constitui propiorem, nec posse regnare, nisi, qui velit mori. *Qui in culmine ponitur, Sacramenta suscipit unctionis.* Gregor. leg. 4. cap. 15. in 1. Reg. c. 10. malè sedet, qui sedi mortuali insidet, malè tuta est turris arenæ imposita, & pejus quid attentet, qui solium parat figere in instabilitate gloriæ mundi, hæc uti nihil habet veri, ita nihil spondet firmitatis.

Describit Ezechiel gloriam Tyri ac prosperam sortem, nihilque omittit earum, quæ mundus dare potest, etiam in montibus aureis prosperitatum. Sed omnem hanc superbæ urbis felicitatem navi committit, quæ modico vento agitur, parva tempestate fluctuat, & non magis â submersione distat, ac unius est tabulæ crassities. Si verò sursum eluctetur, nullo alio fulcro nititur, quàm in fluctum coacta maris spumâ, ut lapsu subin graviore ruat. leg. Ezechielis cap. 27. Ubi minutatim describitur navis apparatus omnis, carbasa, remi, funes, anchoræ, sedes, cubilia & reliqua in hanc rem facientia. Unum deest *anchora* navigii firmitas & securitas.

Mun-

Mundanam gloriam in Tyro ad umbratam vides; talis eſt, quæ ſuperbis ſuis thumbis patenti oceano inſiſtat quidem, ſed nunquam, anchoræ defectu, in portu tranquilla conſiſtat. Licèt transmittatur, id poſſe mundum, ut ſuis det plauſus, ſplendores, divitias, honores, gloriam, & potentiam, nulli tamen promittere valet ejusmodi in bonis firmam, ac ſtabilem ſedem. Prima felicitas, quam unus alteri in hoc mundo invidit, fumi in cœlum aſcendentis figurâ apparuit. Ita illam vidit Cainus, *quando reſpexit Dominus ad Abel & munera ejus.* Gen. 4. 4. Fumum vidit omni vento detorquendum â recto tramite. Quo cæteri intelligant mortales, nihil eſſe in bonis ſtabile, illuc facilè redire omnia, unde emerſêre in nihilum, levi etiam aura diſſipari mundanas glorias, uti holocautomatum fumos.

62. Simile quid oſtenſum eſt Moyſi in flammæ imagine, cujus ſplendor omnis denique reſolvitur in fumum, & omnino evaneſcit. Rubum coronabant flammæ, ſicut enim ignis inter elementa principem locum tenet, cæteris ſuperſtans, ita per ignem optimè exprimitur cor ambitioſum, ubique primatum quærens. Nec abludit â ſymbolo lux ignis ardens pariter & conſumens, & in rubo figens ſedem; hanc, ſi thronum elementi principis dixeris, ſpinis undique cingi memineris. Mos quoque iſte mundi eſt principum quorundam. Hi relictis cedris, lauris, & palmis, nec non aliis generoſis plantis, luce ſua colluſtrandam aſſumunt rubi, objectam ſtirpem, ſed quibuscunque radiis vilis hæc generatio favore principis fulgeat, rubus denique erit, & rubus manebit. Dum hiſce inundatur lucibus, plurimorum oculos rapiet, qui vix ſolutis calceis propiùs accedere audebunt obſequii & venerationis ergò. Illuc ſe feſtini conferent paſtores relictis etiam in deſerto ovibus, ac nulli non expoſitis periculo, rubum ardentem circumſtabunt, donec aura propitior afflet, & ipſi ablegentur in Ægyptum, & fiant Dii Pharaonis, aut potiùs aulæ, & ambitionis vilia mancipia. Sed totus hic oculorum in rubum ardentem defixorum ſtupor, tota hæc animi admiratione ſuſpenſi, & cordis ſe ipſum in nimia hac luce non ampliùs agnoſcentis attractio, omnes hi luminis diffuſi per circuitum globi, quæ noctuarum harum oculos excæcant, nihil denique ſunt aliud, niſi repræſentatio umbratilis, phantaſtica apparentia & meriſſima oculorum faſcinatio: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Exod. 3. v. 3. Sed nihil hîc, quàm *viſio.* Re ipſa rubus intùs & fòris totus manet rubus. ubi tranſierit flammeus ille ſplendor, quem Moyſes vix cominùs intueri audet, rubum bubulcus putabit, proteret, incendet; quin ipſi boves, & pecora campi gramina rubi teneriora vel dentibus carpent, vel cornibus diſſipabunt, vel ungulis disjicient. Ex mille unum Sejanum concipe, rubum ſanè, ſi quis alius in Romano orbis theatro ſplendentem! vix favoris radios â Sejano ſubtrahit Tiberius, & en! Sejanum popu-

popularis odii victimam, & rubum crudissimis modis extirpatum radicitùs. Verùm ùt ùt maneat rubus flammis his non combustus, manent tamen etiam spinæ, quæ post transitorium illum splendorem pungunt acriùs, scilicet lucis amissæ dolore, quæ tandem nihil fuit aliud, quàm momentanea visio, *hinc vadam, & videbo*, & festinatione hîc opus, ut videas *visionem hanc magnam*, si enim vel modicum tardaveris, omnis flamma evanescet, solus rubus apparebit ascititio cassus lumine, suis tamen armatus spinis, quippe ingenitis, ut etiam in tenebris aculeum figant: ito jam, & stabilem tibi in flamma sedem finge; prodigium sit, si te non consumat, quid majus prodigio, nisi momento ex oculis dispareat. In Thaboris gloriâ Rex supremus locô vestis purpureæ candorem nivis induit, & pro aurea corona solem imponit fronti: *& resplenduit facies ejus, sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* Matth. 17. v. 2. Magna sanè gloria! ingens splendor! at verò cur soli tam vicina nix, sol nivi? ut scilicet jugi liquefactionis metu ab ardore solarium radiorum in officio contineatur aquea hæc spuma, & Phœbus sui splendoris velamen jugiter habeat præ oculis, niveum videlicet vaporem, fors brevi in nubem abiturum. En! neque Christus Dominus in hujus transitoriæ vitæ Thabore sedem figit! ùt ùt ibi omnia luceant, non sine metu lucent amittendi splendoris; sic nil stabile sub sole, transeunt omnia. Nix exposita soli primò in aquam solvitur, subin concrescit in nubem, quæ & Phœbum obnubit, & radiorum ejus vim hebetat. Si tam instabilis etiam in Christo, qui æternas meretur, sese ostendant hujus mundi gloriæ, quid iis fiet, quibus nihil debetur nisi confusio? id quoque animadversione dignum: Domini faciem non fuisse solem, nec vestimenta ejus nivem, sed sicut *sol*, & sicut *nix*.

Quisquis itaque alta petiit, paulò 63.
post sponte sibi descendendum certò sciat, cùm enim in culmine rotæ in orbem actæ nemo diu subsistere valeat, ima ipse suapte electione repetat, nisi ingratiis suis, vel casu, vel vi deturbari inde velit. Hoc suæ concionis thema selegit Sanctus Joannes in deserto, prædicans Baptismum pœnitentiæ: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur* Luc. 3 v. 5. nempe qui vacuam humilitatis sedem libenter occupârint, gratiarum plenitudine replebuntur, qui verò alta superbiæ culmina tumore pleni inhabitare voluerint, vel inviti ad ima depellentur. Et hoc universim est providentiæ fixum decretum: *Omnis mons humiliabitur*, sive sublimis fuerit Babylonis statua quocunque præfulgens auro, sive Philistæus gigas, quidcunque aliis metu carneæ molis conterritis, arroganter improperet. Ipsæ petræ, aut lapides veritatem hanc inclamant. Is, quo â Davide prostratus Goliathus nec crescit, nec exaltatur, neque etiam in trophæum, aut monumentum perpetuum tantæ victoriæ eri-

erigitur, aut aſſervatur. Lapis verò Danielis excreſcit in montem excelſum, & terraquam undique ambit: *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Dan. 3. 35. Lapis uterque vincit, uterque ferit & proſternit, quare ergò non ambo poſt victoriam triumphos agunt? quare lapis Danielis in montem aſſurgat, & Davidicus lapis modicus remaneat? ratio eſt, quia poſterior in altiora eluctatus eſt; quò vinceret, ipſum giganteum caput appetiit: *percuſſit Philiſtæum in fronte.* 1. Reg. 17. v. 49. Frontem coronatam laurô aggreſſus eſt, ut inde raptam gloriæ coronam ſibi imponeret. Itaque lapis iſte factus in petram ſcandali *humiliabitur*, nec unico pulviſculo augebitur, nec triumphum, aut plauſum feret. Lapis contra Nabuchodonoſoreæ ſtatuæ victor è monte ſponte deſcendit ad imum ſtatuæ, néve porrò vel ſolùm aſſurgeret, in coloſſi pedes generoſè impingit, & uno ictu gloriosè hoſtem proſternit: *Abſciſſus lapis de monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus.* Dan. 2. v. 34. Ergò *implebitur* lapis iſte vallis inſtar ſeſe humilians, creſcet in mille millia, & triumphis cingetur undique, ac lauris totam trophæis ſuis replebit terram.

64. Ecce hîc, quod in tragædiis mundi ploratur quotidie; mons ſuperbus humiliatione deprimitur, ídque ei adimitur, quo ipſe intumeſcit, & vallis humilis erigitur, atque diteſcit ſpoliis alienis. Modeſtia ex pulvere ad ſolium attollitur, â throno in lutum præſumptio ejicitur. Mardochæus â veſtibulo in regium cubile aſſumitur, Amanus hinc ad furcas abripitur. Cogitat Lucifer ſupra cœli ſidera aſcendere, & momento in inferorum abyſſos temerarius demergitur. In ſomno videtur ſublimis aſſurgere Nabuchodonoſoris ſtatua, & eodem adhuc exhibente luſus ſuos in pulverem tota comminuitur. Vix alius ejus generis Morpheus ad cœli culmen elevat arborem eidem Regi dormienti oſtenſam, *& proceritas ejus contingens cœlum.* Dan. 4. 8. Illámque ramis per totum orbem extenſis prodigiosè dilatat, cùm ecce fatalis jam fertur ſententia; *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus.* ibid. v. 11. ut inutilis truncus jaceat, qui paulò antè dominatum in omnes ſibi arrogabat. Vox clamantis in deſerto ubique perſtrepit: *Omnis vallis, omnis collis*, & addit Iſaias: *incurvabit inhabitantes in excelſo.* c. 26. v. 5. vel, ùt habent ſeptuaginta: *qui humiliâſti, & detraxiſti eos, qui habitant in excelſo.* Facilè eſt captu, quomodo Deus illos humiliaturus ſit, qui in excelſis degunt; qua autem ratione humiliârit: *qui habitant in excelſo*, non eſt intellectu tam obvium. Verùm enim verò ita planè eſt, ita ſemper fuit, & erit, quia nempe in ipſa elevatione mundana jugiter inveniunt depreſſionem ſuam, ac certam perniciem. Quis vilius ſervit, quàm, qui nititur imperare omnibus. Omnibus ſe ſubjiciet, qui aſpirat habere locum ſupra omnes. Quò al-

tiùs caput arbor erigit, eò profundiùs humi radicem defigit. Hinc Virgilius:

Quantum exsurgit in auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit. Æneid.

vel aulæ mancipio turpiter blandietur, ut vel sic mendicet accessum ad Principem: sexcentis promissis aures pascet famulorum, ut vel unicum obtineat meriti gradum apud Dominum.

65. Notat Oliva Strom. tom. 3. pag. 424. in sacris paginis superbiam, & ambitionem vocari *Cedros Basan.* Is. 2. v. 13. *Basan,* eodem teste, idem sonat, ac ignominiam. Hoc ipsissimum est ambitio, honor, & gloria mundi: *Cedri Basan sunt seu* ignominiæ furculi, aut si mavis trunci, nam etiam *quercus Basan* superbi illi ibidem dicuntur, homines illi glorioſi, & vanitate turgidi, homines sunt ignominiæ pleni, dum toti gloriam crepant. Ex quercu olim texebantur serta victoribus: hæc est ignominia de ambitione triumphans, quòd vel ipsis coronari debeat opprobriis. Et verò quænam major elatæ mentis ignominia, quàm præmii locô coronam referre ex ejus arboris contextam foliis, de cujus fructibus vix pannosissimi homines implere ventrem cupiant: nempe *de siliquis, quas porci manducabant.* Luc. 15. v. 15. Cupitæ escæ sient humani cordis eæ frondes, quarum baccas vix non nauseant ventres immundi! huccíne scilicet recidit mundanæ vanitatis apparatus! istud denique consequitur ambitio, ubi etiam totum id, quod anhelabat, consequitur! ecce quàm tibi promittas in hisce gloriis subsistentiam, ubi omnis denuò gloria consistit in ignominia! Salomon id confirmat in stellione, quem Hebræi cum Jansenio Simiam vocant: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Prov. 30. v. 28. Hebræi vertunt *simia,* quid autem ad intentum Salomonicum facit Simia? multùm sanè: *Quia quando sursum illa ascendit, turpitudinem suam plùs ostendit.* Lyra in c. 7 Eccles. v. 5. nempe ubi in altum Simia assurgit, & se ipsam glorioſè attollit, opprobrium suum eò patentiùs oculis aspicientium exponit. O quot in sublimi magìs prodidêre incapacitatem suam, ac demeritum! ad quid servit pigmæo Gigantea statio, nisi ut inde luculentiùs prospiciat indecora ejus parvitas?

Væ vobis glorioſi terræ, optimè 66.
in vos quadrat, quod dixit Isaias: *Væ qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum! & non interrogâstis os meum, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra, & erit fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Isa. 30. v. 2. & 3. Væ tibi ambitioſe! mactas te, & innumeris curis consumeris, quò denique Ægyptum teneas! hac viâ ascendere cogitas, & non vides omnem ascensum in Ægyptum esse merissimum descensum. Tu ipse malum tibi creas, dúmque Pharaonis sectaris favores, turpis mancipatûs tibi vincula iniicis: illuc curris, quò te fallacis lucis trahit apparentia! cave sis, rectà pergis ad flammas.

flammas. Vix Joſeph Ægyptius Prorex fatis ceſſerat, etiam fratrum gaudia deſiêre in luctum, triticum vertitur in paleas, & regiminis concepta ſpes in lateritios decidit puteos. Ne fidas potentiæ Principum, nec faventis aulæ favoniis, nec gratiæ ejus, qui gubernat, neque etiam cujusque patrocinii umbræ. Omnia enim hæc, & ſi quæ alia ſunt vanitatum illicia, omnia, inquam, vertentur in tui confuſionem, & ignominiam, ſtultum eſt lucem quærere in tenebris, aut in umbra. Umbratile eſt quod concupiſcis, in quo fiduciam tuam reponis. Felicitas quam in Ægyptum retroſpiciens ſomnias, imago fortè poteſt eſſe felicitatis, haud vera, multò minùs ſtabilis, poterit eſſe felicitas. Cogitas te manu prehenſurum ſortem bonam, nil invenies, niſi merum nihil, quod illudat tibi, ùt cani famelico panis in aqua viſus. Si lucem petis, ſolem cœli ſectare, non Ægypti umbras? umbra hæc eſt, & hanc quoque amittes, quàm primùm ſol ſuper te ſuos oculos clauſerit.

Idea XII.

Suis in honoribus ambitio damna quærit.

67. *Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*, inquit Chriſtus diſcipulis ſuis Matth. 19. v. 28. Quare ergò alia vice idem Dominus dilectis Joanni, & Jacobo petentibus in regno cœlorum ſedere ad dextram, & ſiniſtram Magiſtri ſui repoſuit: *neſcitis, quid petatis.* Matth. 20. v. 22. atque etiam profitetur, *non eſt meum, dare vobis.* v. 23. Quare ſubin Jeſus ſuorum petitis jam denegat, quod antea ultrò iis promiſit? ita quidem prima fronte videtur, non tamen eſt ita; non negat altero loco, quod priori promiſerat, ſed meliùs rem explicat: *Calicem quidem meum bibetis.* ibid. Atque paſſionis, quam ego pro mundi ſalute perferam, & vos eritis participes? Quid hoc Domine? non petunt illi calices, & paſſiones, ſed ſedes, atque regna! hoc ipſum eſt, dicit Chriſtus, cur à me audire mereantur: *neſcitis, quid petatis.* Si putent thronum non eſſe crucem, nec ſceptrum calicem, nec ſedem tormentum, aut pati non debere, qui imperat, vel mori, qui regnat. In hunc ſenſum Doctor gentium dixit: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* 1. Tim. 3. v. 11. quaſi diceret benè laborare, aut operari debet, qui cupit hume-

humeris ſuis imponere Prælaturam. Oſtenderat Deus Iſaiæ gentium converſionem, & ſubjunxit: *Lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo.* Et quid vidit Iſaias? *Et florebit quaſi lilium.* c. 35. v. 1. deſertum ſcilicet albis floribus undique abundaturum. Apoſtolorum Principi idem fuerat oſtenſum, cùm mandatum accepit evangelizandi gentiles, & quid vidit Petrus? *Linteum magnum . . . in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ.* Act. 10. v. 12. Quid analogum habent cum feris lilia? ſub horum figura Iſaiæ, ſub illorum Petro deſignatur eadem gentium reductio. Quis amborum in ſua viſione decipitur? neuter ſanè, ſi attendamus ad utriusque videndi modum. Iſaias, ùt eſt Prophetis proprium, â longè videt, dum futura videt, Petrus veluti paſtor coram videt, ſeu præſentia videt. Etiam lilium quantumvis candidum viperæ inſtar ejus cor admordet, qui inter regiminis curas innumeras, etiam lilium curat. Quid â feris Prælati ferent, ſi vel flores aconita parant? præterea lilium, quod Iſaiæ floridum apparuit, pedum erat paſtoritium, aut ſi mavis, ſceptrum. *Et florebit quaſi lilium*, oculis intuentium ſuaviter adblandiens, ubi id â longè videant; qui verò cominùs etiam lilium tractat, velut ad aſpectum ſerpentis horret, lancinante præcordia ſolicitudine, ac vigili cura, quam hiſce quoque floribus impendere debet, ne emarceſcant. Non ſolùm virga Moyſis in colubrum vertitur: *Et verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes.* Exod. 4. v. 3. id quoque proprium eſt dominantûm omnium faſcibus, qui hos ſerpentes tollunt, rarò cavebunt, ne ſibi noceant. Videbatur Petrus alacri animo delatum ſibi â Chriſto paſtoris onus ſupra Dominicum gregem ſuſcipere, verùm ubi ter oneris ſui magnitudinem â Magiſtro edocetur, animo cedit, & obligatione penitiùs jam agnitæ ingemiſcit: *Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò: amas me?* Joan. 20. v. 17.

Jam patet, cur Jobo meliùs vertat 68.
ſterquilinium quàm ſolium: priori enim loco ſolùm plagis, & vermibus ſe afflictum vidit: *Putredini dixi, pater meus es tu, mater mea, & ſoror mea vermibus.* c. 17. v. 14. in purpura verò etiam draconibus ſe cinctum ſciebat: *Frater fui draconum.* c. 30. v. 29. inibi patiebatur quidem, ſed curis regni liber; hîc & plurima tolerabat, & inſuper regnabat. Proin leves reſpectivè erant vermium morſus, ſi comparantur venenatis draconum ictibus. Hinc David tyrannorum, ſeu re gentum imperium jugi potiùs, quàm regni nomine nuncupavit: *Projiciamus â nobis jugum ipſorum.* Pſal. 2. v. 3. quod ſolùm inſervit decumano labori excolendi agri Dominatoris. Idque inſuper notatu dignum, quod Regius Pſaltes vocet: *jugum ipſorum*, ne ſcilicet ullus invidiâ tangatur tam ſplendidæ paupertatis. Jugum eſt, & grave nimis, ſub quo ipſi laborant, & ſudant; ferendum tamen ipſis eſt, & trahendum, nec minùs ſub eo gement ipſimet,

met, ac populi, quos jugo hoc opprimere vellent. Sponsa, dum abdita deserti incolit, tota deliciis innatat: *ascendit de deserto deliciis affluens.* Cant. 8. v. 5. Ubi verò inter filias Regis ablegitur, spinas se calcare autumat: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2. v. 1. Sic regale lilium fert spineæ coronæ vectigal. Idem queritur Sponsus: in montium & vinetorum solitudinibus dies suos jucundè transigit: *est enim Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis.* Cant. 1. v. 14. In regio verò palatio: *dum esset Rex.* Cant. 1. v. 12. Dicitur: *fasciculus myrrhæ.* ibid. v. 13. omnia nempe ipsi versa sunt in amarorem. Hac ipsa de causa, cùm invitaretur â sponsa, *ad tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* v. 17. Illicò excusationem prætendit cum dicto: *ego flos campi, & lilium convallium,* Cant. 2. v. 1. Quasi diceret: cur me vocas ad palatium, cui quietior decurrit vita in campis, hîc floreo velut lilium, ibi gemo inter amaritudines, & spinas: quare me cupis myrrham fieri in aulis, quem florem vides in sylvis: nunquid sceptra porrigis, ut iterum dolere debeam? *manus meæ distillaverunt myrrham.* Cant. 5. v. 5. Sed quid mirum, si in his mundi gloriis bibi debeat vinum myrrhatum? etiam inter cœli delicias, ubi nullum dolor locum habet, ubi omnia virent & florent sine languoris metu, illi tamen, qui throno Dei propiùs assistunt, senii nôtas præferunt: *& in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor Seniores sedentes.* Apoc. 44. Ipse Deus in sua essentia æternus & immutabilis, quando regni sui occupat solium, canos ostentat: *caput autem ejus, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Apoc. 1. 14. Seniores illi coronam gerunt, regias sedes habent, sed & illa, & istæ canitiem omnibus affricant. Quòd hi ipsi Principes cælestis regni diademata sua ante thronum Altissimi projiciant, debitæ venerationis ergò factum credi potest, at etiam eum in finem potuisse fieri, videtur, ut scilicet â regiminis pondere non nihil quiescerent: *mittebant coronas suas ante thronum.* Apoc. 4. v. 10.

Jam verò non stupeo illa Christi ad 69.
Apostolos verba: *nolite timere pusillus Grex.* Luc 12. v. 32. Sed quænam hîc timoris causa? an fortè quis ipsis invidebit, quod futuri sint agni inter lupos? vel, an crucem Servator iis, ita confirmatis, animo tollendam præcipiet? aut gladius persecutionis instat, quo jamjam ipsi, & patres eorum jugulari incipiant? nihil minùs, de coronis, & regimine hîc sermo erit: *nolite timere,* inquit, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* ibid. Ecce magnum timoris motivum, â Patre dandum regnum, ne fortè, dum toti anhelant majestatem, opprimantur â gloria. Hac ipsa de causâ fors sanctus Petrus infra pedes demisso capite voluit in cruce mori, ut calce coronam & Regis nomen abigeret, quod etiam in arboris ignominiosæ culmine timuit, ubi illud positum viderat in cruce Magistri

ſui, vel, ut eo ſitu moriens conſiſteret, qui foret coronæ in capite ferendæ incapax. Sic crucem, martyrium, mortem egregius Chriſti aſſecla feret, gloriam Domini ſui, *Hebraicè*, *Græcè*, *& Latinè* ſcriptam, ſeu regium titulum non feret. Et hoc ipſum etiam Magiſtri exemplô. Obviam hic lætus ivit latronibus ſe ad diram mortem abrepturis, ab iis autem, qui exhibitæ ſibi beneficentiæ grati ad regnum ipſum quærebant, longiùs fugiet: *Jeſus ergo cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent. ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Joan. 6. v. 15. Profectò parùm ſapit, qui mundanam gloriam ſapit, qui ſceptra, & coronas petit! vel ipſe Pilatus id videtur agnoviſſe, dum infami ligno inſcripſit, & poſtliminiò rogatus eradere noluit regios titulos: *quod ſcripſi, ſcripſi.* Scripſerat autem hunc titulum: *Jeſus Nazarenus Rex.* Joan. 19. v. 19. Diſcant hîc omnes, etiam in Regum gloriis licèt tam ſublimibus occurrere cruces, & dura fata. Thronúmque regium non rarò eſſe ipſum ſupplicium, & confixum cruci ſtare diadema Regis. Errorem dediſcat ſtoliditas ambitioſa Scribarum, & Phariſæorum, Pontificum, ac Principum populi. Quidcunque moliantur, quo â cruce regnum, vel â regno crucem amoveant, nihil efficient: Pilati enim, vel potiùs Providentiæ Divinæ decretum eſt, nunquam porrò delendum: nullo tempore diademati cruces deerunt, neque ullus Rex occurret nulli affixus cruci. Continget quidem invenire cruces, ubi nulla ſunt regna, at verò ubi regnat Rex immortalis, aut mortalis quiscunque, ſupremi æmulus, non datur regnum ſine cruce. Si regium quid vides ſupra caput Chriſti, illicò coronam vides ſpineam in ipſo capite. Vix legi poteſt Regis titulus, quin oculum feriat ſertum ſpinis horridum. Qui nimiùm rapitur gloriâ Regis, ſalubri metu corripiatur ſpinarum crucis. Ambitio Pilati toti mundo fatetur, id quod regium eſt, cruci eſſe affixum. Paradoxum videbitur curarum regni inexpertis, jungi cruces ſceptris, at qui cum Romano hoc Prætore, in ſolio patitur curas, & cruces regni, fixum habet, ac in hunc ſenſum enunciat: *ê cruce pendens regnat.*

Undique magnificentiam ſpirat Regis Salomonis eburneum ſolium: at non cingebatur ſuavè canentibus luſciniis, ſed ferocibus leonibus ſolii brachia utrinque ſuſtentantibus, leunculi quoque accubabant ad ſolii gradus, ut memineris throni faſtigium ſcandi non poſſe, niſi inter leonum rictus: *Fecit quoque Rex ſolium ... & duos leones ſtantes juxta brachiola: ſed & leunculos duodecim ſtantes ſuper gradus.* 2. Paral. 9. â v. 17. Denique purpura elegans quidem, & oculos faſcinans veſtitus, exuenda eſt tamen, ubi oculis vis quietem indulgere. Non benè dormiet, cui purpureus ſplendor pupillam vellicet. Attende ſis ambitioſe, non omne, quod lucet, aurum eſt, ex ſterquilinio quoque emicant ignes fatui. Id quod tam ſollicitè cupis, 70.

cupis, cui perdius, & pernox inhias, si fortè obtineas, pondus erit non subsidium. Apostoli quando ad dextram navigii Christi monitô projecerunt rete: *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Luc. 5. v. 6. Sic tibi videntur felices hi piscatores post tantam capturam, sed intentiùs purum in eos obtutum defige, videbis anxietatis, ne pisces elabantur, & periculi, ne ipsi mergantur, curis plenos. *Rumpebatur autem rete eorum, & impleverunt ambas naviculas, ita, ut penè mergerentur.* ibid. En quid per totam noctem laborantes denique capiamus, curas, & anxietates, ne iis postliminio privemur, quæ tanto labore antè fueramus consecuti. Nunquam majus fractionis discrimen incurrit arbor, quàm ubi accumulatis fructibus deorsum curvatur. Nulla tellus tribulis & spinis magis horret, quàm nimia turgens fœcunditate. Quò altiùs attollitur nubes, eò citiùs liquescit. Sursum eluctatur vapor, concrescit in nubem, ignescit in fulmen, extinguitur ùt carbo. Vix lucet, jam ardet, & disperit. Ita Luciferi ambitio fulguris instar resplenduit, quasi ignis exarsit, ùt factus est averni titio: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc. 10 v. 18. Ita est, aurum hujus orbis est incensum, attamen vis ejus, & potestas jugiter myrrhæ est juncta. Ubi aurum accepisti, thus habes, sed myrrhâ conditum: *Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2. v. 11.

Idea XIII.

Quod tam anxiè quæritur, demum occidet. Error vulgaris, petere præposterè.

71. QUid denique in eo, quod tam anxiè quærit, obtinebit ambitio, si turpissimè hallucinetur in quærendo? pro omnibus illud ad discipulos quadrat: *Nescitis, quid petatis.* Matth 20. v. 22. ubi præposterè vel quæsierint, vel petierint. Miseri mortales, qui ipsi in nostra mala sponte ruimus! sequamur in rebus nostris alienum ductum, ne pereamus sequendo cæcum cupiditatis nostræ instinctum! nullus majora damna nobis inferret, quàm qui daret omnia, quæ nos reputamus nostra lucra! stoliditatis nostræ maxima pœna, præposteræ petitionis concessio prona! Petit Sara â marito Abramo filios, ex ancilla, accepit, ùt petiit, sed carò stetit petitio; ab Agare jam fœcunda contemni se videt: *Despectui me habet,* & prolem susceptam nec coràm ampliùs aspicere valet: *Ejice ancillam hanc, & filium*

filium ejus. Gen. 21. v. 10. Neque etiam Agari sua vota melius cessêre; somniabat illa dominium domûs Abramiticæ, siqua fortè sibi obtingeret puerperium; enixa est feliciter prolem masculam, & non solùm non se vidit dominam sed omnino Abrahami domo ejectam. Credebat in filio parituram se quàm optimam fortunam, & præter exilium vix non proli suæ peperit Libitinam: *Errabat in solitudine Bersabee ... non videbo morientem puerum.* ibid. v. 14. & 16. Rachel itidem â Jacobo filios postulat: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Gen. 30. v. 1. Exaudita est deprecatio ejus, filios habuit, sine quibus vivere non poterat, & propter filios mortua est, nam ex partu Benjaminico obiit: *Egrediente autem anima præ dolere, & imminente jam morte vocavit nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei.* Gen. 35. v. 18. Filios intuebatur, ùt causam lætitiæ, & facti sunt ei filii doloris usque ad mortis angustias matrem reducentis. Israëlitæ poscunt Deos ab Aarone: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. v. 1. Subscripsit petitioni Aaron, Deos habuerunt, & quidem aureos, in quibus non felicitatem sed interitum potarent triginta tribus millibus siccâ hausti. 16. v. 38. Idem Ægypti ollas necdum obliti, in deserto carnes petunt; concessit eas Deus severè in eos clemens: *petierunt, & venit coturnix.* Ps. 104. v. 40. Sed illicò petitionem secuta est perditio; *nam adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Ps. 77. v. 31. Idémque locus ubi saturati, nec fraudati sunt â desiderio suo, & tumulus fuit, & vitæ, & cupiditatis belluinæ: *vocatúsque est ille locus sepulchra concupiscentiæ.* Numer. 11. v. 34. Petebant hi ipsi Regem â Samuele jam pertæsi regiminis Divini: *constitue nobis Regem.* 1. Reg. 8 v. 5. Obtinuerunt, & denique cum Rege suo perierunt, in captivitatem abducti omnes, ludibriúmque facti gentium. Petiit â patre suo Samson Philistæam alienigenam sibi daret thori conjugem: *hanc mihi accipe.* Judic. 14. v. 3. Et paulò post mulieris loquacitate, Dalilæque perfidiâ infelix sponsus orbatur prævalidis, & plùs, quàm humanis viribus, oculis, libertate, & vitâ. Petunt filii Zebedæi æthereas sedes juxta thronum Altissimi. *dic, ut sedeant.* Matth. 20. v. 20. Et eximius hic honor passionis, & mortis amaritudine totus miscetur. Sic convivæ ad cænam magnam veniré jussi, se excusatos petunt â cœlesti Patre-Familias: *rogo te habe me excusatum.* Luc. 14. v. 18. Acceptata est excusatio, sed accessit insuper terribilis comminatio: *nemo virorum illorum gustabit cænam meam.* v. 24. Hoc ipsi petebant, sed ipsissimum hoc erit stultissimæ petitionis æternum supplicium: *sic faber est sortis quilibet ipse suæ*: sibi ipsi molitur quisque perniciem, & luet pœnam malæ, aut inconsultæ petitionis. Ita vindictæ cupidus, ubi, quod petebat, obtinuit, unà simul periit. Avarus in suis divitiis spinas invenit, lascivus in delectationibus tormentum,

mentum, ſuperbus in ambitione opprobrium.

72. Quàm malè Adoniæ vertêre repetitæ preces, ut ſponſam haberet â fratre Salomone Sunamitidem? ecce ſic orat Berſabee Regis matrem: *precor, ut dicas Salomoni Regi, ut det mihi Abiſac Sunamitidem uxorem.* 3. Reg. 2. v. 17. Atque etiam exorat: Regem proin gratificatura Adoniæ accedit Berſabee, & neſcia quid peteret, non credebat magnum quid in una ea Sunamitide ſe â filio petere. Sed aliter cenſuit parente ſua ſapientior Salomon, in nuptiis iis regnum ſuum, ac diadema periclitari acutè proſpiciens. Negata eſt petitio, quia in ea non dimidium, ſed integrum regnum claudebatur, & infelix Adonias *contra animam ſuam locutus.* v. 23. cum vita ſtultæ petitionis eadem ipſa die pœnas dedit: *hodie occidetur Adonias.* v. 24. *& mortuus eſt.* v. 25. Quàm meliùs res miſero ceſſiſſet, ſi Berſabee non tantum ejus precibus detuliſſet! Tentorium figere in deliciis Thaboreis parabat mari nectaris collo tenùs immerſus Petrus: *Bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula.* Matth. 17. v. 4. quid ais Petre? hîc ſtationem petis, quomodò ergò eris caput Eccleſiæ? ad quid inibi ſervient claves regni cœlorum? quomodò hac ratione redimetur mundus, conſummetur prævaricatio, finem accipiet peccatum, & delebitur inquitas? denique ſi hîc permanſeris perenniter, ùt tu deſideras, & his deliciis affluës, quomodò torrente voluptatis potaberis in regione, viventium, & videbis faciem Dei tui in tabernaculis beatæ Sion? nihil horum intelligit, nec perpendit Petrus, id ſolùm reſpiciens, ut modô ipſi hîc bene ſit, verè *neſciens, quid diceret.* Luc. 9. v. 33. Fame peribat filius prodigus, & vel viliſſimis eſcis ſublevare avebat jam deficientem animam, nemo tamen petitis tam juſtis, & extrema neceſſitate extortis ſubſcribebat: *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Luc. 15. v. 16. Petiit idem ipſe â patre ſuo portionem hæreditatis, & é veſtigio exauditur: *Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, & diviſit illis.* Luc. 15. v. 12. Hîc felicem ſe reputabat juvenis inconſultus, & felicitas imaginaria hominem perdidit. Ibi inter infelicitatis prodigia repoſitum jam ſeſe deflebat, & ipſa hæc infelicitas fuit cauſa unica ſalutis. Pater, qui filio dat, quod petit, filium perdit; villicus, qui immundi pecudis cuſtodi vel ipſas ſiliquas negat, ad mentem juvenem inſanum reducit; quod iſte cenſet propitiam ſortem, certa fuit pernicies; quod velut ſupremam in humanis miſeriam gemuit, optatiſſima erat fortuna. Nunquam ipſe ſciebat, quid peteret, ſemel cùm petiit, quod conceſſum â patre ſuo illum removit, iterum cùm petiit, quod negatum ad patrem poſtliminiò reduxit: lætabatur obtento eo, quod vitam miſello vix non eripuit, plorabat non conceſſo illo, quod inter mortuos jam cenſendum vivis reddidit: *Mortuus erat*

& revixit. ib. v. 32. an istâ major queat stultitia concipi: *Revera nescitis, quid petatis.* Modum ergò aliquando ponite desideriis,& petitis vestris mortales! in statera cordis & bilance mentis appendite, quæ appetitis, nam quod tam præposterè cupitis, sera aliquando pœnitentia, eáque nihil profectura damnabitis! quantùm laborat avis caveæ inclusa, ut carceris sui perfringat seras? quantum suspirat volucris, quæ nata est ad volatum, libertatem suam? casu denique istam obtinet, libera ac lætissima in auras evolat avicula, sed mala sua sorte primo in accipitris oculos, dein in ungues,& rostrum incurrit, ac cum libertate plumas,& vitam amittit, facta unicus rapacissimi ventris bolus. O quoties simili fato premuntur mortales futuri improvidi, dum tam ardenter præsentibus inhiant! magna pars hominum teste Seneca de tranquillit. c. 11. cùm se mari committunt: *nihil cogitant de tempestate.* Cui omnia plana videntur, antequam tabulæ manum applicet, aut iter pede carpat, aspera multa, & accessu invia repentè ostendet. Hinc prælaudatus Seneca Epist. 76. *Magna pars est apud imperitos mali novitas.* Cujus rei ratio obvia: *Quia tela prævisa minùs feriunt*, vel, ùt ipse loquitur, ibid. *Præcogniti enim mali mollis ictus venit.* Morosè proin cogita, an, & quid mali petitio tua inferre valeat. Levius incumbet, si ante timueris, gravius premet, si sui securum oppresserit, nihil ubi petitur tribuendum cœco impetui, sed libranda omnia ad lumen rationis.

Hinc ille, qui est lux mundi in- 73.
struere nos voluit, quo pacto petendum, si quis alius enim vel maximè noxius est petitionis error: *Vos ergo sic orabitis: Pater noster, qui es in cœlis.* Matth. 6. v. 9. Hem ad cœlos nos amandat veritatis Magister, ut petere discamus â beatis illis mentibus, quæ nihil petunt nisi rationabilia, & salutaria. Extra illam beatitatis sedem, mirum, si quid boni petant homines. Id certum maximi constituram ubique petitionem. Petiit Zebedæorum mater, & ut quid valeret petitio, emenda fuit latriæ cultu: *Adorans,& petens.* Matth. 20. v. 20. nec aliud retulit petitio, nisi repulsam, eâmque sensibilissimam; nam & ignorantiæ, & præsumptionis facta est redargutio: *Nescitis*, & morte in filiis lui debuit, *calicem quidem meum bibetis.* v. 23. Ipse Christus, qui mortalitatis subire voluit miseras vices, in horto Getsemani petiit calicis hujus transitum, & sanguine ei stetit in terram ê suo corpore largè defluente. Petiit in cruce cum lachrymis, & clamore valido, & confestim est mortuus. Ultima consummatio passionis Domini fuit petitio sublevationis sitis, quam & ipsam Redemptori suo hominum negavit monstrosa ingratitudo. Id Joannes testatur tragœdiæ oculatus testis: *Ut consummaretur scriptura, dixit: sitio.* cap. 19. v. 28. *& inclinato capite tradidit spiritum.* v. 30. Petiit, & mortuus est, consummavit petitionem, &

unà

unà absolvit vitam. Coronidem dirissimæ passioni imposuit illicò, ac fecit petendi finem. Ultima laus Gratiani, quòd fuerit *velocior in dando, quàm in desiderando vasalli.* Suetonius in eo. Quod adulatio fors tribuit gratioso principi, quotidie adscribendum magnificentiæ Dei. Petit ab eo veniam delinquenti populo Moyses: *Dimitte obsecro peccatum populi tui.* Num. 14. v. 19. & â Domino ressponsum accipit non futuræ, nec præsentis, sed condonationis præteritæ: *Dixítque Dominus, dimisi.* v. 20. Miseros nos, si in casibus infinitis clementia Dei esset fatiganda nostris precibus, sive dein viderit concedendum, sive negandum id, quod peti posset. Benignitas Domini hujus supremi prævenit servulorum vota. In ejus manus, & paternam Providentiam conjiciamus omne desiderium nostrum, quòd si quid petendum ducamus, ejus ductu petamus id, quod nos voluit petere. Scimus enim, quàm prona in illo sit voluntas dandi, qui etiam nos docuit artem rectè petendi.

Idea XIV.

Nescit quid petat, qui petit, quod nescit.

74. *Nescitis quid petatis.* Matth. 20. v. 22. Dixit prima veritas primatum in sua aula quærentibus, & per hos ambitiosis omnibus. Multorum est insania non mediocris, desiderare, quod nesciunt, quódque optâssent nunquam, si aliquando novissent. Splendorem regiæ coronæ non concupisceret aurum, si perpenderet flammæ cruciatum, mallei ictus, & limæ morsus splendorem sibi conciliaturos. Fame premente ingressurus Ægyptum Abraham, cum jam limites regionis attigisset, non nihil substitit; ut prævideret pericula fors ex ipso suo adjutorio sibi obventura: *Cúmque prope esset, ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai Uxori suæ, novi, quòd pulchra sis.* Genes. 12. v. 11. Timebat, ne elegantia uxoris sibi strueret insidias necis. Videbantur campi Ægyptii eminus floribus, ac rosis consiti, cominus verò illos intuebatur tribulis, ac spinis horrentes; flammam eructabat in vicinia, quod procul merus apparuerat splendor. Quot insaniæ perciti æstro, concupierunt Ægypti aulas, vanis illecti splendoribus, in quibus papilionum more sese ipsos amburant! verè si cognoscerent in lucida hac ollâ mortem, noctuarum instar fugerent, non tam ardenter quærerent lucem.

Sectantur improvidi delicias, & nihil inveniunt nisi dolores. Dictat quidem illis ambitio, quod in canticis Sponsus dilectæ suæ: *veni coronaberis.* c. 48. Sed non advertunt ad hanc coronam perveniri non posse, nisi pertransitis ferarum pessimarum speluncis: *De cubilibus leonum, de montibus pardorum.* ibid. Putant se ituros ad regimen, & turpem adeunt servitutem; cogitant se murice tincturos vestem, & potiùs vultum totum pudore suffundentur probroso. In eo, quod petitis, dicebat Christus, soli figuram falsò concipitis, calix est amarus doloris, & crucis plenus: *calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20. v. 23. Sceptrum vestris oculis objicitur, quod est poculum absinthii; diadema aureum rubinis cælatum â longè aspicitis, si propiùs accesseritis, coronam spineam cernetis, eámque cruentatam sanguine. Regnum somniatis, & thronum, ubi servitus præscribitur, & Martyrium. Vitam quæritis in domo mortis, felicitatem inter miserias, & dulcedinem in monte myrrhæ.

75. Sors nulla magis firmata supernis prænunciis, quàm Josephi Ægyptii in magnæ virtutis præmium, non autem ut aliàs fieri in aulis solet, in astutæ, & nequissimæ adulationis turpe stipendium. Hinc sors ista felicior non exhibetur in fasciculo florum, quos sponte ager profert, & sine labore colligit manus, sed in spicarum manipulo, quæ non feruntur sine labore, neque metuntur absque sudore. Felicitas tamen hæc neque ipsa immunis est illusione, audiamus prodigiosum Josephi somnium: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Gen. 37. v. 7. Non dicit manipulum suum assurrexisse, sed visum esse, *quasi consurgere*; quia nempe hujus mundi gloria, & fastus omnis potiùs est id, quod apparet, quàm quod revera in se ipso est. Videtur quies, & est labor, delectatio, & est dolor, rosa, quod mera est spina. Haud facilè majoris gloriæ speciem invenit ambitio, quàm quæ oblata â serpente decepit Evam iis verbis: *eritis sicut Dii.* Gen. 3. v. 5. At vera non fuit hæc gloria, sed apparentia tantùm gloriæ inanis, non dixit: *eritis Dii*, sed, *sicut Dii.* Veritas hæc, quam vel invitus fateri debuit mendacii parens, etiam prodiit ex ore Altissimi. Præcipit Deus Isaiæ, illam toto orbe promulget: *clama, omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos.* Isai. 11. v. 6. Siccine huc omnis caro recidit, ut fiat fœnum bestiarum pabulum, sed gloria ejus neque eò devenit, ut flos sit manè oriens, & vesperi decidens, sed solùm *quasi flos.* Videtur flos, & est Zizania; mentitur fragrantiam, & exhalat mephitim; oculum lætificat, & cor affligit, ac ferit. Quos sanguinis rivos Nazareni vel floridi nomen Servatori nostro peperit? Sic proin est, non surgit, sed *quasi consurgere* videbatur Josephinus manipulus, erigere se tentabat, ut scilicet in sicci putei decideret profundum. Videbatur excedere

dere magnitudine manipulos cæteros, non tamen excedebat; videbatur adorari ille ab iſtis, non tamen adorabatur. Manebant æquales omnes, & immoti poſt Joſephi ſomnium, utì fuerant antè.

76. Et eſto conſurrexiſſet ſuper reliquos ſomniantis manipulus, major tamen non erat, ſed tantùm altiore ſtetiſſet loco. Pumilio etiam in vertice montis conſiſtens, manet pumilio; uti gigas ima ſtans valle, revera eſt gigas: quid habes in eo, quòd attolleris, fors ſedem magìs elevatam, ſed ſic ſtaturæ tuæ neque adjicis cubitum unum. Manipuli ſunt etiam ii, qui ante tuum ſtantem, & erectum, ſunt humi proſtrati. Veniet trituræ dies, & tunc videbimus, quis eorum plus tritici habeat, aut paleæ. Videbatur manipulus Joſephi: *Quaſi conſurgere, & ſtare.* Non parvum prodigium! ùt quid conſurgens ſtaret, & non potiùs caderet, vel ſâltem non pergeret conſurgere; aliàs enim, quod ſemel conſurgit, ſemper altiùs tendit, vel ubi ſtare incipit, omninò decidit. Portento ſimile hoc in Joſepho, quod Chriſtus etiam commune voluit dilecto ſuo Joanni: *ſic eum volo manere, quid ad te?* Joan. 20. v. 22. diſcipulus hic erat Jeſu Benjaminus, & individuus Achates; raro privilegio Dominus vult eum ſic manere, paucos invenies, quibus id conceſſum. Denique conſurgebat manipulus, ſeu videbatur conſurgere, verùm ne id quidem ſine labore: nemo enim inficias iverit faciliùs eſſe, humi jacere, quàm in pedes erectum conſiſtere. Videbatur Joſephi ſors quaſi conſurgere, ſed tamen ſors iſta necdum erat triticum electum, ſed ſpicarum faſcis adhuc, boum pedibus trituranda, flagellis cœdendus, in auras vibrandus, & cribrandus ſæpiùs, donec purgetur undique, & frumentum ſeparetur â paleis. Et ecce quorſum abeant aulæ Pharaonicæ vani honores? non ſolùm laborandum, ut aſſurgas, ſed etiam inſiſtendum labori, ubi jam aſſurrexeris. Conſidera Joſephum, invidiæ fraternæ victimam, cultro jam proximum, in ciſternam projectum, Madianitis mancipii inſtar divenditum, in domo Putipharis ſervitutem, & ignominiam paſſum, denique carceres tolerantem biennales, & poſt hos angores denique videbis manipulum ejus conſurgere ad altitudinem Gubernatoris Ægypti; ſed ubi hanc obtinuit, quid demum in illa obtinuit? quadringentorum in poſteris ſuis oppreſſionem ſub duriſſimo Ægyptiorum jugo! En tanti imperii faſtigium denique in ignominioſiſſiamm converſum ſervitutem! ſub purpura, quæ Joſephum tegebat, latebant vincula ſuorum manibus, & pedibus non multò poſt injicienda? dubium eſt, an id ſciverit Joſephus, aliàs futuri præſagus: id dubium non eſt, quòd ſi multi ſcirent, quod petunt, nunquam ipſum id peterent: *Neſcitis quid petatis.*

77. Plura adhuc apparuêre dormienti Joſepho, vidiſſe ſe dicit: *Quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas undecim adorare me.*

Gen 39. v. 9. Nota rursus illud *quasi*, non dicit vidisse se, quòd adorârint, sed *quasi adorârint*. Hæc est adoratio, quam gloriæ pullis fallax mundus parat. Imi summos adorare videntur, revera abhorrent, manum, & pedem osculantur, quos mallent præcidere. Id certum, quòd Josephi fratres Proregem Ægypti adorârint quidem; at non honoris ergò, sed ut obtinerent frumenta. Qui fructum deciduum arbore colligit, arbori quoque ipsi se inclinat, sic alteri inclinas caput, non ut honorem deferas, sed quò referas gratiam. Id verò malo pejus, quod umbratilis hæc adoratio, ficta veneratio, repræsentatio cultûs & hoc phantasticum bonum, sit veri mali in ipso quoque Josepho prognosticum. Ipse patrem suum dicit Solem, matrem Lunam, fratres stellas, & quid erit ipsemet? fortè aliquid Sole, & Lunâ, & stellis majus? cùm hæc omnia Josephum prono adorent pede? sed minimè gentium, nec Phœbus est, nec Cynthia, nec sidus ullum, sed illud est, quod ante erat: *adorare me*, qui scilicet sum Josephus, qui adorat, astrum est, qui adoratur est id, quod priùs fuerat. In agro reliqui Jacobi filii in manipulis procumbunt, filius accrescens Joseph consurgit. At in cœlo neque Solis, neque Lunæ, neque stellæ lumen spargit, quia inibi non lucet, qui imperat, sed qui sese humiliat. Pauper Joseph ut Proregis cæpisti gerere munia! gloriarum quidem dives, & regni Gubernator potes esse in terris; sed lucere non sineris, ùt stellæ in cœlis. Fratres tui ad Solis, & Lunæ aspectum toti splendescunt, tu licèt ab iis adorantibus magnopere cultus nihil splendoris recipis. Castitas tua singularis Regem quidem te constituit Ægyptii orbis, sceptrum tamen invidit siderei fulgoris! in seras generationes dicetur, quòd regas, dici non poterit, quòd fulgeas: *Et stellas undecim adorare me.* Quærat adorari, cuicunque id libuerit, me quod attinet, adorare appeto; qui adorationem ferunt, solùm in terris consurgunt, qui adorationem dant etiam astris inseruntur. Joseph in solio sedens, duntaxat est Joseph, Josephini fratres antè hoc solium prostrati, fiunt sidera. Obtinuit tamen etiam Joseph sidereas luces, sed in eo obtinuit, quia solio descendere, & se se humiliare novit. Thronus, imperium, dominatus neminem adhuc in cœlum erexit. En quâm nescit, quod petit ambitio! nam dum caput ad sidera erigit, â ratione, & luce siderum meritó excluditur: *nescitis, quid petatis.*

Insaniam ambitionis adhuc luculentiùs ostendere lubet, ut sole clariùs innotescat, meritissimo jure dixisse Christum, ejusmodi ambitionis mancipia planè nescire, quid petant. Eo tempore, quo Salvator mundi de passione sua, & morte agere occeperat: *ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur.* Matth. 20. v. 28. Importuna venit parens filiorum Zebedæi: *tunc accessit Mater.* Dum Christus de cruce toleranda differit, 78.

illi

illi de glorioſis ſellis ſuas prætenſiones ordiuntur: *dic ut ſedeant . . . in regno tuo.* Ubi filius hominis dicit, ſe non veniſſe miniſtrari, ſed miniſtrare, illi regna apppetunt. Et dum calicem doloris propinat Jeſus, illi ſitiunt thronorum ſublimitates. Gloriæ vellent eſſe participes, non pugnæ; antequam manum extenderint ad laborem, jam anhelant quietem: tutos ſe præſtare fatagunt, antequam ingruiſſe viderint periculum: jam circumſpiciunt de portu, & necdum exorta eſt tempeſtas; nullus adhuc eſt devictus hoſtis, & ſibi herbam porrigi cupiunt, & ante victoriam jam canunt triumphum. Et hæc omnia tunc fiunt, quando de his nec cogitari deberet; quænam inſania major? quonam heleboro curabitur, ſi nihil proficit propinatum â Chriſto ſalubre paſſionis poculum. Illi per iter humilitatis, & opprobrii ad culmen contendunt vani honoris. In labore crucis quærunt levamen oneris, in regno Dei æterno petunt dignitatem temporalem. An petitio ſtolidior concipi queat? an hoc aliud, quàm petere, ut habeas in terra cœlum, in cœlis terram? revera *neſcitis.* Magna ſtultitia, teſte Beda, cupere ſeſſionem â ſiniſtris, cùm Judex ſupremus omnium nulli promiſerit ſedem niſi â dextris. Dextrorſum enim in extremo judicio conſtituentur probi omnes, & ſiniſtrorſum improbi & quidem latronis mali inſtar cruci ſuffixi, vel reorum more non ſedentes, ſed ſtantes: *ego*, dicit prælaudatus Beda, *vos vocavi ad partem dexteram de ſiniſtrâ, & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram.* Magna ſtultitia, petere ſedes, & regna ab illo, qui non habet, ubi caput ſuum reclinet. Magna ſtultitia petere, ut alter ſedeat â ſiniſtris, lævámque partem, uti in ſpeculo credere dexteram; licèt enim nunc *videmus per ſpeculum.* 1. Corinth. 13. v. 12. Sic tamen videre, non eſt aſpicere rectis oculis cœlum, ſed curvis terram; eſt oculum tantùm unum habere, & iſtum nequam. Rex Naas, ùt legitur 1. Reg. 11. v. 2. Iſraëlitis intactum reliquit oculum ſiniſtrum. ut ſcilicet viderent adhuc viam perditionis, dextrum oculum eruit, ne bene pugnando invenirent iter ſalutis. Id ipſum tentat inimicus noſter dæmon (cujus figuram nomine gerit *Naas*, idem ſonans, ac ſerpens) oculum dextrum quibus poteſt, effodit, ſeu adimere omni modo nititur ſtudium æternorum, & aciem ſiniſtri non tantùm in nobis relinquit, ſed etiam acuit, cupiditatem ſcilicet rerum periturarum, nam ùt in eum locum commentatur Divus Auguſtinus: *intentio ad bona ſpiritualia per dexterum oculum, per ſiniſtrum ad temporalia. Neſcitis!* Ignorantia craſſa aſpirare ad munus ſine onere; ad honorem ſine labore, ad beneficium ſine officio; meritò tantæ inſcitiæ lixivium affundit ſuo calice Servator, meritò eos ablegavit ad crucem, ut porrò ſapiant; ſcire oportet, ſervire, non eſſe ſedere, neque petere, imperare, ne adhuc neſcientes quid petant, audeant cum filiis Zebedæi ſic petere: *volumus, ut quodcunque petierimus, facias nobis.* Marc. 10. v. 35.

Idea

Idea XV.

Habet, quod timeat, qui coronæ ambitum non timet.

79. BLandè dilectæ ſuæ divinus Sponſus acclammat, atque ut efficaciùs moveatur, ter eidem acclammat: *veni de libano Sponſa mea, veni de libano, veni coronaberis.* Cant. 4. v. 8. Ubi agitur de coronis: multi currunt, quin ad eas vocentur, ùt quid ergò trina vocatio, quò ſponſa veniat, & coronetur. Noverat illa præterea vocem Dilecti ſui, noverat amorem, quo in ſe ferebatur, & in re, quam tantum alii ambiunt, adhuc ipſa tergiverſatur, & dubios adhuc poſteros reddit, an oblatum diadema demum acceperit. Quid hoc prodigii? quid moraris accedere ad ſponſum, quem antè invitabas, ut te ad ſe vocaret: *trahe me poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. v. 4. Ecce hic exſpectat te, coronam offert: *veni.* Sed hoc ipſum, reponit illa, me moratur, non veniam, ne ſcilicet ad coronam veniam, tantùm hanc fugio, quantùm Sponſum deſidero. Hic me ad ſe trahit, quia ejus amore langueo, illa me longiùs repellit, quia timore ejus rigeo; oſtendat ſe Sponſus ſine coronis, & ociùs ſponſam habebit ſuis affuſam pedibus. Nec periculum diſplicentiæ in curro renitentiâ meâ apud illum, qui tantus eſt oſor omnis ambitionis, quantus eſt, apparuit Magiſter humilitatis. Quin imò magis placebo, quia ſic preſſiùs ſequar veſtigia ejus. Obtulerat eidem Sponſo Pater æternus omnium gentium regimen: *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſalm. 2. v. 8. Sed nec ejusmodi aliquid ab eo petitum, multò minùs admiſſum conſtat. Quin imo ubi illum ad coronam quaſi rapere vellent homines, illicò manibus eorum ſe ſubduxit, ne & invitus cogeretur accipere vel ipſi Deo homini timendum diadema: *cùm cognoviſſet, quia venturi erant, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus* Joan. 6. v. 15. Mirabile quid? venit Dei filius in hunc mundum, ut cum filiis hominum eſſet: *delicia mea eſſe cum filiis hominum.* Prov. 8. 31. Et reliquit in cœlis ſinum Patris, ut in terras deſcenderet ad ſinum virginis; factus homo, ut homines ſalvos faceret; quare ergò iſtos fugit? ideò fugit, quia coronam ſibi decernunt, quia in id intenti ſunt, ut ſe facerent Regem. Homines quærit Chriſtus, non eorum coronas, non vult dominari ipſis, ſed cordibus eorum; nec delicias ſuas eſſe dicit: *cum ſceptris:* ſed *cum filiis hominum.* Etiam hos

hos relinquet, ubi aliter iis frui nequeat, quàm coronato vertice. Quodsi sponsa in Canticis tantùm metuit diadema, etiam Dei manu sibi imponendum, quid timoris non debeat illi incutere, qui ultrò diadema ambiat, qui id solùm ad homine accipiat, vel emat? electus â Deo Rex Saul dicitur in sacris paginis, & tamen periit non obstante Divina electione ad sceptrum. David vir secundùm cor Dei Rex pariter nutu superno in Regem inunctus, turpissimè lapsus est. Salomon cælitùs in regno confirmatus vanitati regiminis cessit, & non solùm in sapientiæ, sed & fidei leges enormiter deliquit. Aaronis capiti tiaram imposuit manus Dei, & tamen tam indignè functus est Sacerdotii dignitate, ut divinæ majestatis cultui subrogârit vitulinum. Exod. 32. v. 4.

80. Hinc diadematis timore correpti ultrò coronas abjiciunt Apocalyptici illi seniores: *Et adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Apoc. 4. v. 10. Vel quia est Dei adoratio maxima coronarum projectio, vel quia vix ritè, & ùt decet, Deum adorare possunt coronata capita; qui enim se videt diademate redimitum, potiùs adorari appetit, quàm adorare. Saltem æstimatio coronæ deponenda, ubi debitum obsequium Deo præstare cupias. Christus Dominus luctam cum dæmone nullatenus reformitavit, hinc imperterritus desertum petiit, ut ibi cum leone rugiente confligeret: *Ductus est â Spiritu in desertum, ut tentaretur â diabolo.* Matth. 4. v. 1. In hortum etiam Getsemani maximis animis in cruenta prælia descendit, contra impietatis, & averni armatam in se rabiem: *Surgite eamus, ecce appropinquavit, qui me tradit.* Matth 26 v. 46. Et audacter se confessus est, & non negavit turbis se petentibus, ut caperent, & perimerent.: *Ego sum.* Joan. 18. v. 6. Verùm enim verò hic ipse ad sui discrimina tam intrepidus pugil, ubi homines advertit paratos coronam augusto vertici imponere, in arena minimè perstitit, sed velut visâ ægide quàm longissimè se inde ociùs subduxit: *Fugit ipse solus.* Joan. 6. v. 15. Nempe unam hanc diadematis tentationem omnibus reliquis majorem censuit; in cujus comparatione, & rabies dæmonum, & furor satellitum evanescerent. Voluit nimirum hominibus fieri Magister humilitatis, atque adeô ostendere voluit difficillimè jungi posse cor humile cum vanis mundi gloriis, nec benè convenire, nec in una morari sede animi demissionem ac throni majestatem.

81. Intelligit virgo sanctissima Matrem Dei se paulò post futuram: dum sublime Mysterium recogitat, interùs turbatur dubia, an acceptare debeat oblatam sibi divinæ maternitatis dignitatem, quæ tantum videbatur pugnare cum eximia ancillæ Domini, quam se profitebatur, humilitate. Audierat videlicet nascîturum ex se filium Regem fore, & quidem Regem præ omnibus cæteris magnum, ac æternum: *Hic erit magnus, & dabit illi Dominus Deus*

ſedem David Patris ſui, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Luc. 1. â v. 32. Audit coronas, Regna, titulos magnos, & ſtatim reponit: *Quomodo fiet iſtud?* v. 33 Quid dicis Angele ſancte Dei? egóne mater filii tam excelſi, Regis tam magni? humilitas cordis mei nullo modo capit tantam ſublimitatem ſermonis tui! æquè impoſſibile mihi videtur parere Deum, ac magnum Regem! nec ante conſenſum præbet oblatæ dignitati, quàm etiam porrò permittatur dici non Regina ſed ancilla Domini; neque etiam liquet, an non recuſâſſet fieri mater Dei, ſi fuiſſet adjecta conditio, impoſterum loco ancillæ nuncupandam Reginam univerſi. Idem ipſe Angelus, qui dicitur: *Fortitudo Dei*, ſcilicet, *Gabriel:* opinione multorum Chriſto adſtitit cum ſanguineo agone luctanti: *Apparuit illi Angelus de cœlo.* Luc. 22. v. 43. Qui in Anunciatione Mariam ſalvere juſſit: *Miſſus eſt Angelus Gabriel.* Luc. 1. 26. Utrumque ipſe Filium, & Matrem confirmavit: quia utrique fortitudine Dei erat opus, ubi Chriſtus factus eſt in agone ſuo: *Triſtis usque ad mortem.* Maria verò ad repentinam coronæ mentionem ſummopere fuerat turbata. Videtur enim â matre hac non minùs formidatum eſſe titulum Reginæ, ac â filio timebatur tam ignominioſæ crucis tormentum! poſt hæc omnia dixit Maria, vel ſaltem nomine Mariæ id dixerat ſponſa: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum* Cant. 1. v. 11. Inter tot thronos & ſceptra ſit Rex filius meus, ſed in me non florebit roſa florum regina: nardus ero, quæ ſolùm odorem exhalabit humilitatis: ita Rex ſit ipſe, ſed ego ero, ùt fui, ancilla ejus.

Quis quæſo Regis Lotharii jam quin- 82.
decim ariſtas imperantis tempora Lauro exuit, niſi unus timor, ne ſub capite laureato pietas exareſceret? quis Hugoni, quis Pipino, Anaſtaſio, Iſacio, Bambæ, Carolo magno, invicto Carolo quinto, & tot aliis coronatis verticibus id ipſum ſuaſit, ac perſuaſit: ut poſt tot lauros, & victorias Martis, & gloriæ campo decederent, niſi coronæ etiam giganteis viribus metuendum onus, ne huic denique ſuccumberent, etiam illi diadema fugerunt, qui ad armatas caſtrorum acies ſtetêre imperterriti? id nempe Heroës iſti in animum demiſerant profundiùs, non benè convenire cum humilitate Chriſti, majeſtatem regni, ut illum propiùs ſequerentur, qui dixit: *Diſcite â me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. 29. cum regnis ſceptra cum his diademata ultrò poſuêre. Quis crederet virum tam ſanctum qualem veneramur in Franciſco Seraphico ſolicitum fore æternæ ſuæ ſalutis, ſi ab hac vita deceſſiſſet ſui ordinis Miniſter generalis? rei tamen fidem facit ipſe hic ſanctus, cùm ſuis, ut abdicatam dignitatem iterum aſſumeret, inſtanter hortantibus, repoſuit: *Regere autem alios in virga ferrea ad meam ſempiternam minimè conducit incolumitatem.*

in

in Chron. L. 1. c. ult. quis non timebit? notum est, pro magno onere opus esse validis humeris. Hinc fingebat antiquitas, robore cæteros montes excedere Atlantem, quippe qui unus cœli molem ferret: & Senecæ monito: *Debet semper plus virium esse in latore, quàm in onere.* de tranquillit. cap. 5. quibus ergò animis opus erit, ut quis integrum regnum suos in humeros tollat? Prudenter egit nonnemo, qui acceptam manibus coronam imperialem ê statera suspendit, atque etiam quanti libraret, graviter appendit, conspicatúsque, quòd intra magnum pondus subsideret, timuit sub tanto onere suum gemere caput, néve illo opprimeretur, vertici coronam non appressit. Non est sani consilii alto mari fidere, quòd modicum sine discrimine stagnum transmiseris. Hinc Ovidius trist. Eleg. 2.

Non ideò debet pelago se credere, siqua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.

Gravissimum quid, haud inficiabere, corona sit oportet, quam ferre non ausi etiam generosiores animi.

83. Moritur Dux populi Israëlitici Moyses, & absoluto triginta dierum planctu, ùt habetur Deuter. c. ult. Josue ipsi â Deo sufficitur: *Moyses servus meus mortuus est, surge, & transi Jordanem istum tu, & omnis populus tecum.* Jos. 1. v. 2. Dubius hæreo; an Josue exemplô alii in coronis successores menstruum spatium expleant, donec capessant regimen, certè multi, vivente adhuc prædecessore, jam in dominii habenas involant. Sed prudens æquè, ac fortis Josue probè gnarus arduitatis boni regiminis, mandatum Dei exspectat, ut id tantis auspiciis feliciter auspicetur: *qui non intrat per ostium, fur est, & latro*: dicit Christus Joan. 10. v. 1. Ostium Dei est electio, & mandatum Dei, non hominum gratia, aut patrocinium. Preces, munera, adulatio, & hujusmodi artes scalæ sunt, quibus etiam, obducto januæ pessulo, hanc honoris domum ingrediâre, sed ingressus iste parùm decorus, quid promittat æquitatis? qui sic intrat, videtur, venisse potiùs ad furandum, aut mactandum, quàm ad ritè gubernandum. Qui sic venerunt, omnes *fures sunt, & latrones*: ibid. v. 8. Quid hoc, inquit Hipponensis Præsul: *etiam Prophetæ tales sunt*? & respondet negativè, cum solo Dei jussu venerint, non se ipsos illi intruserint; regere námque alios, non est tale quid, quod pro lubidine suscipias: trahi illuc debes, non currere, nisi in tuam, & aliorum perniciem velis festinare pedem. Septem Apocalyptici Episcopi stellæ vocantur, & Angeli: *Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Apoc. 1. v. 12. Angeli sunt, atque etiam esse debent, quia ad Pedum se conferre haud debent, nisi *missi*; stellæ sunt, quæ motum alium non habent, quàm, quem ipsis impressit motoris supremi manus. Deus sibi soli reservavit munus constituendi Gubernatorem populi sui, teste Eccle-

siaste: *utilem rectorem suscitabit.* Cap. 10. v. 4. *Id est â morte*, uti hîc commentatur Hugo, dicens: *debet enim mortuus esse peccato, mundo, & parentibus.* Imò debet Rector populi tam longè distare â petente, & quærente rectoratum, quàm ab his appetitionibus procul est homo mortuus. Timeamus proin coronas, septra, & dominatus, & præ istis ambiamus Christianam humilitatem. Ignorare, & delitescere potiùs, quàm in apricum produci, & ab omnibus suscipi lætemur. Fugiamus noxiam, & fallacem hanc lucem, & si veræ lucis filii sumus, non nos ipsos supra candelabrum ponere satagamus, sed, ut alii id faciant, exspectemus: *ponunt supra candelabrum.* Matth. 5. v. 15. Assimilemur cælitùs misso mannæ in tenebris delicio, in solis radiis vapæ: *cúmque incaliceſſet sol, liquefiebat.* Exod. 16. v. 22. Non appetamus crescere, quia, ubi etiam plus de hoc sidereo munere congregarent Israëlitæ, nihil majus, quàm statuta mensurâ congregabant: *nec qui plus collegerat, habuit plus,* Ibid. v. 18. Qualia prodigia, quæ mira patravit in abjectis turbis mundi Servator! at ipse tamen nullum signum edidit in domo Herodis, nisi invictæ patientiæ. In deserto miraculosè auget cibaria, & panes. Joan. 6. v. 11. in urbe Palestinæ domina siti moritur: dixit: *sitio.*

Idea XVI.

Delictorum populi sui reus est Princeps.

84. VEritas hæc adeò claret, ut & cæci Pharisæi illam viderint. En paradigma! ut pejùs facerent Divino Magistro, sagittas vibrant in discipulos. Ad illum ore composito salutantes veniunt, ac velut ejus personam reverentur, nec verbulo aliud notant, nisi in lege seniorum non omnimodam attentionem Apostolorum: *quare discipuli tui*, inquiunt, *transgrediuntur traditiones seniorum; non enim lavant manus, cùm panem manducant.* Matth. 15. v. 2. Tota querimonia hominum, quorum linguæ veneno turgent aspidum, effunditur in discipulos, sed Magister Divinus in iis se ipsum defendendum suscepit; nam, ùt advertit Maldonatus hîc: *ipsum mordaciùs accusabant,* quàm si contra eum linguas suas acuissent, idcircò dicunt: *discipuli tui,* ut in Magistrum culpa omnis recideret neglectæ traditionis. Et verò litura papyri non tribuitur scribentis calamo, sed manui. Peccant filii Heli, pæna peccati recidit in caput patris. 1. Reg. 2. Israëlitæ turpiter agunt cum filiabus Moab, & Principes populi jubentur â ju-

justissimo Judice *suspendi contra solem in patibulis.* Num. 25. v. 3. Solus Christus colloquebatur Nicodemo, & quasi sermonem haberet cum multis: dicit: *testimonium nostrum non accipitis.* Joan. 3. v. 11. Domine quid ais: *non accipitis?* solus Nicodemus adstat, unus non plures te audiunt: ita est, sed is, qui præsens, est *Princeps Judæorum*, huic uni tribuitur omnium, testimonium Messiæ non recipientium, incredulitatis delictum. Generosè resistit ventorum flatibus, & ictibus palma sibi ipsi relictâ, nempe quia palma est omnium victrix: at verò si ramum apprehenderis, vel coronâ gravandum, nec pondus sustinet, nec recta ampliùs consistit, & inclinata humi, se velut ream fatetur malè educatæ sobolis suæ.

85. Clamabat David ad Dominum lachrymis perfusus: *ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Ps. 18. v. 13. Quod Regius vates â Deo postulet ab occultis mundari delictis, bene est, quia licèt tecta sint, sua tamen sunt. At verò, quòd veniam petat alienorum, hetoroclitum videtur, nam, si ab aliis sunt patrata, quid ad ipsum spectant? ita sanè foret, si David Rex non foret. Malo exemplo, vel nimia conniventiâ, quod alienum erat, David jam fecerat suum. Prout Rex ita grex. Rectores præcedunt, subditi sequuntur, nec unum est, sed omnium, Principis delictum. Theodoricus olim Senatui Romano ita scripsit: *facilius est errare naturam, quàm, ut dissimilem sui princeps possit formare rempublicam.* Cassiodor. 3. variar. 12. *Rex velit honesta, nemo non eadem volet.* Seneca in Tyeste. Qui enim videt factum in throno sedentis, vel id imitari debet, vel improbare, si prius placeat, amorem lucratur Principis, qui amat sui similes; si posterius odium, quod dissimilitudo parit. Sed cùm quilibet potiùs beneplacitum cupiat sui Domini, quàm displicentiam, hinc sequitur penè universalis imitatio subditorum, sive benè, sive malè egerit Princeps. Hinc idem seneca Epist. 6. scripsit: *Necesse est, aut imiteris, aut oderis, utrumque autem devitandum, ne vel similis malo fias, qui Imperator est, néve inimicus Imperatori, quia dissimilis est.* Hinc benè Pindarus: *ingenium, & mores omnium Rex est.*

Nempe vitia, dum ad solium ele- 86.
vant Principes, facilè persuadent, nec difficile erit, adorare, quod videris sub conopeo adorari. Hæc fuit averni ars nequissima, divinitatis notam vel ipsis affricare sceleribus. Nullus abhorrebit libidinem, quam in Venere ferre incensa conspicantur? nullus malas artes, crudelitatem, & superbiam, ob quas cœlis illati sunt Mercurius, Mars, & Jupiter! idcircò Luciferi ambitio in se ipsa adorari noluit, sed in iis vitiorum monstris, quæ scelesto exemplô reliquos afflarent. Valentiùs namque ad vitium impellet vel unus homo sceleſtus malis suis actionibus, quàm integra dæmonum legio pravis suggestionibus. Talis erat infamis illa meretrix mater fornicationum,

nicationum, & abominationum terræ in Apocalypsi descripta: *Quæ sedet super aquas multas.* cap. 17. v. 2. Seu quæ adoratur ab innumeris populis per multas aquas indicatis. Et tantæ perversionis rationem reddit Sacer Historiographus, quia ipsi Reges huic prostitutæ bestiæ thus adolebant: *Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & septem Reges sunt.* v. 9. Unum nempe idémque est abominationem tantam in solium locari Regium, & eandem universim adorari â populis. Hi currûs Ezechielis sunt simillimi, motum, & impulsum omnem â dirigente Cherubino secuti: *Quocunque ibat Spiritus, & rotæ pariter elevabantur sequentes, eum.* Ezech. 1. v. 20. si Spiritus sidera petat, illuc ascendent rotæ; si terram ille transierit, & hanc ipsæ radent. Principes sunt velut in choro Deorum postremi, in numero tamen hominum primi. Isti sequuntur, quacunque præcesserint illi, sive dein ad Deum, sive ad dæmonem pergant. Virus inclusum vasculo uni aut alteri fiet exitiale, qui mortis poculo sitibunda labra applicuerit. At verò si totum fontem aconithis infeceris, cum aquis mortem omnes haurient. Exilis domuncula si fortè corruat, sola ruit, grande ædificium etiam aliorum, ubi cadit, ruinam trahit. Magnates terræ vel sunt, vel habentur magni, fama ergò eorum, sive bona, sive mala fuerit, nunquam non magna erit. Hinc Seneca: *Quamcunque famam meruerint, magnam habent.* Sunt instar maximarum navium sulcantium maria: per has ingruente tempestate vel pereunt, vel salvantur plurimi. Virtus pastoritia vel ignota est, vel licèt innotuerit, vix assecla habet. Ubi Rex Sanctus rerum dominabitur, regnum penè integrum sanctum erit.

Vaticinium fuit subin examussim impletum, quod Matth. 4. Christus protulit: *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores,* v. 11. & 12. hujus rationem seclusis abstrusis Dei judiciis hanc dedit Salmeron; quia recenti in terris nato Dei filio ex Judææ populis soli adgratulati sunt pastores ovium, ex gentibus verò cœli, terræque Domini pedibus adstratos Bethlehem vidit Reges. Si hi Divinum Puerum adorant, plurimos alios secuturos certum erat; hominum verò vilium vestigiis non institisse Principes, ac Magnates Israël nihil mirum. *Ita enim*, inquit, *naturâ comparatum est, ut, cùm nobiles, & primarii viri Dei religionem sequuntur, populi etiam confestim ad eam accurrant, cùm verò parvi, & obscuri, difficillimè alii, & rarissimi sectantur.* Veræ sanctitatis, ac omnigenæ virtutis tramiti institit Convallius Scotiæ Rex, & illicò regnum totum pietati undique litavit; adeò, ut Sanctus Columbanus, qui ex Hybernia ad Scotos transierat, suis ipse oculis spectaturus tantum portentum, fuerit auditus dicere: *Vidisse se omnes ùt unum, & unum ùt omnes*, ex asse virtuti 87.

Chri-

Christianæ deditos. Hector Bentius Historiæ Scotiæ. L. 9. Quidcunque moliretur David, non tamen persuadere potuit Uriam, ut in domum suam descenderet, omnibus etiam regiis, amoris proprii, & formosæ conjugis, nec non familiæ suæ illicitis prævaluit Ducis sui Joabi exemplum. *Dominus meus Joab*, inquiebat, *super faciem terræ manet, & ego ingrediar in domum meam.* 2. Reg. 11. v. 11. Convivio regio adhibet Uriam David, ut, vinô largiùs affuso, obrueret memoriam generosæ imitationis, sed vel ebrius persistit in vestibulo militarium excubiarum, uti in castris excubabat Dux Joabus: *Vocavit eum, ut comederet coram se, & biberet, & inebriavit eum: qui egressus vespere dormivit cum servis domini sui, & in domum suam non descendit.* ibid. v. 13. Nec sermonis, nec ullius eloquentiæ vis tantum momenti habet, quàm Princeps benè vel malè agens, ut subditi virtutem, aut vitium sectentur.

86. Proin meritò minorum crimina majoribus imputantur, utpote necessariæ penè consequentiæ exempli mali illorum, qui bonum vi muneris sui præbere debebant. Ad Idola deflexit Israël unà cum Rege Jeroboamo, & sola stirps regia tanti peccati fert pœnam: *ego inducam mala super domum Jeroboam.* 3 Reg. 14. v. 10. Ut quid in pari delicto tam dispar supplicii ratio? audi Achiam Prophetam rei causam allegantem, nempe peccatum peccans Jeroboami. *Qui peccavit, & peccare fecit Israël.* Ibid. v. 16. Author peccati fuit Jeroboam, idcircò magis peccavit, ac alii, proin minùs, quàm ipsi, meretur culpæ veniam. Petrus cùm eductum gladium in satellites vibraret, Malchum percussit Pontificis ministrum: nam hic ductorem se fecerat impiæ turmæ, quæ venerat comprehensura Christum, ac etiam facem cæteris ad tantum facinus præferebat. Matth. 26. Delinquunt contra justitiam, & pactam fidem Abimelech famuli, vi puteum eripientes Abrahamo. Conqueritur is cum Abimelecho: *& increpavit Abimelech (Abraham) propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi ejus.* Gen. 21. v. 25. Si injustitiam committunt servi, ùt quid idcircò arguitur ipse Dominus? meritò sanè, quia omnis culpa servi recidit in negligentiam heri, qui suos debuerat compescere, ne alteri inferrent injuriam. *Docentur hîc Domini cognoscere se culpabiles in iis, quæ servi sui mali faciunt, neque servos esse increpandos, sed Dominos, qui, cùm possunt, & debent, prohibere non curant.* Oleaster Ibid. Riserat post parietem Sara, & risûs omnino inscius corripitur Abrahamus. *Dixit Dominus ad Abraham: quare risit Sara.* Gen. 18. v. 13. Qualis hæc Abrahæ culpa, quòd rideat Sara? est maritus, est caput uxoris suæ, & rationem reddere cogitur superior excessûs omnis â subdito commissi. Pessimè murmurat Princeps populi Coreb, & plurimos de tribu Levi in partem seditionis trahit. Num. 16. v. 4. Irascitur Deus, compatitur Moyses, útque rei veniam im-

impetret, clamat ad dominum. *Num uno peccante contra omnes ira tua desæviet?* v. 22. Quid ais Moyses? *uno peccante*, cùm plurimi id ipsum delinquant, quod unus peccârat. Ita est: *uno peccante.* Coreb enim unus caput fuerat, & auctor totius seditionis, cùm fuerit Princeps Leviticæ Tribus. Ecce soli tota imputatur peccantis turbæ culpa, pœnam omnium ipse ferat, uti etiam tulit.

Idea XVII.

Nunquam exsaturatur ambitio.

89. FLammæ naturam imitatur ambitio, nunquam ejus voracitas restinqui potest, nisi ubi ipsa omninò extinquitur. Quò plus affundis materiæ combustibilis, amplius & illa vorat. Neque opacissima Sylva, ubi semel vulcanum conceperit, helluonis hujus famem explebit, non citiùs absumere desinet, quàm ipsa depastis omnibus in suo busto absumatur. Hæc ipsissima ambitionis indoles est, nunquam saturari valet, ad tempus vitæ, canis instar, famelica. Die quapiam honoris sui culmen purpuram respicit Rex Salomon, primò humeris imponit gloriæ regiæ decus, subin velut fastidiret, â se abjicit, & solii scabellis insternit, *ferculum fecit Rex Salomon ascensum purpureum.* Cant. 3. v. 10. Ecce ipsa purpura Regum insigne jam gradus fit ad thronum, neque quiescit ambitio, nisi ea ipsa utatur ad ascendendum ulteriùs, hanc feram pessimam exsatiabis nunquam, quoscunque objeceris honorum bolos, sive dein sacri fuerint, sive profani. Ubi ludum litterarium exhausit, Epomidem involat, ab Epomide se confert ad Togam, inde ad Pedum, ab hoc ad Pileum, denique ad Tiaram. Vix ensem stringit, jam vexillum arripit; hinc pergit ad baltheum, ab hoc ad baculum regiminis, denique ad sceptrum. Lucem creat Deus, ipsa haud contenta sorte sua in Solem transit, fit omnis luminis præses, ac princeps inter stellas, *ut præesset diei.* Gen. 1. v. 16. Ad quid porrò aspiret? antequam luci tam optatæ metempsychosis sors contingeret, ùt notat sacer textus v. 12. In tellure locum jam obtinebat fœcunditas: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignúmque faciens fructum.* Non ergò sole indigebat tellus, nisi Creatori suo fuisset infida, cùm vox Domini longè, majora præberet incrementa, quàm omnis Solis influxus; ùt quid igitur etiam regnum metallicum, & vegetabile Phœbus occupat? an non sidereo pascere poterat regnandi famem? ita sanè,

ſanè, niſi ambitio regnandi eſſet bellua inſatiabilis, hæc nunquam dicit *ſatis eſt*, ubi adhuc videt, quod devoret. Obtinuerat jam Petrus vel ipſis Angelis invidendam Apoſtolatûs dignitatem, jam audierat: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Matth. 16 v. 19. Jam erat renunciatus Chriſti in terris Vicarius, & totius mundi Arbiter, jam novam Eccleſiam acceperat regendam; cùm tot titulis necdum ſatur, adhuc plures petit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis?* Matth. 19. v. 27. Quid autem ampliùs porrò eſſe vis Petre, qui jam cœlo, & terræ dominaris? nempe, ùt mundum hunc lucratus es univerſum, ita fortè etiam dominatum eorum appetis, quos olim creandos ſubin ipſe ſcripſiſti: *Novos verò cœlos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſi exſpectamus.* 2. Petr. 3. v. 13. En etiam in ſuis appetitionibus nunquam ſaturos Jacobum & Joannem! ùt ſedes obtinuerant regni cœlorum, in quibus conſtituti Judices ſuper duodecim tribus Iſraël, non ſolùm ſæcularia, ſed & Angelos judicarent, primatum petunt in illis, volunt non tantùm ſupra reliqua creata, ſed etiam ſuper Apoſtolos duodecim eminentiæ prærogativam. Sedere volunt: *Unus ad dexteram, & unus ad ſiniſtram in regno Chriſti.* Imò videtur, quòd non ſolùm in ſedibus ſuis ſupra cæteros collocari appetant, ſed etiam unici ibidem ſedere, hinc dicunt *unus, & unus.*

90. Veniam det Salomon, ſi Sapientiæ ſuæ dixero oblitum. Patriarchæ Jacobo ſuffecerat vel unus lapis, in quo ſomnum caperet, & nepos ejus Davidiades lectum ſibi ſtruit palatii inſtar, utpote quem *Sexaginta fortes ambiunt*, quanta hæc lecti capacitas? *en lectulum Salomonis*, Cant. 3. v. 8. cujus aream viri ſexaginta claudunt. Ut tot fortes excubent ad fores ſomnum capientis majeſtatis; benè eſt, & fortè nec hi ſufficient ad defendendum caput ambitione undique tumens; nam nec in medio exercitûs ab ictu tutum fuit Holopherneum, nec etiam Saulinum fuiſſet, niſi in manſuetudinem Davidis incidiſſet. At verò, ùt lectum Salomonicum ambiant viri ſexaginta, quid hoc eſt? niſi ambitionis non ad neceſſitatem, ſed ad vanitatem ampliora ſemper appetentis inſaturabilis fames! nihil magnum videtur ſuperbis, ubi vel microſcopiis majus quid appareat. Etiam tota Romani Imperii amplitudo non ampliùs capiebat geminos cives, hinc ſumma poteſtatis ad unos Cæſares devoluta. Omnis Europa, & Aſia non explent in Alexandro aviditatem dominandi, niſi etiam terræ ignotæ ad limites extendas domniâtum. Sed faciliùs mundi confinia invenies, quàm cordis ſemper plura ambientis terminos. Quid cogniti orbis deerat Imperatori Auguſto? cúmque regna porrò deeſſent, ferro ſubjuganda, modum invenit ambitio, quo vel calamo latiùs extenderentur. Præcipitur itaque: *Ut deſcriberetur univerſus orbis.* Luc. 2. v. 1. cúmque non ſupereſſent homines, qui ſubigerentur, nomina

eorum ſupererant, quæ libris inſererentur. Poſt actum de mundo penè toto ſub jugum miſſo triumphum, etiam triumphari debebat de vanis mundi nominibus, tantúmque ſic auctum eſt imperium calamo, quantum antea fuerat dilalatum gladio.

91. Ad quem eminentiæ gradum non audet eniti ſuperba ambitio? *Sedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis*, dicebat ſuperbiæ parens. Sedem, & thronum erigit in culmine altiſſimi montis, nec tamen loco iſto ſatis elevatum ſe arbitratur: *Aſcendam*, dicit, *ſuper altitudinem nubium*: ſcilicet ad ſtellas usque firmamenti, hic ſaltem conquieſcet ambitio, niſi extra univerſi limites aſſurgere paret? Neutiquam, nullus terminus arctat Luciferianum tumorem; creata omnia ſupergreſſus, ipſum Creatoris ſolium invadit: *Similis ero Altiſſimo.* Iſ. 14. v. 13. Superbiſſimus hic Spiritus Deo vult aſſimilari, & quidquid eſt infra Deum, ùt ùt ſeſe inferius, pro nihilo reputat. Conſtitutus fuerat Angelorum Princeps; quaſi ſe ipſam exhauſerat Omnipotentia, ut maxime quæque in Luciferum congereret, de quo dici queat: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum* Ezech. 28. v. 13. referente Suetonio: *Auguſtus Cæſar milites auro gemmísque ornabat, qui conſtantiores eſſent in prælio metu damni.* Ita liberalitas Dei etiam locopletârat, & longè magis Angelum lucis, ſed Luciferianæ ambitioni neque hæc ſufficiebant, dum ſupereſſet aliquid, quod adhuc anhelaret. Hinc ipſe ſubin, cùm aliquid ſuperbiæ ſuæ afflare vellet Deo homini non unam ſolùm, vel alteram, ſed omnes Monarchias orbis hujus obtulit: *Oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Matth. 4. v. 8. Propria ſiquidem experientiâ didicerat, & ſuo alios pede metiebatur, ambitioſi animum nunquam ſatiari honoribus, niſi omnibus, quandoque etiam phantaſticis, & obtentu impoſſibilibus potiatur. Dominus quoque hominum vanitati, & lucris terrenis cum animi interitu junctis obviaturus, non unum, vel alterum regnum, ſed totum globum terraqueum adducit in textu illo ſummæ ponderationis: *Quid proteſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Matth. 16. 26. Probè gnarus, ambitionem hominum neque in hac vita ſe felicem reputaturam, niſi totum obtinuerit, quod ambiri poteſt, licèt vitæ melioris jacturâ comparandum ſit lucrum illud.

92. Quid non obtulit rebelli ſuo Abſoloni Rex David, ne ante tempus raperet, ſed exſpectaret obventuram ſibi aliquando coronam! veniam dedit fratricidii in Ammone commiſſi. Extorrem non ſolùm urbe, ſed & regali æde excepit. In regiam redeunti oſcula, & amplexus paternos dedit. Jeroſolymis Succeſſorem Imperii declaravit, ac ſuum eidem palatium ceſſit. Sed non obſtantibus tot favoribus, vel per calcatum patrem ad regni culmen eluctabatur impotens Abſolonis ambitio. Jam regnum vi invadit, Regem patrem urbe regia expellit,

pellit, nec priùs perſequi fugientem ceſſat, ac vivere deſiit. 2. Reg. 18. Ipſe Joſeph ſomniatæ felicitatis baſin in manipulis triticeis parùm â tellure aſſurgentibus vix erexerat, cùm in altero ſomnio videtur ſibi ſupra ſidera evectus, ac â Sole, Luna, & ſtellis adoratus, & poſt obtentam polymitam ſibi viam ſternit ad purpuræ magnificentiam. Cùm David contra Goliathum ad prælium deſcenderet, perâ, & fundâ erat inſtructus, paulò poſt Chlamydem induit, ac ſceptrum ſtringit. Lapillus ille, qui ſuapte ſponte avulſus â rupe Coloſſum ſuperbiæ proſtraverat, ſuper hujus ruinas poſtliminiò ipſe in montem erigitur mole terraquea majorem: *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Dan. 2. v. 23. O! quot proſtratum aliorum faſtum majori faſtu calcant, & ex ſuperbiæ ruinis templa ſtruunt ambitioni ſuæ.

93. Ecce hîc quàm parùm fidendum ſit humilitati vallium! non rarò ex dejectis montium culminibus altiùs ipſæ valles aſcendunt, quàm montes ſurrexerant! Etiam humiles Domini diſcipuli olim nihil petebant aliud, quàm piſcium capturam, quîs vitam tolerarent. Vix aſſumpti ſunt, ut ſupremi Principis individui comites ſtipent latus, & en jam ſidereas ſedes, & thronum Agni ambiunt! *Dic, ut ſedeant.* Matth. 20. v. 21. Atque inter ſe ipſos diſceptant; *Quis eorum videretur major.* Luc. 22 v. 24. Quàm humilis Saul, quando adhuc quærebat aſinas patris ſui, ad ipſum regiminis â Samuele factam mentionem totus confunditur: *Quis ſum ego, aut quæ domus patris mei? nunquid non filius Jemini ego ſum, de minima tribu Iſraël, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de tribu Benjamin?* 1. Reg. 9. v 21. Quaſi diceret: quid ſibi iſta volunt, Samuel? egóne Rex? quis ſum ego, aut patres mei, ut vel de ſceptris cogitare audeam? filius ſum ultimæ tribus, & in ea minimæ domus noviſſimus. Quàm modeſtus hic Saulis ingreſſus! exſpecta ſis, ut vel invitus regnum capeſſat, quàm intumeſcet coronatum hoc caput! antequam ſolium conſcendat, eſt poſtremus inter minimos, vix è throno imperat, nec Samuelis nec ipſius Dei juſſis paret amplius. Quàm in oculis ſuis abjectus David! indignum ſe fatetur, qui vel contingat Saulis arma, ſtatim ac ſceptra rotat, aliis imperare non contentus, vult in numerato habere omnia & ſingula ſubditorum capita, quò fumo ſe paſcat notæ potentiæ. Ipſe Nero modeſtiam finxit, dum ſibilarent ad blandientium voces, Imperatorem ipſum ſalutantes: ut autem erectam in auro vidit Imperii ſui ſtatuam, ſplendore ejus adeò obcæcatus eſt, ut in excidio Urbis orbis dominæ throni ſui fundamenta meditetur. Altera Nabuchodonoſoris ſtatua, dum lutei ejus formarentur pedes, nunquam ſe adorandam credebat. At verò ubi aurato vertice ſeſe extulit, omnium ſibi adgeniculationes vindicavit. Glandes in tellurem illabuntur,

ac ibi putrescunt, subin in arbores assurgunt, & proceras, & tam nervosas, ut nec vehementissimis typhonibus cedant; Securi opus est prævalidâ, ac repetitis ictibus, ut humi prosternantur; imò, quo emersêre rursus reddendæ loco. Quod Jeremiãs vidit, *virga* erat primitùs, subin *virga vigilans*, denique *olla succensa.* cap. 1. â v. 11. Rivuli oriuntur lambentes terram, florum, ac herbarum infima rigantes, valles lætis animantes sonis; at verò ubi majora spatia telluris percurrerint, paulatim in torrentes, & fluvios excrescunt, adeò inflantur, ut pontes, & alia obstacula indignati secum omnia abripiant mare ingressuri immensis spoliis metallorum ac gemmarum divites, rubore suffundendi, si vilius quid intulissent. Ne nimiùm fidas adulationibus, ne inflari te sinas applausibus: attende sis, ut his viperis probè cordis ostium claudas, ne si vel rimulam invenerint, quà subeant, totum hominem inficiant. Statim ac umbram suspicionis detexit Joannes, quòd Judæi Jerosolymitæ cogitarent ipsum esse Messiam, ut monstrum vanæ gloriæ in ipsis cunis elideret, non solùm negavit se esse Messiam, sed & professus est indignum se, qui ligulam calcei ejus solveret: *existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne fortè ipse esset Christus: respondit Joannes, dicens omnibus: ego quidem aquâ baptizo vos; venit autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* Luc. 3. v. 15. & 16. Quid cupis Joannes? quis de hoc te interrogat? nullus sanè, cùm tantùm id cogitent, ut quid ergò velut rogatus respondes? sine quantùm velint, suis cogitatis inhæreant, sine etiam id, quod ipsi cogitant, aliis dicant, parùm id referet: sed non permittit hoc summus vanitatis osor Joannes, astuto huic serpenti illicò obstandum, antequam sibilet obturandæ aures, difficulter enim excluditur applausus auditu facili exceptus, & fama, nominisque celebritas, ubi per omnium ora vagatur, etiam maximos vanæ gloriæ contemptores identidem titillat: ad radicem ponenda securis, ne arbustum crescat tam blandorum ac simul exitialium ferax fructuum, aliàs totis viribus opus erit, ut nodosum truncum exscindas. Etiam Præcursor Domini famæ adultæ vires reformidat, hinc in semine illam elidit, quid cæteri non formident? sunt qui initio generosè calcârunt æstimationis umbras, quæ ipsos præcedebant, sed heu subin nimiùm quantùm eas sunt secuti! Prima pictæ imaginis lineamenta nihil habent gratum oculo, rudis est, & indigesta linearum congeries; at verò ubi penicilli artificis ductus, variis interstincti coloribus, tabulam absolverint, non solùm visum recreat, sed in sui æstimationem, ac admirationem vel oculatissimos rapit. Felix ille, qui cum Joanne statim, ac vanæ gloriæ prima lineamina advertit, spongiam contemptûs adhibet, ut ea oblitteret, vel humilitatis umbris contegat,

tegat; quia poſtmodum ubi ſemel colorata vanitatis pigmenta animi iconem undique deformârint, etiam ſanguine multo opus erit ad abolendos penitus jam imbibitos hoſce colores. Sua vivebat ſorte contenta in paradiſo Eva prima viventium mater, ac mundi Domina, nec ſupra hoc faſtigium ambiebat aliud; cùm ecce! ſortis hujus invidus ſerpens Evam delineat virulento carbone tanquam Deam: *eritis ſicut Dii* Genſ. 3. v. 5. Et illicò etiam vitæ ſuæ, & ſuorum pretio fieri voluit deitatis ſtultæ vaniſſimum ſimulacrum.

Idea XVIII.

Invincibilis eſt, quem ambitio non vincit.

94 QUi auratæ Majeſtatis ſtatuæ undique radianti, pulchritudini coronæ animos faſcinanti, & ſceptri ſplendori intuentium hebetanti oculos, nec genu flectit, nec caput inclinat, invicti coronam meretur, cui pæana Angeli accinant, eſt digniſſimus. Ille ſolùm meretur donari dignus regimine, qui gubernarere cuſat. Solus is regnare debet, qui regnum timet, ac ideò fugit, quia timet. Saul quando etiam Dei ſententiâ diadema merebatur, id recuſat, ſuæ conſcius indignitatis, imò verò fugit, & abſcondit ſe, ne Rex fieret: *Ecce abſconditus eſt domi.* 1. Reg. 9. v. 22. *Nunquid non filius Jemini ego ſum.* 1. Reg. 9. v. 21. Ubi verò juſſu Dei Samuel eidem Sauli contra Dei præceptum delinquenti jus regni abrogat, immeritos honores ipſe adhuc appetit: *ſed & nunc honora me coram Senioribus.* 1. Reg. 15. v. 30. Ecce hîc, cùm meretur coronam filius Jemini, illam repudiat, & generoſus hic ſummæ dignitatis contemptus, regno dignum facit Iſraëlitico, illúmque conſtituit invictum ducem ad prælianda prælia Domini. Sed quando nihil minus meretur, ac diadema Saul id retinere petit, & quia petit, jubet Deus id ei aufferri. Moyſes precatur Dominum, ut populi regimen ſibi adimat, Dominus autem in eo Ductorem confirmat. Num. 11. 15. Tantò enim dignior eſt imperio, quantò remotior ab imperandi libidine: & facilé vincet Dei, & populi electi hoſtes, qui feriſſimam belluam ambitionem antè devicit. Hinc non tantùm Dux populi iteratò confirmatur, ſed & Pharaonis Dominus proclamatur: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. v. 1. Qui honor nec Aaroni contigit, licèt natu majori: *& Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Ibid. quia nempe *Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis.* Hebr. 11. v. 24. Revera magnus Moyſes tam excelſi animi, ut etiam ſperneret omnes Ægypti magnitudines, cor invictum oſtendit

ad coronæ & ſceptri aſpectum: ſic ad thronum ipſum Divinitatis evectus eſt, qui tam generoſo contemptu ſcandere noluit ſolium regni. Ita eſt, invictæ, & omnia potentis Deitatis prærogativâ decorari meretur, qui infringere potuit catenam auream ex regali diademate pendentem, & manumittere ſceptrum, ut paſtoralem baculum ſuſciperet. Pingebat ille ad ſolii pedem coronam, & ab hac non procul dexteram, dubium relinquens, an manus diadema arriperet, an verò relinqueret. Utrumque intelligi poteſt, quia, ſi oblatam reſpuit, meretur; ſi recipit, eâ fit indignus: prior electio ſapientis, ac providi eſt, poſterior inſani, & cæci. Deus vult, ut hic manum extendat, qui ejusmodi non appetit, ut reſtringat, qui anxiè quærit. Umbræ hîc ectypon habes, fugientis inſequentem ſe, & ſequentis fugientem.

95. Illi viginti quatuor Seniores, qui ante thronum coronas abjiciunt, in conſpectu Dei inter plauſus coronantur non ſolùm, quà reges, ſed etiam, quà victores undequaque invicti: *mittebant coronas ſuas.* Apoc. 4. v. 10. Si abjiciunt coronas ſeniores iſti, quare ſanctus Joannes dicit: *ſuas?* ideò nempe, quia dum generosè eas ſpernunt, poſtliminiò rurſus *ſuas* faciunt: vincunt ſe ipſos, & pulchra hac victoria coronas iterum lucrantur. Jam bis victus in utraque tentatione â Chriſto dæmon, haud tamen animum deſpondet: tertia vice pugnam inſtaurat, ſed cùm hîc quòque ſe proſtratum vidit, ulteriori tentamine deſtitit, ac palmam victori denique ceſſit: *tunc reliquit eum diabolus.* Matth 4. v. 11. Ambitionis lucta hic commiſſa: *oſtendit illi omnia regna mundi.* â Num. 9. Quâ vix periculoſior altera. In hac arena, cùm diabolus videret ter victorem Dominum, invincibilem credidit, & porrò ad certamen non rediturus abiit, invicto ſubin coronam attulerint Angeli è cœlo miſſi: *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* v. 11. O ambitio! quis te non timeat? nam, ſi Filius Dei, qui arduiſſima quæque aggreſſus eſt, in hunc mundum veniens, nullum cum hoſte ſtygio aliud certamen, quàm tui causâ inire voluit; profectò conficitur, tentationem ambitionis plùs, quàm humanam eſſe, ſeu hominis viribus ſuperiorem. Demus, pro Filio Dei non eſſe â tentatore agnitum Chriſtum, quocum luctabatur, certum tamen eſt, ſciviſſe dæmonem, quadraginta dierum jejunio jam fuiſſe defunctum hunc pugilem, & ab eo bis ſe victum. Audierat & ipſe vocem cælitùs delapſam, quæ Antagoniſtam ſuum omni encomio decorabat, ac Joanne Baptiſta illo ſanctitatis prodigio, majòrem declarabat. Sciebat ſine dubio iſta, & plura ejusmodi alia avernalis hoſtis, nihilominùs adhuc aliquam habuit ſpem palmæ repoſitam in imperio ambitionis, aliàs tertiam non eſſet auſus ingredi arenam: *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Matth. 4. v. 9. Repeto, quis te non timeat ambitio, ſi viderit Dei filium, ùtùt ipſe nihil ſibi â te timeat, quòd

quòd te tamen altera vice fugiat? *Fugit iterum in montem ipse solus.* Joan. 6. v. 5. quis fugit? Dei Filius: quid fugit? coronam, quam ejus captæ munificentia & virtute regia turmæ illi offerrebant. Estné possibile, quód ille, qui luctatus est cum Satana, qui aperto marte leonem hunc rugientem aggressus est, qui sui securus, tanti hostis brachiis se credidit, ut è deserto in montem, & pinaculum templi transferretur; qui â dæmone non fugit, diadema fugiat sibi oblatum? regnum fugiat tam insigni beneficentia sibi debitum? quis non fugiet rem tanti discriminis plenam? quis non metuat in hoc mari naufragium? sedego etiam multùm timeo aliis, ne nimis parùm hîc timeant ipsi, cùm sacer textus dicat: fugit ipse solus: insignia nempe regni, & quidem tam multiplicatis meritis ad se delati tam generosè fugere potuit Jesus *solus*.

Idea XIX.

Nullus attollitur, nisi quem sustulerit Providentia.

96. QUamdiu Jacob etymologiam nominis sui explens mansit Jacob, id est *Supplantator*, tendens fratri suo natu majori tendiculas, quêis primogenita ei surriperet, nec propsperari vidit domum suam, nec gavisus est fructibus impertitæ sibi præ Esau paternæ benedictionis. Omnia artificia in rem hanc adhibita nihil profuêre, nisi ut cogeretur relinquere patrios lares, & profugi instar alibi sortem magis auspicatam quærere. Quid emolumenti habuit ab empta primogenituræ hæreditate, â venditis lentium pulmentis, ab assumptis mentitis vestibus, â blanditiis erga utrosque parentes, præsertim Rebeccam artificiosè adhibitis, â donis Patri Isaaco opportunissimo tempore allatis (quæ sunt aulicæ ambitionis artes) quid, inquam, inde emolumenti? nullum sanè, cum nec uno gradu promoverit fortunam suam, nec promissæ sibi â patre felicitatis vel modicum quid obtinuerit? verùm ubi suarum supplantationum pertæsus ad cœlum se convertit, plorat, luctatur cum ipso Deo potiùs humilibus precibus, ac amoris violentiâ, quàm brachiorum robore, familiam, filios, uxores, atque oves suas ad tempus deserit, nec non Israëlis nomen assumit: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël erit nomen tuum.* Gen. 35. v. 10. Israël porrò vocaberis seu *videns Deum*. Et en! illicò

illicò audit: *Ego Deus omnipotens: crescе, & multiplicare.* v. 11. Ego qui omnia possum, tibi promitto incrementa maxima, nascentur ex te populi, regia erit stirps tua, & filii tui dominabuntur gentibus: *Reges de lumbis tuis egredientur.* ibid. Et ecce! hîc qua ratione crescere oporteat! quomodo prospiciendum familiæ perennitati! ad quem confugiendum sit, ut loco sublimi ponamur! *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent.* Matth. 6. v. 28. Et tamen neque Salomon in tota gloria sua sicut unum ex his. Quid auspicatiùs & faciliùs, quàm sine ullo labore, aut molimine sic crescere, & augeri. Tu laboras in sudore vultus tui, ut crescas, & neque potes sorti tuæ cubitum unum adjicere, quia scilicet niteris contra Providentiam, cujus ordinationi suavissimæ unicè deberes te committere. Pone lilium, quod neret, vel laboraret ut fieret viola, cariophillus, aut rosa purpurea, & lilium exueret, & violæ, aut rosæ habitum nunquam indueret. Si ergò lilium incassùm laborat, cui, uti reliquis plantis omnibus incrementum dat Deus, quò recidet omnis labor noster? ad nihil serviet, nisi ut aranearum telas texamus, omni vitâ nostra circa exsuccum rubum nihil viroris inde accepturas. Anne virebit in horris sceptrum regale areolis insertum, quidcunque industriæ in eo rigando impendat hortulani manus? nihil minùs, nisi ubi accesserit irriguum superius, unde regnorum & flos, & fructus omnis pendet.

Sine labore lilia crescunt, *non laborant*, & nihilo seciùs in eam assurgunt altitudinem, quam Deus ipsis præfixit. Granum sinapis in arborem denique excrescit rigamine Providentiæ Divinæ. Patriarcha Abraham humi procubuit in conspectu supremæ Majestatis: *cecidit Abraham pronus in terram.* Gen. 17. v. 3. Totum se projecit in sinum paternæ Dei dispositionis, & en! jam sibi dici audit: *nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* v. 5. antea v. 3. promiserat illi Deus: *multiplicabo te vehementer.* Subin, ùt penitùs se, & sua Providentiæ Dei reliquit, majora adhuc incrementa capit: *faciámque te crescere vehementissimè, Regésque ex te orientur.* v. 6. Additque *statuam pactum meum - - ut sim Deus tuus, & seminis tui post te, dabóque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Canaan in possessionem æternam.* ânum. 7. Hinc nempe omnis Abrahamicæ stirpis felicitas! hinc ampla dominia! hinc divitiæ & splendor omnis innumeræ sobolis! Deum agnovisse bonorum omnium largitorem, qui facit de tenebris splendescere lumen, ac ipsam lucem, ubi sibi placuerit, in solem convertit. Dum Saul patris sui abjectissimum pecus sollicitè quærit, solium invenit paratum sibi â Deo. Judith, postquam diu sedit in domo solitaria, consortia fugiens hominum, 97.

ut

ut se, & gentem suam Providentiæ Divinæ ex asse traderet, triumphum de Holoferne retulit, & toto Assyriorum exercitu. Esther affligens, & humilians animam suam, ad thronum Assueri assumitur. Gedeon purgans triticum regiminis baculum accipit, quem in sceptrum efflorere, & lauros de hostibus devictis proferre vidit. David ovium pastor ad Goliathi superbiam triumphandam vocâtur. Samuel ex lampadum templi curatore supra candelabrum ponitur, ut in domo Dei luceret summus sacerdos. Moyses non in aula sed è deserto electus est Dux populi, & Pharaonis Deus. Denique Joseph ex carcere educitur ad Ægypti regimen. Sic lilia crescent in agro spei ac fiduciæ in Deum, sic ex terræ visceribus aurum, & gemmæ prodeunt, ut coronis â Deo destinatis splendorem addant. Ros omnis de cœlo venit, quo pretiosæ sortis margaritum in conchis formetur. Perpende jam homo honoris cupide, & ne mille laboribus fodias tibi cisternas, quæ continere non valent aquas, de hac infrunnita irreverentia, uti & stulta cæcitate meritò queritur Deus apud Jeremiam: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* v. 13. Felix ille, qui ex integro spem ponit in Domino, qui cum Psalte dicit: *Si ambulavero in medio mortis umbræ, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22. v. 4. Ipsi nempe est cura de omnibus, sinite, ut vobiscum agat juxta omne beneplacitum suum: *Et in silentio, & in spe erit fortitudo vestra.* Is. 30. v. 15. Non unam tulit repulsam Cananæa fides, spe tamen sua non est defraudata, sed contemptus denique conversus est in plausum: *O mulier magna est fides tua!* Matth. 15. v. 28. Ubi filii jugulum peti videt Abraham rebus jam desperatis adhuc spe plenus Isaacum suum vidit lauro cinctum, ac inter stellas cœli relatum, in obedientiæ cultro obtinuit meritum sacrificii, & in isto suæ victimæ diu victuræ immensum incrementum: *Contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium, secundùm quod dictum est, sic erit semen tuum sicut stellæ cœli.* Rom 4. v. 18.

Turpiter hallucinatæ sunt, utpote 98.
fatuæ, quinque virgines illæ, quæ penuriæ suæ levamen â virginibus prudentibus petebant: *Date nobis de oleo vestro.* Matth. 25. v. 8. invocâssent Deum, qui præstò est invocantibus se, & in nomine ejus obtinu ssent, quod quærebant: *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. v. 3. Jam prope erat in Sponso remedium, ut verbulo uno fuissent consecutæ oleum, sed dum id â creaturis petunt, & spe sua frustrantur, & nuptiis Agni. Inconsultè paralitice quid quereris: *Hominem non habeo.* Joan. 5. 7. In homine fidis? eousque in infirmitate tua gemes, donec in Deo fidas. Ægyptius Joseph squallore carceris diu luet spem suam, in pincernæ repositam precibus: statim ac unum Deum respiciet, lætus se â catenis ad solium translatum aspiciet. Sapienter Dismas desperata humana in extremis ope, unum

Deum inclamat: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. v. 42. Ecce hominem, qui totam ſpem poſuit in Deo ſuo! exaudita eſt illicò deprecatio ejus, æternæ vitæ pignus in anguſtiis mortis haurit ipſo ex ore Domini: *Hodie mecum eris in paradiſo.* v. 43. Habes hîc, quomodò, & in quo ſperare debeas, ut votis damnêre, imò ut plura obtineas, quam optâras, ringentibus etiam illis, qui petitis tuis obſiſtebant, hoſtium tuorum protegente Deo victor factus, nempe: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquila, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Iſai. 40. v. 31. Aquilinæ plumæ abſumunt, deſtruere dicuntur cæteras; qui habitat ſub Providentiæ Divinæ alis, non habebit, quod timeat ſibi vel ab harpyarum unguibus: qui verò caducis rebus innititur citò corruet. Quemcunque tangit humani ſubſidii cura, felle & amaritudine replebitur, uti ea, quæ tanguntur aquâ maris, hac non ſolùm amareſcunt dulcia Nili oſtia, ſed & ipſe ros cœli.

99. Credite mortales! in manu Dei eſt omnis noſtra proſperitas! nulla felicitas, nullum propitium aſtrum, bonum, aut datum nullum, niſi quod venit â Patre luminum. *In manu Domini poteſtas terræ.* Eccleſt. 10. Regia lectio vertit: *felicitas hominis:* Vatablus: *Succeſſus hominis.* Hinc Daniel Balthaſar Regi ſuaſor extitit, in uno Deo fideret, *qui*, ùt ipſe dicebat, *habet ſtatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas.* cap. 5. v. 23. Tu ô Rex hactenus ſpem poſuiſti in diis tuis ligneis, qui neque vident, neque vivunt, & Deum verum, in cujus manu ſunt omnes fines terræ, & ille ipſe, quem tu ſpiras, halitus, neglexiſti: ſi hujus unius ſuaviſſimus ſupremæ Providentiæ Zephyrus tua impellat carbaſa, optatum littus, Inſulas fortunatas certus tenebis; in ipſo verò portu naufragium facies, ſi iratus rati tuæ, & furioſus turbo incubuerit: unus hic Deus eſt, qui vel proſperè te ducat in viis tuis, ſi tecum fuerit, vel te perire ſinat in aviis, & inviis, ubi â te receſſerit. Rotæ illæ Ezechielis, quæ currum gloriæ trahebant, ſupra mare gradiebantur: *Et aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris.* cap. 1. v. 16. Alia hîc haud ſperanda firmitas, ac quam ſpondeat ſpumæ vanitas. Non majori ſolitidate nituntur regna in myſtico eo curru exhibita. Omnia, & ſingula vel aſſurgunt vel deprimuntur impulſu cœli, illa ad nutum ſuum moventis: *Quocunque ibat Spiritus, illuc eunte ſpiritu, & rotæ pariter elevabantur ſequentes eum: Spiritus enim vitæ erat in rotis.* v. 20. Vel minimus halitus voluntatis Divinæ mancipia in Reges erigit, idémque Reges è thronis detrudit ad Mediaſtinos. Spiritus hic vel tenuiſſimus plus valet ad conflandam proſperitatem ſolidam ac conſtantem, quàm omnes artes, & mundi molimina ad texendam vel unius diei felicitatem.

Con-

100. Conſiderate ergo ambitioſi lilia, quomodò creſcunt, illa contegunt ſe candore ſimplici, vos induitis veſtem mille fucatam coloribus, & vulpinis hinc inde duplicatam dolis; illa cœlum versùs aſſurgunt decore, lucem inde, ac incrementa accipiunt ſupra vulgus florum evecta. Vos terrenorum duntaxat cupidi folia veſtra humi diffunditis, curvæ jugiter in terras animæ. Illa nullo tempore laborant vos nunquam quieſcitis; illa non nent, vos tota die texitis vanitatum telas, quibus denique muſcam exilem capiatis: fila veſtra ita attenuatis, ut vel ad minimæ indignationis auram illicò frangantur; hic veſtes agendi modus nihil habet, quo creſcere valeatis, ſolus Deus eſt, qui dat incrementum, huic ergò vos committite, huic fidite, hunc ſequimini, & augmenta optata conſequemini; procul abſint malæ artes, niſi in foveam ipſi velitis incidere, quam ſtruxiſtis aliis. Vix cæperant impia in Deum auſa moliri telluris Domini: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum.* cùm ecce nutu Providentiæ Divinæ ab ipſis deſciſcunt ſubditi, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus â nobis jugum ipſorum.* Pſalm. 2. v. 2. Idcircò David, ùtùt voce Dei evectus ad ſolium Iſraël; *Ego autem conſtitutus ſum Rex.* ibid. v. 5. audit tamen ſibi â Deo præcipi, ut regnum poſtulet: *Poſtula â me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* v. 8. Sed nunquid jam Rex conſtitutus eſt David, quid ergo adhuc regnum poſtulet? ita ſanè, ne quod jam acceperat, poſtliminio amittat; nihil enim boni obvenire poteſt, niſi ab optimo Deo, nihilque obtentum conſervari, niſi ipſe velit. Benedictionem petis de pinguedine terræ, ac pluviam agris atque vinetis tuis, audi verbum apud Iſaiam monentis Dei: *Contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui.* cap. 30. v. 22. *Et dabitur pluvia ſemini tuo, ubicunque ſeminaveris in terra.* v. 23. Etiam in loco ſterili, ac arido irriguum non deficiet, ubi abjectis vanitatum præſtigiis, velut idolis id ſolum â Deo exſpectes.

Antequam peccatum fædâſſe ter- 101.
ram, ipſa ſponte ſua producebat herbam virentem, flores & fructus tempore ſuo, uti modò inculta germinat ſpinas, & tribulos; neque ad id indigebat radiis ſolis nondum exiſtentis, Gen. 1. v. 12. At verò vix peccârat Adam, & neque præſtante influxum ſidere, neque addente cultum agricolæ manu effici potuit, ut plus tritici quàm infelicis lolii proferret. Incaſsùm ab homine ſperas, quod unus Deus indulgere poteſt: miſeri illi, qui in Deo non ſperant, *& non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſraël.* Iſai. 31. v. 2. Quid denique dare poterit mundus, ſi Deus id neget? quò magè confidis in eo, cui inniteris, eò citiùs interibis. Quia *Dominus inclinavit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præſtatur auxilium.* Ibid. v. 3. Quære Dominum, hunc ſequere, & ama,

ſperans de bonitate ejus, ille viciſſim te amabit, ac etiam ornabit, idque ultra vota tua. *Amavit eum Dominus, & ornavit eum.* Nam amor Dei, non eſt ùt amor mundi; hic amare quidem poteſt, honorare non poteſt. Deus diligentes ſe, & diligit, & glorificat. Denique ſcito extra cœlum nullibi occurrere propitium ſidus, & ridiculi ſint, qui ſtellas in terris ſomniant. Septem illas, quas olim ſanctus Joannes vidit, & in iis reliquas omnes eo ſeptenario concluſas, ſua manu clauſit Dominator Dominus, ibi ſingulæ reſident, & inde omnes peti debent: *& habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Apoc. 1. v. 6. Quando Servator natus eſt terris, oriri fecit novum ſidus in cœlis: *vidimus ſtellam ejus in Oriente.* Matth. 2. v. 2. Joſeph necdum præſagium habebat futuræ ſuæ felicitatis in ſpicarum Symbolo, quia nempe ê terra naſcuntur, & telluri incumbunt: tunc ſe beandum credidit, quando dormienti ſibi ſtellas cœli affulgere conſpicatus eſt: *vidi quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas undecim adorare me.* Gen. 37. v. 9.

Idea XX.

Ut attollatur, omnia audet ambitioſus.

102. DIſcipulorum ambitioſos conatus repreſſurus Dominus, quando ſedes ipſi petebant in regno ſuo, calicem paſſionis, ipſis Propinavit: *poteſtísne bibere calicem, quem ego bibiturus ſum.* Matth. 20. v 21. Quaſi diceret, vos ſedere petitis, ac quietem anhelatis, ego verò ad laborem, & pugnas vos invito. Edicite, audetísne mecum vigilare, ſudore diffluere, innumera pati & præferre voluntati veſtræ beneplacitum Dei, inordinatæque affectioni ſanguinis, & amoris proprii ſalutare poculum, quod ego bibiturus ſum? poteſtísne eſſe potiùs pauperes & juſti, quàm divites, etiam aliorum injuria? poteſtísne occupare ſedes veſtras, ut in iis ſtrenuè vos impendatis, & obligatione defungamini munii veſtri, an verò ut uni otio & quieti ibidem litetis? poteſtísne denique mori pro mea gloria, an vultis vivere ad augendam veſtram? quid reponitis? *dicunt ei, poſſumus?* v. 22. Ecce quantis animis ſe ſe ipſam attollat ambitio! ad ſummum eluctatur, & charitati ſe parem facit, *quæ* Divo Paulo teſte, *omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* 1. Cor. 13. v. 7. Æſtimatione ſua etiam calicem paſſionis usque ad noviſſimam guttam valet ebibere. Neque dolores timet, neq; pericula effugit, nec jacturas moratur, nec vinculis adſtricta animis concidit, neque reformidat vulnera, cruces, mortes, modò

ſpem

spem habeat obtinendæ coronæ, quam votis omnibus ambit: clausis oculis omnia spondet, & nescia amari, aut etiam venenosi liquoris usque ad ultimam guttam cyathum exhaurire temeraria prætendit; antequam agrum avaritiæ emat, valorem & pretium agri metitur. Militaris audacia, ubi assultum in mænia parat, antea ariete sibi iter molitur. Neque etiam audacissimus vitæ contemptor sine velis, & remis se Oceano credit. Sola ambitio oculos claudit ad ardua, labia applicat noxiis quibuscunque epotandis, modò in calicis fundo id videat, quod tam ardenter sitit. Per calcatas intrepidè spinas, lanceas, cruces rectà ibit ad solium. Jámque culmen conscendit, jam se videt locatam in fastigio, jam palmam manu tenet; quorsum ergo pergit? ad coronam ex præcelsæ arboris summitate pendentem. Attende sis, qui sùmma petit, in ima cadit, culminibus proxima sunt præcipitia, vertigine facilè corripitur, qui stat in excelso. Nihil hoc quidem refert ambitionis, vel pericula non videt, vel ridet, ut diadema rapiat, nec mortis metu corripitur: peribit læta, modò pereat coronata. O mortales bene perpendite vim verborum Domini! *potestísne bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* v. 22. Calicem undequaque repletum fœcibus scelerum mundi? calicem in quo ebibendo opus fuit potenti stomacho ipsius Hominis Dei! calicem qui solo aspectu angores mortis, & cruentos sudores exprimit? & tamen adhuc audetis dicere: *possumus*, nihil vos moratur, omnia molimini, ut sedem habeatis in throno, parùm solliciti, licet fuerit sedes perditionis. Etiam humeros ipsius dæmonis non exhorrescitis, modò iis ad excelsa enitamini.

Animadversione dignum videtur, 103.
quòd cùm Christus unica vice in Hierosolymitani templi culmine constiterit, â dæmone illuc delatus in Evangelio dicatur: in desertum â spiritu Dei ductum esse Jesum testatur Mathæus cap. 4. v. 1. â spiritu verò malo in pinnaculum templi, & hoc quidem postquam jenunium ad quadraginta dies protraxerat: in deserto sanctissime vixerat: in Jordane tanquam filius Dei voce de cœlo lapsa proclamatus fuerat, & Spiritus sancti columbæ specie super ipsum descendentis visitatione decoratus: *tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dicit ei, si filius Dei es, mitte te deorsum.* Matth. 4. v. 5. & 6. Ecce! quo fine dæmon attollat, non ut in altis habitans, diu fruatur honore obtento, sed ut inde præceps decidat in barathrum: sed nec eò terretur ambitiosus, perinde ipsi est sive ab homine sive â diabolo attollatur, nec præcipitia horret, modò culmina teneat. Eja dicit Saul conscendere debeo montem Gelboë, veniat Propheta, qui ascensui huic meo applaudat, mittitur ad Pythonissam, & ab ea petit sibi Samuelem sisti ab inferis adductum. Quid quæso inconsulte Rex moliris, quid auxilii ab orco quid exspectas consilii â muliere

Solis fascinis addicta? hanc tamen consulis: *Divina mihi in pythone.* 1. Reg. 28. v. 8. & ab umbra Samuelis tuæ phantasiæ objectâ, plena horroris vaticinia excipis: *Dabit Dominus etiam Israël hodie in manu Philistiim: cras autem tu, & filii tui mecum eritis.* ibid. v. 9. Eja ascende cum cohortibus tuis, & simul omnes peribitis. Committitur pugna, cæditur Israël, occumbunt regis filii, Saul fugit; ne autem imaginariæ gloriæ expers, ceu inglorius moreretur, pectus gladio, animam diabolo objecit: *Arripuit itaque Saul gladium suum, & irruit super eum.* 1. Reg. 31. v. 4. suis occumbere voluit manibus, ne alienis occumberet; glorisè â se ipso interfici voluit, *ne alii*, ùt ipse dicit, *interficiant me illudentes mihi.* ibid. Esto cum corpore simul anima sic pereat, modó cavere possim, ne gloria pereat. Quænam istâ crudelior barbaries, in puncto ad inferna descendere, ne ab honoris puncto vel latum unguem decedas! ista sunt nimirum ambitionis temerariæ dictamina, ad aditum certæ mortis ullo pulsari metu neque ad gehennæ rictum quàm latissimè diductum ab imaginariæ gloriæ ambitu desistere. Jam non solus est Lucifer, qui imperandi libidine ex cœlo in abyssos averni præcipitem se dedit, qui potiùs tenebrarum, quàm lucis esse Princeps voluit. Asseclas quàm plurimos numerat, tot nempe, quot sunt ambitionis mancipia: proprium his est, animum ostendere ad maxima quæque pericula impavidum, magnanimitas videri posset, nisi temerarius esset, sceleatus, ac cæcus furor, quia imò cæcitas ipsa est. Ubique ambitiosi hi imperare se putant, & vel ingratiis suis nimiùm quantùm obtemperare debent. *Nescis*, inquiebat Antigonus filio suo in subditos asperiori *nescis imperium omne nostrum, nihil esse aliud quàm splendidam servitutem.* Tiberius quoque, coronata illa bellua, non semel senatui fassus, ac etiam conquestus est, *Imperatoris esse omnium suorum deservire commodis.* vid. Lipsium L. 2. c. 7. Politic. vigilias suas impendendas communi quieti, laborem omnium levamini, industriam solicitam aliorum deliciis & reipublicæ securitati sua pericula. Vix centurio se dominum professus est aliquorum: *Dico huic vade, & vadit.* Matth. 8. v. 9. Cùm illicò subjunxit, se quoque aliorum dominio subesse: *nam & ego homo sum. sub potestate constitutus.* Ibid. Quò Pharao somniorum interpretem Josephum Gubernatorem Ægypti declararet, *collo torquem aureum ei circumposuit.* En catenam mancipii notam, quæ licèt aurea sit, ferreâ tamen gravior est. Filium Dei Isaias dixit terræ Dominum, quando Agnum nuncupabat venturum, ut tolleret peccatum mundi: *Emitte Agnum dominatorem terræ.* c. 16. v. 1. Sanctus Paulus verò de eodem locutus, quando in mundum venit, ad Philippenses scripsit: *formam servi accipiens.* Cap. 2. 7. Quod itidem Christus ipse confirmavit dicens: *filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Matth. 20. v. 28.

v. 28. Nec tamen negat se magistrum ac Dominum, cum servum se dicit: *vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis, sum etenim.* Joan. 13. v. 13. Idem nempe est dominari ac servire omnibus: *magna servitus est, fortuna, Senec*: de consol. cap. 47.

104. An non cæcus sit ambitionis ardor, si levamen quærit ex eo, quod est intolerabile onus? sub isto fatiscens Moyses Deum rogat, ut id alleviare dignetur: *non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.* Num. 11. v. 14. Et tamen Ductor iste populi vir erat, cujus Spiritus & ipsi, & septuaginta senioribus, quos oneris ferendi adjutores subin Deus attribuit, abundè sufficit: *Et aufferam de Spiritu tuo, tradámque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* v. 17. Vir tantus procul dubio, nec tamen tanto oneri solus ferendo. Ipse Filius Dei factus homo, qui sustinuit crucem omnium hominum peccatis onustam, vix ampliùs illam ferre potest, ubi titulus eidem affigitur: *Rex Judæorum*, nam paulò post: *inclinato capite tradidit Spiritum.* Joan. 19. v. 30. Humeris prævalidis instructus Saul in primum Regem populi Hebraici eligitur: *& altior fuit universo populo ab humero, & sursum.* 1. Reg. 20 v. 22. Imò cùm Pater æternus unigenitum Filium regem Israël constitueret, suis promissis regnum firmat: *Dabo clavem David super humerum ejus.* Isai. 22. v. 22. Clavis aliàs in manus traditur, ubi potestas alicui confertur, sed clavis hæc Davidica sceptrum est, & quidem tam grave, ut vel Dei humerum exigat, quo sustentetur.

Cæca iterum est ambitio, *vitam* 105. *enim eligit quavis morte duriorem.* Hinc Moyses malorum regiminis haud ignarus mori postulat, ac porrò regnare: *obsecro, ut interficias me.* Num. 11. v. 15. Servator ubi ad necem quæritur, obviam it satellitibus, & liberè profitetur: *Ego sum.* Joan. 18. v. 6. Quando autem turbæ veniunt, ut Regem se facerent, non solùm his non procedit obviam, sed omnino fugit: *cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Joanne 6. v. 15. Nota quod sacer textus dicat: *raperent.* Revera enim ei, cui corona imponitur, aurea etiam catena injicitur, huic adstrictam habet libertatem omnem, factus communis boni speciosum mancipium. Quando recèns nato Salvatori mortem minatur Herodes, ipse non fugit, sed parentum manibus se bajulari permittit, qui Dei jussu furori tyrannico puerum subducere debebant: *Tolle puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptam, futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Matth. 2. v. 13. verùm ubi regnum minantur beneficiis ejus devincti populi, non alienis, sed suis fugam pedibus capessit: *fugit ipse.* Themistocles dicere erat solitus: *malle se ad sepulchrum duci, quàm ad senatum,* mortem, quæ ex necessitate obvenit, præhabens morti, cujus se liberè Dominio mancipat.

Sic

Sic intelligitur mysterium verborum Jesu ad Divum Petrum, quando hunc suæ Ecclesiæ Principem creat. Vix hæc verba Servator pronunciârat: *pasce oves meas.* cùm vinculorum & mortis Petro mentionem ingerit: *alius cinget te, & ducet, quò tu non vis: hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Joan. 21. 19. Ecce dum de thiara loquitur Christus, martyrium indicit; quando ad supremam Cathedram Petrum elevat, crucem ei ostendit, & dum una manu porrigit purpuram, alterâ exhibet mortuale sudarium. Voluit videlicet instruere in eo omnes, ut intelligerent, regnare idem esse, ac mori: & fortè qui purpurâ conteguntur, plures quà reges occumbunt, ac quà infirmi. Sic occubuit Saul, dum ferale sceptrum regia lancea ipsius cor transfixit, *dum incumbebat super hastam suam.* 2. Reg. 1. v. 9. Titulus, seu causa mortis Christi Regis Regum in cruce, est titulus Regis: *& erat titulus causæ ejus inscriptus: Rex Judæorum.* Marc. 15. v. 16. Nempe regius hic titulus obligat & sanguinem pro subditis fundere: *Princeps Regum terræ, qui lavit nos in sanguine suo.* Apoc. 1. v. 5. Ita est pretio sanguinis redimendum sceptrum, & haustu calicis passionis Dominicæ obtinenda sedes regiminis; qui aliter hîc censent, cæcorum instar, de coloribus censent. Hîc autem patet, quanta sit ambitionis cæcitas, quàm temeraria in suis ausis, quàm stolida in suis conatibus, quando enim de levamine circumspicere oporteret, ipsa oculos figit in onus dominationis longè superius humeris suis: dum aliis imperare prætendit, se ipsam servituti penitùs mancipat: dúmque vivere se credit regnando, vel in ipso regno mori se sentiet vivendo. Dixerat Christus Pilato: *regnum meum non est de hoc mundo.* Joan. 18. v. 36. Et tamen admisit Regis Judæorum subin titulum, erat autem scriptum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Joan. 19, v. 19. Cur ita? nisi ut indicaret, quòd hîc regem esse, idem sit, ac esse crucifixum, & regni sui sceptrum non differre â ligno crucis, nec id vacat mysterio. Judæi titulum Regis scriptum non posuêre sub pedibus, sed supra caput in crucem suffixi. Meliùs priori loco legi poterat, ac posteriori, aptior fuisset irrisioni, quam illi quærebant sua inscriptione. Ponitur nihilo seciùs ad caput, ut videas regnum coronæ spineæ proximum, seu curis innumeris vel suffocantibus vel saltem jugiter ambitiosorum præcordia lancinantibus.

Idea XXI.

Nihil ſinceræ legis admittit ambitio.

107. PAucis verbis velut vivis coloribus malitiam ambitionis depingit ſacra novi Teſtamenti pagina, ut quisquis eam tabulam intuetur, horrorem concipiat; dicit enim: *tunc acceſſit ad eum Mater filiorum Zebedæi.* Matth. 20. v. 20. Sanctus Marcus addit: adveniſſe cum matre etiam filios: *aſcendunt ad eum Jacobus & Joannes.* Marci 10. v. 35. Utrumque veriſſimum: nam mater Chriſtum acceſſit propter filios, filii autem veniunt duce matre. Sed hic oritur difficultas; quomodò acceſſerunt ipſi ad Jeſum, ſi jam adſtabant lateri Jeſu? nam ipſe aſſumpſerat duodecim, ergò etiam Jacobum & Joannem? reſpondet Chryſoſtomus Hom. 6. in Matthæum eatenùs acceſſiſſe hos diſcipulos ad Jeſum, quatenùs eum â reliquis diſcipulis abduxerunt, *ſeorſim*, ùt ipſe loquitur, *ab aliis diſcipulis accipientes Jeſum.* Nolebant illi, uti ambitioſis eſt in more poſitum, ab æmulis gloriæ ſuæ impediri: hinc ſeorſim cauſam ſuam cum Magiſtro agunt. Sciebant ſibi quoque obventuras ſedes, cùm & ipſi audierint illud: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Matth. 19. v. 28. ſed unà ambiebant regni cœleſtis ſedes primas, cæteris â Chriſto præferri attentabant. Injuriam ipſi faciebant illi, quæ inter condiſcipulos intercedere deberet, harmoniæ, legi amicitiæ, & inter plerosque etiam conſanguinitatis: meritò ergò timebant, ne eadem menſurâ, ſibi remetiretur ab aliis. Uterque prætendit Magiſtri latus proximè ſtipare, adeóque reliquos præcedere; non ergo dubitant id ipſum facturos hos, ſi illis quoque innoteſceret hæc primarum ſedium prætenſio. Idcircò iſtam occulturi ſeorſim Jeſum accipiunt, atque cum matre ad Chriſtum accedente & ipſi filii accedunt, licèt jam antea magiſtro præſentes aſſiſterent. Omnia præſumit ambitio, philautiæ vitio laborans, nulli plus quàm ſibi ipſi deberi arbitratur, & pro honoris punctulo, omnes amicitiæ, & ſanguinis leges conculcare, nihil ſibi religioni ducet.

108. Hoc ipſum inter germanos fratres pluribus ſcripturæ locis videre licet, ubi jurgia ejusmodi, & discordiæ occurrunt. Jacobi frater erat Eſau: teſtatur id Rebecca mater, dicens ad Jacob: *cùm Eſau frater tuus.* Gen. 27. v. 6. ſic illum vocabat Jacob: *nôſti quòd frater meus Eſau.* v. 11. Videtur tamen vel Eſau non fuiſſe, vel ſaltem non voluiſſe videri frater Jacob, cùm ſacra ſcriptura, ubi de Eſau loquitur etiam relatè ad Jacobum, nullam fraternitatis cum Jacobo mentionem

faciat (lege Gen. c. 27. & 28.) nam hîc Jacob dicitur frater Esau, etiam quando prior experiebatur sibi inimicum posteriorem, non autem Esau vocatur frater Jacob; quia videlicet hunc ille vatiniano odio prosequebatur: *Oderat Esau semper Jacob*, v. 41. videlicet *pro benedictione, quâ benedixerat ei pater.* ibid. qua ambitionis pabulum claudebatur, gentium dominatus: *Serviant tibi populi*, imò ipsi Esau dictum: *Fratri tuo servies.* Nempe mens inflata Esau æquo oculo non potest, ùt fratrem, respicere, quem se olim habiturum dominum intelligit. Odio habebit germanum, ne amare debeat sibi præpositum. Somniârat Joseph adoratum se â Sole, Lunâ, & stellis undecim: de somnio edocti fratres illicò censuêre, se stellas eas fore, quæ Josepho aliquando adorationis cultum delaturæ essent: hinc eò magis puerum oderunt, cui jam antea nihil pacificè loqui poterant. Gen. 37. v. 8. eò denique odium processit, ut fatale evaderet, mutuóque sese iis verbis animarent ad parricidium: *Venite occidamus eum.* v. 20. Quid molimini inconsulti? fratrem vestrum ê medio tolletis? at ipsi non agnoscunt fratrem, quem audiunt superiorem. Somniatorem vocant, non germanum fratrem: *Ecce Somniator venit*, adorari is petit: *moriatur.* Licèt sit frater, nihil jura sanguinis moramur, ubi ambitio tolerare non potest in aliis adorationem, *moriatur.* quamvis morte Josephi etiam splendor stellarum extinguatur in nobis, *moriatur*, ne ipse agnosci debeat, ut sol noster, malumus siderum luce carere, *venite, occidamus eum.* Ita est, etiam somniata dignitas superioris prævalebit cuicunque ligamini fraternitatis, & odium ambitionis quantociùs abolebit germani titulos, ne cernua venerari debeat regios. Et quid jam mirum si Eliabus iram concipiat in Davidem? *Eliab frater ejus major iratus est contrà David.* 1. Reg. 17. v. 20. Victoriam enim augurabatur Eliab; si in Philistæum prævalidus juvenis, qui leones, & ursos devicerat, subin moveret. Ex victoria secuturos cogitabat triumphos, plausus, honores, ac generi regis prærogativam, nec ferre poterat, etiam sceptrum regni inferri in pastoritiam suam domum, cùm natu minori fratri se olim subdendum id cerneret. Id verò jure mirari possumus, quare Cain primogenitus maximi totius mundi monarchæ ferre non potuerit fratrem suum Abelem, eò quòd fumus holocausti ipsius rectiùs cœlum peteret, quàm suus, & ad munera potiùs Abelis, quàm Caini Deus respiceret. Possibiléne erit, quòd ob rem tam levem, ac fumus est, Cain fraterno cruore maculaturus sit manus suas? ita factum est, & ita fieri solet, ubi prædominatur ambitio, sanctissimarum etiam legum violatrix scelesta.

Stupet magnum ingenium (Oliv. tom. 2. strom. pag. 182.) factum Sancti Joannis, quando hic ex navi intuitus in littore Dominum indicavit Petro: *Dominus est.* Joan. 21. v. 7. 109

&

& poſtea Petrum ſtupet ſuper aquas ambulantem, ut citiùs Chriſto occurreret, ſubin tamen prælaudatus author addit: *Plùs ſtupeo Joannem remigantem, quàm Petrum calcantem undas.* Et cur iſtud? quale prodigii genus remigatio etiam â quovis è nautano trivio nullo negotio abſolvenda? cùm tamen impùne calcare maris fluctus citra miraculum nulli liceat. Hoc non obſtante merito magìs ſtupendus Joannes remigans, quàm Petrus ſupra mare ſicco pede incedens: hoc ſiquidem inceſſu Apoſtolorum Princeps citiùs ferebatur ad Dominum, quàm navis remigio cæteri adeoque, cùm Joannes fratri ſuo Petro hanc prærogativam ſponte cedit, aliquid facit, quod merito admirationem moveat, quam non excitet qualecunque prodigium: *Plùs ſtupeo Joannem remigantem, quàm Petrum calcantem undas.* Id ipſum non præſtitit alia occaſione idem Joannes cum Jacobo fratre. Hi ſiquidem licèt ſedium regni ſecuri, & fortè neminem, quem ſibi præferri ea ſeſſione timerent præter unum Petrum in collegio Apoſtolorum intriti, hunc ipſum tamen contra ſanguinis legem excuneare prima ſede conati ſunt, quando petiêre ſedem dexteræ, & ſiniſtræ ſupremi Judicis. Libro 2. Reg. cap. 24. refertur Davidis cenſus de populo initus, & notatu digna eſt diverſitas ſummæ eo cenſu inventæ. In ore Joabi reliquæ tribus Iſraël numerabant, octingenta millia virorum fortium educentium gladium, ſola tribus Juda cenſebat quingenta millia pugnatorum, ita Liber ille Regum, ſed Libro 1. Paralipomen. cap. 21. idem cenſus aliter recenſetur. Nam Iſraëliticis tribubus attribuuntur centum millia belligerantium ſupra unum millionem, Tribui verò Judæ ſolùm quadringenta ſeptuaginta millia. Unde origo diſcriminis in unius ejusdemque populi numeratione? non aliunde, quàm ex libidine cenſentium. Priori enim loco ſolus Joab regem edocuit de numero populi; poſteriori etiam Principes Tribuum cenſui interfuiſſe dicantur. Cenſuit itaque quisque pro affectu ſuo. Joab exercitus Davidici caput Tribum Judæ, ut ſuo Regi placeret, auxit, cæteras imminuit, Duces ipſi tribuum oppoſitum fecêre augendo ſua, & imminuendo aliena dominia. Ambæ partes uni erant ſubditæ Domino, ambæ nulla lege communis boni ductæ, privatam ambitionem præferunt. Sic Regibus illuditur, cùm exercituum exhibentur rationes, nullæ attenduntur juſti, & æqui regulæ, ſed uni inſcribentium calamos influunt vel cupiditatis vel ambitionis tituli. Fera hæc in nullo meliùs, quàm in Baſilisco ideari poteſt; hujus enim venenato livore turgentia præcordia nullum admittunt æmulum, nec ſe majorem, nec ſibi æqualem. Etiam illos occidet, quibus ſi viverent, imperare poſſet, ut eos occidat, qui ſi ſupereſſent ſe ſolum imperare non ſinerent. Infelix Joſeph, ſi vel phantaſticâ Morphei coronâ cinctum te fratribus credas, ùt ùt Iſraëlis filiis; inter tigrides

ac leones tutior vives, ac inter illos; beſtiarum enim harum etiam ferociſſima in ſua ſpecie trahet ſui ſimilem: at ambitio etiam inter germanos fratres tam eſt malignantis naturæ, ut nullum ſibi ferat parem. Verè fera eſt peſſima, ut Jacobus meritò dixerit, triſtiſſimo Joſephini fati nuncio conſternatus: *Fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph.* Gen. 37. v. 33. Bellua hæc neque communes feris, quas natura indidit, leges obſervat, ut ſcilicet ſimile non agat in ſimile; ambitio enim inſurgit inter patrem & filios, & inter unius ventris uterinos ac ipſos germanos fratres. Neque etiam ſacrata matrimonii ligamina veretur, aut mutuum conjugum amorem, ne ſciſſiones & diſſidia hîc quoque cauſentur.

110. Deceſſerat mulieris cujusdam maritus relictis geminis filiis & debitis immodicis, quibus ſolvendis modica non ſufficiebat hæreditas. Petunt ergo â Creditoribus filii, ut in partem debiti veniant, ac ſerviendo reſiduum ſolvant. Afflicta Mater Eliſæum adit, certa ſpe freta obtenturam ſe id, quod peteret. Quis autem non credidiſſet petituram, ut reviviſceret maritus, & ipſe nomina, quæ fecerat locô filiorum expungeret? ſed petiit aliud, ne in ſervitutem abſtrahantur filii, veniſſe enim creditorum quempiam queritur, *ut tollat filios meos ad ſerviendum ſibi.* 4. Reg. 4. v. 1. mulier maritum â Propheta poſtula, nam & mortuos ſuſcitare valet? minimè, reponit illa, quia licèt eo vivis reſtituto fortè non ſervirent filii mei, ego tamen rurſus ſervire deberem ſub viri poteſtate iteratò conſtituenda. Dormiit vir meus Dei voluntate, ego libera ſum, ſi ille etiam porrò dormiat, ſi ſervitute unà liberentur filii mei, tam ego quàm ipſi verè erimus liberi. Hæc fors etiam ratio fuit, cur prima orbis hujus fœmina vetitum fructum, antequam daret marito ſuo, guſtare voluerit: *& comedit, dedítque viro ſuo.* Gen. 3. v. 6. Sola nempe eſſe volebat ſicut Deus, vel ſaltem felicitatis tantæ ante virum ſuum cupiebat eſſe particeps, ſi res ex voto ceſſiſſet ambitioſæ mulieri, ſciet Deus, an & marito fructum dediſſet tanti boni feracem; dedit, ut & ipſum perderet, poſtquam ſe jam perditam hauſto veneno vidit. Cur mortis anguſtias cauſatur Rachel? quid dicit Jacobo viro ſuo: *alioquin moriar.* Carentia filiorum prætenditur, quæ mortem cauſet Racheli: *da mihi liberos alioquin moriar.* Prætenditur quidem hæc cauſa, ſed non videtur mortis eſſe cauſa. Pepererat ſoror Lia Rubenum, pepererat Simeonem & Levi, nec tamen Rachel moritur, licèt nullos adhuc habens à marito liberos, nec etiam morituram ſe dicit. Sed ſtatim ac Judam eadem Lia peperit, qui interpretatur: *Laus & gloria*, cui regna & ſceptra olim obtingere debebant, conqueritur Rachel: *da mihi liberos, alioquin moriar.* En hîc ad regni mentionem illicò inſurgunt invidia, æmulatio, ambitionis carcinoma. Patietur Rachel Liam parere, quotieſcunque lubuerit, modò Reges non pariat;

riat; at ſi imperio deſtinatos peperit nec Rachel *contemplationem* ſignificans, nec ſoror minor in majore id unquam patietur, ut ut partus iſti in dilecti ſponſi gloriam apprimè cedant. Antea invidiæ dolore morietur Rachel, ac etiam marito ſuo naſci videat filios reges, niſi fuerint pariter nati ex Rachele reges filii. Ibi ambitio mortem fingit: ubi ſceptrum & corona aculeum figit, hîc ſtatim exclamat dolore amens: *da mihi liberos alioquin moriar.*

III. Videamus an ſaltem fera hæc ambitionis peſſima dulci parcat patrum in filios, & horum in illos amori, ne etiam potiſſimam hanc naturæ legem prætereat! audite. Promiſerat Deus tam diu ſterili Abrahami thoro prolem maſculam: *qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem.* Gen. 15. v. 4. Et eo ipſo loco promiſerat ipſi Abrahamo dominium terræ, quam tunc pes Patriarchæ calcabat: *Eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.* v. 8. Attendite, primam, quæ de filio ſibi facta eſt, ſponſionem illicò credit Abrahamus, nec promiſſi ullum â Deo pignus cupit; at verò promiſſum alterum obventuri ſibi terræ dominii adhuc in ſuſpenſo hæret, ſigna petuntur, ut plenam fidem inveniat; quærit â Domino Abraham: *unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſum eam?* Quid hoc rei, an non utrobique Deus loquitur & promittit, cur ergò non par fides utrique adhibetur promiſſo? nempe oſtendit etiam vir tam ſanctus, ac erat Abraham, longè majorem ſibi curam eſſe obtinendæ coronæ, quàm hæredis. Etiam amor prolis cedere debet amori ſceptri, cui poſtremo jura quoque naturæ poſt habentur; nec aries validior etiam naturalis cujuscunque legis mænia fortiùs impetet, ac diruet quàm ambitio, huic deſideria reliqua herbam porrigunt, éſtque dominandi libido, ùt arca Noëtica, quæ ſubſidentibus cæteris, ſola in altum enititur, ſola de reliquis omnibus triumphum agit. Moabiticum Regem Meſam arctiſſima obſidione cinexerant Reges Judæ, Iſraël, & Edom, cúmque ex præſidiariis immiſi in caſtra obſidentis viri ſeptingenti nihil effeciſſent de urbe regia, deſtructis jam cæteris, imò de regno ſuo univerſo conclamatum putabat Rex Moab; una tamen ſupererat regni ſalus, ſi videlicet in hoſtium conſpectu primogenitum, quem apud ſe habebat filium, diis ſuis victimam daret. Mirabile certamen in uno, eodémque homine Patris, ac regis vices agente? Si filio parco ſecum ipſo luctans dicebat, vivet filius, ſed peribit regnum: ſi filium occido, mortale vulnus amori paterno infligo, & ſic in & cum filio morietur pater; at ita Rex Moab adhuc vivet. Si vivat filius, vivet & pater & peribit Rex. Moriatur filius, moriatur pater, unus Rex vivat, jactura filii minor jacturâ coronæ: *arripiensque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat, pro eo obtulit holocauſtum ſuper murum.* 4. Reg. 3. v. 27. O! barbaram! & omnis humanitatis expertem ambitionem. Quam ne diutius viderent vel ipſi hoſtes, deſerta

urbe ſtatim receſſerunt, ùt fidem facit loco citato ſacra pagina. Aliàs ſæpiùs viſus mori parens, ut viveret filius. Flammis ſe tradet atque in cineres abibit Phœnix, ut ex buſto reviviſcat Phœnix alter. Pectus ſibi aperiet, Pelicanus, ut proprio ſanguine vitam inſtillet pullis ſuis. Ipſa vipera â fœtu ſuo ſibi viſcera arrodi permittet, ut in vitalem auram prodeat; & ambitio hominis eousque graſſabitur in humanitatis leges, ut pro conſervando diademate, quod aliquando, velis, nolis, relinquere oportet, neci filium proprium tradat. Quid dicemus de Herode, qui, ut regnum ſibi firmaret, & ipſe prolem ſuam interemit eo uno urgente metu, ne filius hic eſſet promiſſus Rex Judæorum? Homo ſanè crudelis aut potiùs crudelitatis monſtrum, pro quo denique regnum iſtud tuum quæris, niſi pro filio tuo: ita eſt, inquis, ſed ut id non priùs obtineat, quàm patre mortuo: moriatur proin filius meus, dum ego vivo, ne me adhuc vivo unquam ille ſit Rex, aut mecum regnet.

112. Suo rebellis patri Abſolon conſilium inierat cum ſatrapis de modo opprimendi fugientis cum ſelecto milite Davidis. Eorum unus ſuo regi etiam in ultimo vitæ, & regni amittendi diſcrimine fidus rem aperuit Sadocho, & Abiathari Sacerdotibus, ut & Davidi innoteſceret, ac ſibi, & diademati ſuo in tempore caveret. Delecta eſt ancilla, quæ nuncium ferret pro ſalute Regis excubantibus ad fontem Rogel Achimææ & Gonathæ. Dum autem ſecretum mulier communicat, viſa atque etiam audita eſt â puero quodam, quem ſanctus Hieronymus aſſerit fuiſſe ancillæ filium: quis crederet? malum hoc ovum, & peſſimus ſuo Regi ſubditus illicò ad Abſolom cucurrit, & proditum arcanum ipſi indicavit, ùt habet ſacer textus: *& indicavit Abſoloni.* 2. Reg. 17. v. 18. Nequiſſime puer, in crimine tanti diſcriminis matrem propriam accuſas? ita eſt, ſuam ipſe parentem defert, licet vitæ fortè illius jacturâ: *volens gratiam inire ab Abſolom*, ùt hîc Sanchez notat. Plùs in eo effecit ſpes imaginaria lucri, quàm filialis in matrem obſervantia, majoris æſtimat gratiam principis, quàm vitam parentis: ubi locum habet ambitio, naturæ, & ſanguinis leges cedere debent. David autem jam regio ornatus diademate, toties ſuorum hoſtium victor, cogitur victor, cogitur timoris plenus fugere â facie furentis Abſolonis. Validus ille & infractus olim animus, qui tam imperterritè ſtetit ante deformis gigantis horribilem aſpectum, jam ferre non poteſt juvenculi filii iratum vultum; in fuga ſalutem quærit, dum ſua proles patrem adoritur, qui integris Philiſtinorum exercitibus antea occurrere non timuit. Ita eſt, & non abs ratione eſt. Magìs timenda eſt fera peſſima filii ambitiò, quàm barbarus quiscunque Philiſtæorum furor. David Abſalonem non metuit, dum aliis vitiis ſe polluit. Quando parricidium commiſſit, violenta nece ſublato fratre Amnone: quando incendit Joabi agros, quando ſanguinarium, & cru-

& crudelem atque vindictæ appetentissimum se ostendit: tunc, inquam, non metuit Absalonem David, nec ab eo fugit, sed potiùs ipsum fugat, & exilio plectit, ac pœnarum metu, ne in deteriùs labatur, coërcet. At verò ubi in abominandum ambitionis crimen malesuadum juvenem collotenùs incidisse vidit, ubi ipsius sceptri paterni cupidissimum est intuitus, illicò se perditum credit, nisi fugâ salutem redimat, probè gnarus, ab eo vel maximè timendum, qui & humanas, & divinas leges omnes ambitionis æstro conculcat. Et verò quid sceleris intentatum reliquit inflatus hic Absolon? Armata manu arcem Sion occupavit, Palatinas Davidis ædes expilavit, concubinas patris sui prostituit, thronum regium profanavit, parentem suum regiâ expulit, fugientem cum paucis integro exercitu insequitur, paratus cum diademate auferre caput. Hi sunt fructus omnia sacra & profana jura calcantis ambitionis. Hinc sponsa de vinea sua, seu Ecclesiâ solicita jubet: *capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas.* Cant. 2. v. 25. Cùm magis timeret sibi nocituras sagacitates, & malas artes ambitionis, quàm omnem ursorum, aut leonum fortitudinem, ac feritatem.

Idea XXII.

Ambitiosus nec se majorem patitur, nec sibi æqualem.

113. DUbius hæreo, an si Christus libello supplici Matris filiorum Zebedæi subscripsisset, isti obtentis sedibus fuissent contenti. Petierat illa natorum suorum locari unum ad dexteram, & unum ad sinistram Servatoris, ut scilicet in regno cœlorum non tantùm mortales cæteros eminentiâ sedis præcederent, sed & ipsos Apostolos, timendúmque erat, ne & frater unus alteri præferri vellet. Hinc parens ipsorum neutrum alteri præhabeat, nec Jacobo latus dextrum, nec Joanni sinistrum, aut vice versa postulando, sed simpliciter â Domino petens, ut filiorum *unus ad dexteram, & unus ad sinistram* locaretur, arbitrio relinquens Regis Regum, ut ille pro quolibet eorum manum determinaret, aut juberet mutatis vicibus sedere unum â dexteris, alterum â sinistris. Hoc tamen postremum non fuisset satis votis primas sedes petentium; quia sic ambitio, si non majorem, saltem habuisset parem: & ideò mater non

dixit:

dixit: *Unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram*, ſed *unus*, & *unus*, quia in primis ſedibus ſibi obventuris uterque ſedere volebat unus unicus ſine æmulo. Ecce quomodò non ſolùm nec majorem, ſed neque parem ferat mens ambitione turgida, ubique ſola eſſe vult & unica, uti ſol, qui dum oriri videt lunam plenam aliquo modo ſui in luce æmulam, illicò occumbit, ne lucere deberet una cum ſocio.

114. Parùm Eſau intereſt, ſi ipſe de rore cœli, & pinguedine terræ parem cum fratre Jacobo obtineat benedictionem: nam neque hæc gratiarum plenitudo evacuat odium jam in ſuum germanum ex eo tempore ſuccenſum, quo audiit ex ore Iſaaci patris: *Dominum tuum illum conſtitui: imò ſi Eſau oderat Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater.* Gen. 27. v. 41. odium in furorem abiit, quando intellexit, ſe etiam fratri ſuo ſerviturum, tunc enim è medio illum tollere illicò decrevit: *Occidam ergò Jacob.* ibid. ne ſuperiorem haberet, quem jam oderat, ùt ſibi audivit ſimilem. Achitophel teſte ſacra ſcripturâ unus erat ex Abſalonis regnum paternum jam uſurpantis, præcipuis miniſtris, quæ primis verò pollebat conſilio, qua prærogativa ſupra reliquos plauſum, amorem, ac nominis ſibi conciliârat celebritatem. Sed cum ſemel non ſuo ſed Chuſai placito inhæſiſſet Abſalon; en tibi Achitophelum illicò curiâ, & diſpoſitis rebus domus ſuæ etiam vitâ paulò poſt ſuapte ſponte excedentem namque teſte S. paginâ *ſuſpendio interiit.* 2. Reg. 17. v. 23. Nihil meritis Achitophelis deceſſerat, nihil ademptum honoris, aut gloriæ per hoc, quod unica vice alterius conſilium ſit ſecutus Abſolon: attamen hominis ambitio mortem potiùs ferre mavult, quàm in aula Principis Conſiliarium ſibi ſimilem. Cùm alpes Cottias tranſiret Julius Cæſar, in pagum devenit paucis definitum capitibus, ſed iis omnibus & paupertate, & tenui ſua ſorte ad invidiam contentis. Rogatus ab amicis Cæſar, quid de hoc popello ſentiret, jocóne, an ſeriò repoſuit: *Mallem equidem inter iſtos primus, quàm inter Romanos eſſe ſecundus.* nempe ubique faſtus hominis volebat eſſe *aut Cæſar, aut nihil*, aut ſol, aut tenebræ. Licèt cæteros omnes mortalium & dignitate, & felicitate excederet in urbe Romana, unum tamen vel ſe majorem vel ſaltem æqualem ſibi ſuſtinere non poterat magnum Pompejum. Neque etiam iſte aliquid ſe eſſe credebat, licèt maximi ab omnibus haberetur, dum videbat Cæſarem lateri ſuo adhærentem ambitione ſua cæcus uterque; quid enim infelicitatis redundaſſet in Cæſarem, ſi felix quoque manſiſſet Pompejus? aut quid huic demebatur, ſi alteri etiam plurimum accreſceret? an forte unus attollitur, ſi alter deprimitur? aut, quòd iſte aſſurgat, ille cadere debet? ſcilicet utriusque fortuna dependet â propria cujusque ſententiâ. Cæſar credit, ſe nihil eſſe, ubi Pompejum videt eſſe aliquid, aut ſe majus aut ſibi ſimile; & Pompejus arbitratur

tantum

tantum ſe â magno diſtare, quantum ad magnas victorias, & dignitates accedere videt æmulum Cæſarem; uterque cenſet, ùt cæcus de coloribus, ambitione ſua quisque obcæcatus: nam quivis eorum id revera erat; quod erat, nec alterius eſſe vel non eſſe, vel chilum dependebat ab iſto imaginario, & putatitio eſſe, aut non eſſe.

115. Quando Deus debitis pœnis coërcuiſſe dicitur ſuperbiam Luciferi, & aſſeclarum ejus, unius ſolùm, qua pulſi ſunt ſedis fit mentio. *Depoſuit potentes de ſede* Luc. 1. v. 52. ſi multi ſunt, qui ſuo loco pelluntur, multas etiam ſedes habuiſſe videntur, ſed nullatenus: una eſt ſedes, una peſtilentis ſuperbiæ cathedra; in hac omnes & ſinguli ſedere ſe putant, qui oculos habent ambitionis tumore omninò obtuſos. Hinc eodem Lucæ loco paulò ante dixit humilitatis Magiſtra Dei Parens. *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Nam omnipotens Dei manus confudit excelſas has cogitationes ſupremæ ſedis aſcendentes de cordibus hiſce ſuperbis, cathedrâ ambitioſos deturbavit, non in qua ſedebant, ſed in qua credebant, ſe merito ſuo ſedere. Abſterſit â mentibus eorum ſtulta hæc cogitata primam ſedem ambientium, & non ſolùm oſtendit, habere eos ſui ſimiles, ſed etiam majores omnes, quos exaltavit humiles. Intoleranda enim verò arrogantia ambitioſi! en Deus, qui ex eſſentia nullum ſibi parem habere poteſt, ne dicam majorem, hominem tamen condidit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: unde Philo de homin. opific. *Nunquid major es Deo, qui hominem non ſolùm ſui ſimilem patitur, ſed facit.* Et tu homo, cui alter homo in eſſentia, & natura eſt ſimillimus, hunc tibi parem eſſe nulla ratione feres? Non ſic famoſus ille Evangelii Centurio, qui ab ipſo Deo elogia tulit: hic, licèt officio magnus, hominem ſe conſiderabat aliquibus quidem præfectum, aliis verò etiam ſubditum: *Nam & ego*, inquit ipſe, *ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites.* Matth. 8 v. 9. Hacque ingenuæ modeſtiæ ſignificatione meruit fide excellere Iſraëlitas omnes & Dei hominis iſto encomio decorari: *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* v. 10.

Idea XXIII.

Ambitioſorum ficta ad tuos pedes adgeniculamenta veri ſunt ad manus tuas libelli ſupplices.

116. EN ſuperbiam nonnunquam etiam humi nequiter proſtratam, ut hypocriſi humilitatis ementitæ tegat aſcendentes fumos ambitionis. Qui fontem intuetur in montis culmine enaſcentem, ac inde ad radices ejus defluum, ut lambat pedem, credet id eſſe obſequium humile excelſis ſuis delatum natalibus, præcipuè ubi ſubin in anguſtias aquæ ductus ſeſe immergit, ac veluti tumulum ibi vix enatus quæreret, aſpicientium oculis ſeſe ſubducit. At verò qui deinde videt eundem fontem rurſus eluctari in altum, ac in ameniſſima tempe effundi, illicò agnoſcet ſubdolas faſtuoſæ ſcaturiginis artes, quæ ab avita celſitudine delabi, ac etiam aliquandiu latere voluit, ut poſteâ glorioſiùs aſſurgeret, & ſibi inter flores ſplendorem, inter concentus avium repetitos plauſus conciliaret. Hæc eſt facies nequiter ſeſe humiliantis ambitionis: deſcendit, ut altiùs aſcendat, cadit, ut glorioſiùs reſurgat? quàm humilis Mater Jacobi, & Joannis accedit ad Dominum, en proſtratam ad pedes Magiſtri Divini! extrinſecùs color omnis eſt humilitatis, interior nucleus totus eſt ambitionis! ad oculum exhibet adorantis ſpeciem, revera totum quantum eſt officium petentis: *Adorans & petens.* Matth. 10. v. 20. Rarò ab adoratione multùm diſtat petitio; hîc priorem illicò excepit poſterior, niſi omninò unam alteri junctam dixeris. Ubi adorantem videris, eam etiam petentem concipe, aut paulò poſt petituram. Intentio petendi jugiter poſt ſe trahit ipſam petitionem; adoratio præmittitur hoc uno fine, ut eo certiùs, quod petitur, impetretur. Ut Magiſtrum divinum homo leprâ infectus acceſſit, illicò mundari petiit: *Ecce leproſus veniens, adorabat eum.* Matth. 8. v. 2. ùt mundatus eſt, non conſtat rediiſſe ad Chriſtum, quò gratiæ locô novam adorationem exhiberet. Davidem adorat Miphiboſeth 2. Reg. 9. v. 6. verùm non alio ex fine, quàm quia beneficum expertus eſt, attributis ſibi patris Jonathæ bonis, aut fortè adoravit, ut donationis factæ fixum pignus, aut cautionem impetraret. Adorarunt illi, quos Ezechiel, ſe vidiſſe, teſtatur cap. 8. v. 16. ſed adorârunt ad ortum

ortum ſolis, id eſt ſolem ſibi orientem, & beneficum, non occidentem, qui nihil porrò ferre poſſit beneficii. Multi adorant Lunam creſcentem, cùm majorem ſuæ lucis copiam affundere poteſt in ſinum cultorum: pauci ubi cæperit decreſcere, quando adoratores parùm habent, quod ſperent. Nemo fontem accedit, ex quo non manat aqua, aut arborem, quæ fructu caret. Si itaque honos defertur & fonti, & arbori, non ipſis defertur, ſed bonis, quæ inde ſperantur. Solus dæmon, quæ eſt mortalium cæcitas ab affeclis ſuis cultum refert, licèt nihil ille retribuat, ſæpè etiam â cultoribus, quod habent, auferat. Adorant in vituli ſpecie hunc humani generis juratum hoſtem tribus Iſraëliticæ: *Surgentésque manè obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas.* Exod. 32. v. 6. & tamen & auro, & reliquis vani hi adoratores fuerant ſpoliati: *Videns Moyſes populum, quòd eſſet nudatus.* v. 25. Quot hisce miſeris, nec non ſtatuæ Babylonicæ cultoribus ſimiles adhuc hodie inveniuntur? adorabant illi aureum ſimulacrum, & fiebant plumbei; nam præceptum illis erat: *Cadentes adorate ſtatuam.* Dan. 3. v. 5. quàm pauci Deum adorant in ſpiritu, & veritate, ita Deo ſacrificium offerentes, ut in eo nihil ſpectent, niſi unum Dei cultum. Sic adornavit Abraham primogenitum amoris ſui jubenti Deo immolaturus. *cum adoraverimus*, inquit (velut re, ùt decet, ritè perfectâ) *revertemur ad vos.* Gen. 22. v. 5. Hac de cauſa tanti fecit, & tam liberaliter remunerata eſt Dei bonitas Elcanæ adorationem, hic enim in hunc ſolum finem templum adibat, *ut adoraret, & ſacrificaret* 1. Reg. 1. 3. quàm paucos in eo ſui imitatores invenit.

Illi quoque, qui Divino cultui videntur ſinceriùs addicti in Deo aliquid quærunt, quod unum Deum haud ſapiat: *Exultabimus in te, & lætabimur in te.* Cant. 1. v. 4. dicit ſponſa, velut diceret: O! Amor mi, quæ in te mihi gaudia, quas delicias paras? quàm præclarus, ac ùt prima fronte videtur, ſincerus affectus? Verùm rem non nihil altiùs rimemur, iis conſideratis, quæ antea dicta ſunt ab eadem ſponſa, & quæ dein ſubjunguntur. Antè dixerat: *introduxit me Rex in cellaria ſua*, & guſtanda mihi dedit optimæ notæ vina, ac delicias regias, atque poſtea addit: *memores uberum tuorum*, nempe dulcedinis ex hoc velut lactis fonte hauſtæ. Siccine ô mulier! delectaris in Deo tuo? quia ſcilicet donis te cumulat dulciſſimis, & mille ſuavitatum cupediis? huc denique recidit omnis puritas dilectionis humanæ? Deum amat, ut de illius bonis delectetur, & ſic ſe magis quàm Deum amare convincitur. Id in eadem ipſa ſponſa liquet: *poſt te curremus* eodem loco dicit, te ſequar dilecte mi, atque etiam currendo ſequar. Sed quem in finem ſequeris? *in odorem unguentorum.* Eſtné autem hoc ſponſum ſequi, an verò fragrantia potiùs ejusdem veſtigia? ſic certè non Deum ſe- 117.

queris sed donum Dei, vinum lætitiæ, lac dulcedinis, atque unguentorum oleum magis te trahit, quàm sincera dilecti Charitas, dum bonorum ejus rivulos desideras, fontem ipsum bonitatis malesuada repudias. Multos invenies Jonæ similes, hi dum hedera viret, in lætitia Deo serviunt, umbrâ herbæ protecti; exsiccetur ista, fervor quoque illorum concidet.

118. Ita nempe mundus adorat, ita ambitio se se humiliat, ut situla in puteum demersa, etiam infra aquas totam se se demittit, non ut adoret, sed ut crystallina munera inde referat. Humilitas simulatur & deceptio est, ubi quantum capere potest, ceperit, puteo tergum obvertet. Sic Camelus genua etiam agasoni flectit, onera sibi imponenti. Venerari hominem videtur, dum expilat, quum satis acceperit, in pedes erigitur nunquam porrò illum respecturus, â quo omnia, quæ secum portat, habet. Ita Mater Zebedæorum statim ac Christum accedit, adorare incipit, scilicet ut petat, *accessit adorans, & petens*, non autem dicitur adorâsse, cùm recessit. Qui adorando petit, non adorat, ut venerationem deferat, sed ut referat gratiam, submissionis quærit lucra, nequiter negotiatur; dum venerari se velle fingit, ad pedes prosternitur, ut propior sit dantis manibus. Adorat ambitio & jam petit, vel certè petet. Mulier inflata Jesum sequitur, non ut inserviat, sed ut in filiis regnet, non sequitur, ut sequatur, sed ut consequatur, quod postulat: ad pedes domini se prosternit, ut ad dexteram & sinistram supremi Judicis filios suos erigat, ut ipsi sedeant, illa flectit: adorat Dei filium, ut cum ipso olim adorentur filii Zebedæi; neque fæminæ ambitionem excusat, quòd non pro se, sed pro sua prole ejusmodi libellum supplicem offerat: debuisset filiorum comprimere fastum mater, non malesanis precibus, velut fomentis, extendere hinc stolidæ ignorantiæ & parens & soboles inculpari meruit: *nescitis quid petatis.* Hinc etiam Petrus, cùm in Thabore pro aliis petit quietem, solium, tabernaculum, inscitiæ notam incurrit: *nesciens quid diceret.* Luc. 9. v. 33. Nempe Dominus erat, â quo petebatur justus retributor, cui patebat cor petentium, videns, quo fine etiam pro aliis peterent. Aliter res procedit, cum homines petunt ab hominibus: isti petitis annuent, modò illi adorent, sive pro se sive pro aliis petant. Dum Christus quod ambitiosè â se petitur, intrepidè negat, discant & Principes ambitiosorum petitis, quomodocunque adorent, audacter repugnare, & si isti ad dexteram, ac sinistram insistant petendo, ipsi utraque manu repellant hos adulatores petita negando.

Verum quidem est, modestiæ lar- 119.
vâ quandoque tegi ambitiosam petitionem. Ea ipsa fæmina, quæ adorans petit, tantùm aliquid, dicit, se petere, ut expressè habet Matthæus: *petens aliquid ab eo.* Et quid illud? quid denique petet mater piscatorum, quando aliquid petit? an aliquid, scilicet

licet parùm quid, quod pro nihilo reputari queat, an aliquid retium, piſcium, remorum, vel quòd ejusmodi hominibus multum videatur, integræ naviculæ erit iſta rei alicujus petitio? ſed quanta abjectorum hominum ambitio ùt ut larvata! in hoc aliquo ſummum petunt, quod concedere neque eſt in manu Filii Dei, cui tamen *data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Sedes petunt ſupernas, ſceptra, coronas, quibus nec æquivaleat totius orbis Monarchicum regimen. Et hoc etiam fictæ humilitati, & ſimulatæ modeſtiæ videtur eſſe aliquid. Quando Petrus cum Sociis ſua retia ocyùs relinquit vocante Chriſto, modicum iſtud, quod deſerit, totum vocat: *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. v. 27. Et dum totum Jacobus, & Joannes petunt, ſe tantùm aliquid petere dicunt. Nihil eſt, quod amore Chriſti reliquit Petrus, & vult tantum inde meriti referre, ac ſi reliquiſſet omnia. Totum eſt, quod alii duo diſcipuli poſtulant, & id non majore titulo volunt recipere, quàm ſi duntaxat foret *aliquid.* Ecce in Schola Chriſti tam fucatis artibus locus! ubi tamen crux cathedra eſt, ubi paupertas diadema, ubi humilitas ubique commendatur, & exilium indicitur ſuperbiæ, quid fiet in palatiis, & aulis, ubi omnia exiguntur ad leges oſtentationis, & fucum gloriæ? ubi publica fit profeſſio ambitionis? ubi potentia ſola adorationem trahit? ſi pauperculi piſcatores tam imprudenter petunt, & tam impotenter primas ſedes appetunt, quid denique magnatum & glorioſorum terræ ambitione plena pectora exſaturabit? addit ſacer textus matrem, quæ non erat una ex ſacratioribus Chriſtum ſecutis, humaniùs in petitione ſua proceſſiſſe, ac filios, qui tamen Magiſtri ſui perfectionem erant profeſſi: mater petit adorando, filii ita petunt, ut ſibi concedi velint, quod petunt: *volumus, ut quodcunque petierimus, facias nobis.* Marci 10. v. 35. Ipſa petit aliquid, illi petunt omnia, *quodcunque petierimus.* Peſſimè ſonat, quòd Apoſtoli, aſſeclæ & domeſtici Chriſti ambitioſiùs petant, quàm mater extranea, ſed tamen ita Evangelii textus clarus ſonat: ambæ tamen petitiones conſonant, quia in unum idemque recidunt, nam, ùt vidimus, illud *aliquid* matris eſt *totum* iſtud filiorum, & idem ipſa dixit: *petens aliquid*, quod dixerunt iſti, quando dixerunt: *quodcunque petierimus.*

Dixerat Abrahamo Deus: *ego Pro-* 120.
tector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Gen. 15. v. 1. Magnus ſanè, quem ſervo ſuo his promiſſis Dominus contulit favor! at quis non ſtupeat Abrahæ replicam tantæ ſponſioni ſubnexam? dixítque Abraham: *Domine Deus, quid dabis mihi.* Heus bone! Deus optimus, totus quantus eſt, jam ſe dedit tibi! ſi hunc habes, totum habes, avarus ſit, cui Deus non ſufficit, quid ultra petis? id adhuc Patriarcha petit, quod â Deo optat. *Mihi*, inquit, *non dediſti ſemen*, filium præterea deſiderat toties â Deo ſibi promiſ-

ſum, *quaſi parvi pedens, quod acceperat, dum quod exoptat, non detur*, ùt loquitur Oleaſter. Sic etiam Iſaias, qui audire meruerat Deum hæc ad ſe dicentem: *ſervus meus es tu Iſraël, quia in te glorificabor*, illicò conqueritur, velut nullum retuliſſet laboris & operæ pretium: *in vacuum laboravi.* Iſai. 49. 3. & 4. Ita nempe ingratitudo noſtra ſe habet erga Dominum in nos maximè beneficum: eò ambitio hominis delabitur, ut poſtquam omnia obtinuit, omnia pro nihilo reputet, ſi vel minimum, quod adhuc ambiat, vel deſit, vel de eſſe credat: útque doni magnitudinem imminuat, licèt totum petat, nihil ſe petiiſſe fingat. Pro Adonia poſtulatura gratiam Salomoni ſe Berſabee ſiſtit: *petitionem*, inquiens, *unam parvulam ego deprecor â te.* 3. Reg. 2. v. 20. Hæc erat Epigraphe libelli ſupplicis Regi filio â matre porrecti, inſpiciamus ipſum libellum: *Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor*, velut diceret, licèt Rex parenti tuæ, ubi ad thronum acceſſit, omnia obtuleris, pro me nec aliquid peto: quod poſtulo, germanum tuum concernit, idque modicum eſt, utique â fratre fratri ad matris preces non denegandum. Ita ſentiebat Berſabee, ſed longè aliter Salomon, qui ea petitione includi diadematis ſceptri, ac regni ſui ſummam non ignoravit, & hanc ambitio vocat rem parvulam, quia etiam vaſtiſſimum regnum tumore ſuffuſis oculis videtur res minima. Loth flammis Sodomæ manu Angeli ſubductus ad ſervatorem ſuum converſus inquit: *eſt civitas hic parva, numquid non modica eſt.* Gen. 19. v. 20. Nempe bonus homo locô combuſtæ ſuæ in ſodomis domûs, jam urbem petit, & videtur ipſi res modica, & quare illam ab Angelo petit: *quia invenit ſervus tuus gratiam coram te . . . ut ſalvares animam meam.* v. 19. Ecce totam petendi cauſam! quia accepit gratiam, quia ex præſentiſſimo incendii periculo ſalvavit animam. Nempe adorat ambitio, ut obtineat; ubi obtinuit, iterùm petit, omnia illi modica videntur, omnia tantùm aliquid, quia totum ſibi arrogat, ubi vel ſemel adorat.

Idea XXIV.

Tinea est ambitio, quæ canabem æquè, ac sericum rodit?

121. MIrabilis ambitionis conditio grandia æquè, ac parva eodem pede & metitur, & calcat: *tunc accessit mater filiorum Zebedæi.* Matth 20. v. 20. Ecce eo ipso momento temporis, quo Christus de passione loqui incipit, ac morte opprobrii plena, ambitio importuna se ingerit, ut honores sibi, & regna procuret. En vitii ipsissimam naturam? unum idémque censet profana miscere sacris, & profanis sacra, eodem pede fora calcat, & templa. Jesus de tormentis loquitur, discipuli ejus glorias ructant, ille illusiones, & injurias sibi inferendas prædicit, isti de magni nominis fama unicè sunt soliciti. Dum ipse scenam aperit luctuosam spinis, flagris, cruce, & morte undique cruentam, hi vana sua lucra, plausus, primas sedes, diademata ostentant. Sítne aliquid discretionis legibus magis difforme, quàm prætensio ambitiosa omnis expers discretæ mentis? en aliud paradigma! in supremæ nocte cænæ, qua discipuli Magistrum audiunt de suo ad Patrem cælestem abitu differentem, quando vident exemplar hactenùs non visæ humilitatis, quum adhuc pedes ipsorum â lotione madent, & ora rubent â propinato sibi tam liberaliter Christi sanguine, tunc, inquam, in capita illorum fumi ascendunt præsumptionis, & contendere incipiunt: *quis eorum videretur esse major?* Luc. 22. v. 24. O monstrum superbiæ! O rabidam se se attolendi sitim, nec filii Dei vel lacrymis vel cruore restinguendam? ô ambitionem feram, quis virulentos tuos morsus devitet, cùm ipsum Deum hominem allatrare es ausa in deserto? & inter Apostolos ante crucis, & mensæ Eucharisticæ sacratissimas aras vanarum prærogativarum litigia suscitas? ipsi dæmones ad salutiferæ crucis signum coguntur fugam, capessere, & quantumvis ringatur orcus locô cedere debet. Sola ambitio etiam ibi firmo stat pede, ubi crux consistit characteristica humilitatis! Et quemadmodum Zizania cum tritico, ac spica attollitur, cui originem, & incrementa debet, licèt subin ipsum frumentum opprimat, ita fastus in hoc passionis Dominicæ agro infeliciter enatus crucis gloriam obscurat.

122. Qui omnia reliquerant pro Christo, jam ambitionis pulsati stimulo inter se audent contendere de majoratu. Pauperculi piscatores, qui nunquam sperare domi suæ poterant, nisi pauculos

pisces

piſces in craticula, in humili ac paupere ſchola Chriſti, incipiunt deſideria concipere regnorum. Hinc Magiſter vanitatem ipſorum increpans, dixit: *Reges gentium dominantur eorum . . . vos autem non ſic.* Luc. 22 v. 25. Nempe quæ eſt miſeria humanæ conditionis: *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.* Philipp 2. v. 21. Suis quisque lucris, & commodis intenti. Et utinam ſolùm teloniis, ac mercatorum officinis circumſcriberetur hic diteſcendi ardor! quàm pauci ſine vanis hiſce ſpebus Deo ſerviunt! quàm multi Chriſtum ſequuntur, non ut crucem tollant, ſed ut ſedem ad latus erigant! ſi ita homines agunt cum Rege ſupremo, quid fiet in Principibus terræ? Peperit Lia filios, donec Judam pareret, quod interpretatur, *laus, fama & gloria, ceſſavítque parere.* Gen. 29. v. 35. Ut prolem habuit ſceptri olim, & coronæ inſignia habituram, facta eſt mater ſterilis, quæ non ampliùs parturit, ut ambitio votorum ſummam tenet, nihil porrò agit, elumbis ſit ocyùs.

123. Avaritia ſolùm viles, & ſordidas mentes ſibi mancipat? acedia ignavos ſubjugat: Gula paraſitos ſternit: ſuperbia omnes debellat, nulli parcit, macula eſt velut originis, quæ byſſum, & purpuram æquè, ac lacernam, & centonem inficit. Cælum conſcendit, & inde pellit Angelorum principem. Terram perambulat, & paradiſo ejicit hominum parentem. Thronum Babylone fixit, ſed captivos multoties illuc ducit etiam Solymorum incolas: & faxit Deus, ne tinea hæc, ſanctiſſima quoque arrodens, Jeroſolymam quampiam convertat in meram Babyloniam. Excelſos multos ſubruit, ſed etiam in abjectos piſcatores venena ſpargit. Quis crederet, illos, qui retia liquerant facta in piſcium capturam, aliquando cogitaturos de piſcanda in relictis retibus coronâ? illos qui â lucis uſura ad navigii tranſtra erant damnati, extenſuros manum, ut olim ſceptra rotent? quid ambitio audebit in divites, ſi tantùm prævalet contra egentes? quid poterit in terrenos ac profanos homines, ſi Apoſtolicis, ac Deo ſacratis tam turpiter illuſit? nullus nec nominis nec profeſſionis ſuæ fidat ſanctitati, ubi videt ipſos aſſeclas pauperes Chriſti in ambitionis barathrum demergi? en humilis Domini æmuli non ſolùm favores, ſed Regis ſui ſedes prenſant, thronum illius prætendunt, coram quo contremiſcunt, & curvantur, qui portant orbem. Culmina, & altas turres tangunt fulmina! ambitio etiam valles ferit, & mapalia: nullus tam abjectæ eſt ſortis, cui oculos identidem non aperit, ut reſpiciat in excelſis! Ex ſterquilinio ſurſum eluctatur fædus vapor, qui ſolem, & cœlum totum inficiat: de ſtercore erectus pauper amplexatur ſidera, non rarò etiam calcat! nihil mirum ſi in Pilati animo vanæ gloriæ aviditſimo contra punctum honoris, quo tueatur injuſtiſſimæ ſententiæ authoritatem, nihil poſſit ipſa, eáque Sacerrima Innocentia! id verò ſtupore digniſſimum, quòd eorum præcordia, quibus ipſe

ipse cœlestis Agricola inserit optimum semen divinarum cogitationum mortis, ac passionis Dominicæ, cùm dixit: *Ponite in cordibus vestris sermones istos, Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum.* Luc.9.v.44. quòd, inquam, horum præcordia tumidum excellentiæ desiderium subeat? *intravit autem cogitatio in cor, quis eorum major esset?* ibid. v.46. nempe quando de sanguine fundendo pro vita mundi loquitur Magister, discipuli agunt de purpura sua tingenda in sanguine Agni. Clavis Domini uti præsumunt servi ad stabiliendam felicioris fortunæ rotam, & ex cruce Jesu plena doloris, isti erigere meditantur thronum, in quo crucis liberi quiescant, convertentes illusionis arundinem in magnificum sceptrum, & sertum spineum in aureum diadema.

124. Dicit Isaias: *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* cap.35.v.1. En tellus omnino inculta vini, olei, frumenti undique sterilis, candorem affectat, imò gloriam lilii, seu figuram sceptri. Videntur hæc omnino heteroclita, sunt tamen ea verissima. Quis sanctiore ac puriore amore Sponsi flagrat, ac sponsa? & tamen dum iste caput habet plenum rore, & cincinnos madidos guttis noctium, ac illi dulcè acclamat: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea*, illa non se movet caussata tunicam, & calceamenta jam posita. Hæc tamen ipsa: *Dum esset Rex in accubitu suo.* Cant.1. v.11. non solùm hospitio dilectum acceperat, sed etiam invitârat, non tantùm mellifluis verbis, sed suavissimi etiam odoris lenociniis: *Nardus mea dedit odorem suum.* ibid. Nempe janua clausa est pro Sponso, si non veniat Rex, coronâ cinctus, licèt etiam totus myrrha fuerit, bipatentes portæ, ipsa aperta præcordia excipient: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant.1.v.12. Nisi Rex sit etiam sine spinis, haud placet dilectus, si Rex fuerit, ùt ùt amaro sit animo, & pungat, pectus, & cor ad nutum habebit.

Idea XXV.

Quod in auro accipitur, in igne ſolvitur.

125. ANima juſta, ne te afflictio tangat neque timueris, dicit Regius Pſaltes: *Cùm dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domûs ejus.* Pſalm 48. v. 17. Et cur de beata impii ſorte non affligatur cor æqui, rectíque, amans? *quoniam cùm interierit, non ſumet omnia.* v. 18. Quid enim illi proderunt immenſi divitiarum cumuli, quando ingruente fato ne quidem unus ei ſupererit obolus? ſed nunquid ratio hæc militat etiam in juſtis, quos pariter cùm dormierint, nihil ſequetur, niſi opera eorum? ita ſanè; at de impio addit: *neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Homo iniquus, cùm moritur, deſcendit, & quidem in puncto ad inferna, quando autem moritur juſtus, nec ipſe, nec gloria ejus ita deſcendit: ac proin David quando dixit: *cùm dives factus fuerit homo*, de peccatore locutus eſt, qui quod hac in vita accepit in auro, in morte idem luere debebit in igne. Nempe *mortuus eſt dives & ſepultus eſt in inferno.* Luc. 16. v. 22. Magna timoris cauſa divitiæ! fulvi metalli pondus non ſumma, ſed ima petit. Alteri diviti, qui vitæ felicis dies plurimos ſomniabat repentè fatalis ſonus aurem vellicat: *Stulte hac nocte repetent animam tuam.* Luc. 12. v. 20. non dicitur: *petent*, ſed *repetent*, ſeu iteratò petent, id quod ſibi jure debetur. At verò quid juris dæmonibus in animam divitis? neſcio ego, id ſcio, dici à Chriſto eos divitis animam repetituros: fors mutuus utrinque initus contractus, quo diviti aurum promittit dæmon, ille verò orco animam ſuam? quando Chriſto divitias & regna mundi oſtendit Satanas: *hæc omnia*, inquit, *tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* En qualem conventionem cum iis faciat humani generis hoſtis, quibus gazas offert: ſi recipiant hoc pacto aurum, id olim ipſi in igne reddent. Dum filii Iſraël jam ſtarent accincti egreſſui ex Ægypto: *petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea.* Exod. 12. v. 35. Vix abierant pauci dies, cùm aurum hoc, & argentum omne in flammas projectum eſt: *Ego dixi, quis veſtrûm habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi, & projeci illud in ignem.* Exod. 33. v. 24. ex Vulcano prodiit Idolum, *egreſſúsque eſt vitulus*, prævaricationis, & apoſtaſiæ infamis titulus. Sed etiam ex hiante ad tantum nefas tellure prodiit flamma iræ divinæ, quæ

ocyùs

ocyùs devoravit plurimos ex obcæcatis hisce auri cultoribus: *Ceciderúntque in die illa quaſi triginta triamillia hominum.* ibid. v. 28. & optimè dicitur: *ceciderunt*, erant enim de numero illorum, qui ad inferna deſcendunt. Immodica vectigalia auri, & argenti Regi Salomoni olim penſa ſunt. Pars quidem magna horum fabricæ templi impenſa eſt, ſed multum ſuperſuit, quod regiæ ſtruendæ vanitati, & pompis daretur, plurimum verò, quod impiis aris, ſacrificiis & alienigenarum abominationibus deſerviret. 3. Reg. 11. Sed dubium etiam infelix Rex omni poſteritati reliquit, an aurum tam malè expenſum non deburit ſubin expiari in igne. Quàm grave eſt metallum hoc, quod usque ad averni barathrum, quos arripit, demergit! ſplendore quidem æmulatur ignem, at in hoc etiam purificatur, & ſolvitur. Pingebat quidam in alta, ac prærupta foſſa arborem ex tenui ramo pomi aurei feracem, & ponè audacem, & temerariam manum, quæ vitæ manifeſto diſpendio carpere nitebatur pretioſum fructum: indicare volebat rarò ad Superos evolare, qui auri pondere gravis incedit.

126. Quando Deus Iſaaci rebus benedixit, ut immensùm creſcerent, Patriarcha hic lætitiæ plenus dixit: *nunc dilatavit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.* Gen. 26. v. 22. Ecce jam felicem Abrahæ ſobolem! en bonis omnibus abundè cumulatam? ſed cur eadem ipſa nocte apparet ei Dominus, ac ſorte ſua, ùt ſibi videtur, beato animos ſubdit dicens: *Ego ſum Deus Abraham patris tui: noli timere, quia ego tecum ſum.* v. 16. Ut quid timeat Iſaacus jam tot divitiis repletus? quid ſingulari Dei aſſiſtentiâ opus, ubi homini omnia jam fluunt ad vota? quando afflictio ipſi incubuit â Palæſthinis, videbatur indigere conſolatione; quando rebus omnibus abundat, procul timore dies lætos exiget. Sed longè aliter, ac nobis videtur, cenſet Deus. Nunquam magìs aſſiſtentiâ Divina opus habet Iſaac, quàm ubi dives eſt, ubi bonis affluit, ubi nulla ſubeſſe appareret timoris cauſa: hîc enim vel cordato maximè timendum, niſi ſciat, ſe eſſe in protectione Dei cœli, ne ſcilicet vel perdat ſe ipſum malè utendo divitiis, vel ab his perdatur, niſi benè iis fuerit uſus. Deus ergo ipſe ad ſervum hunc ſuum dicat: *noli timere*, quia licèt auro graveris, ego tamen manum ſupponam, ne cadas: *Ego ſum Deus: Ego tecum ſum*, ego qui poſſum omnia, præcavebo, ne malæ opes te mergant; ego qui tecum ſum, efficiam, ut cor tuum non in illas, ſed in eum, qui tibi dedit omnia, etiam inpoſterùm defigas. Et planè ſingulari Dei aſſiſtentiâ opus habet dives, ne pereat in divitiis ſuis, gnarus intentatæ ſibi â ſupremo Judice terribilis ſententiæ, eo ſolo ex capite, quia dives eſt: *Veruntamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram*, Luc. 6. v. 24.

Idea XXVI.

Optimi Judices, qui ſine manibus.

127. INtellectûs operatio eſt omne judicium, non manuum executio. Oculis inſtructus ſit Judex, neceſſe eſt, manibus ad judicandum nihil indiget. Etiam baculus ſceptrum fiet, ſi fuerit oculatus, ubi oculis caruerit, ùt ùt manu rotetur, in ſtipitem abibit. Dagon Philiſthæorum Idolum Lyrâ & Abulenſi teſtibus caput habebat piſcinum, manus humanas: ubi arca Dei illata eſt in fanum ſimulacri, & caput, & manus Dagon amiſit: *Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant*, 1. Reg. 5. v. 4. Permittet Deus etiam truncum ſedere in ſolio inutilem, & omni regimini ineptum, utpote *acephalum*, at verò ſi trunco manus adhæreant, queis munera capiat, impunè non habebit. Caput ipſum perdet Deus, quod in throno piſcis inſtar obmutuerit, cùm corripere malè acta debuiſſet. Mercurii hortorum ſine manibus ſculpebantur, ut indicaretur authoritate ſua debere tueri, non carpere Floræ, ac Pomonæ delicias. Peſſimi juſtitiæ miniſtri polyri cenſentur, qui omne quod tetigerint, unguibus tenent. Longè alius fuit Angelus ille Dei Miniſter, qui Manue cupitum filium promiſit; cùm enim iſte auſpicato nuncio vellet gratiam reddere, dicens: *obſecro te, ut acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hædum de capris*: ille ſtatim repoſuit: *ſi me cogis, non comedam panes tuos: ſi autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino*. Judic. 13. à v. 15. Scrupuloſus fors videbitur Angelus ille, ſed erat Angelus Domini ſui adminiſter. Ejusmodi pro ſe nec bucellam panis accipiat, ſi quod æquum eſt, ſuo Principi reddere velit.

Daniel cap. 10. vidiſſe ſe dicit unum 128.
ex præcipuis ſupremi Regis miniſtris, veſtitum lineis, cujus renes accincti auro, corpus quaſi Chryſolithus, facies fulguris, oculi inſtar lampadis ardentis, brachia velut ſpecies æris candentis, vox denique ſermonum ejus, ùt vox multitudinis. Ita â capite ad calcem nobis eum depingit Daniel. Sed ubi viri manus? miniſter Dei eſt, iis non indiget, qui venit judicium facturus populo Regis. Brachia equidem hic oſtendit, & quidem ærea, ut demonſtret robur ſententiæ ſuæ, at verò manus nullas habet, neque ad accipiendum, neque ad dandum, munera ſcilicet, quibus ſententiam vendat â ſubditis, vel judicis tribunal emat â Principe. Simile quid advertere licet in quatuor illis animantibus, quæ Apocalypſis cap. 4. deſcribuntur: *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis qua-*

quatuor animalia plena oculis antè, & retrò. v.6. Nempe hi velut ministri Dei stipabant Judicis summi tribunal undique oculatorum animalium formâ. *Singula eorum habebant alas senas* v.8. videlicet plumis innumeris erant instructa, quibus in calamos aptatis rectum judicium scriberent. *Et intùs plena sunt oculis*, ut scilicet videant, quid ad leges æquitatis scribere oporteat. *Intùs* non solùm corticem, sed nucleum introspiciendo, ne judicent duntaxat secundum faciem, sed juxta meritum causæ, facti non personarum acceptores, sed veri judicii Vindices. *Et requiem non habebant die, ac nocte*, indefessi, atque unicè expediendis causis intenti: nam qui solùm sedere velint pro tribunali otio molli litantes, dum jus dicere deberent litigantibus, ligneæ sedes erunt, judices non erunt: de quibus David: *Sederunt sedes in judicio.* Ps.121.v.5. Sed ut ad scopum nostrum accedamus, inter animalia hæc undique oculata cur nullæ apparent manus, ùt ùt noctúque diúque laborent? quia nullas habent, nec ut ritè suo officio fungantur, habere debent. Plena sunt oculis Argorum instar, nihil hîc opus Briaræis. Oculi nec pulviſculum ferre queunt, statim ac fortè in pupillam irruat, visûs aciem hebetat, etiam obortis lachrymis ejici debet. Donec oculus injectis sordibus purgetur, nihil videt, oculi autem nihil videntes ad quid serviunt? Id tamen verum in prædictis, vel aliis quatuor similibus animalibus detectam ab Ezechiele *manum hominis*, & quidem *sub pennis eorum.* cap. 1. v. 8. Manus nempe hæc erat non ad accipiendum, vel auferendum, sed ad scribendum parata, uti jubentur esse manus operariorum Evangelicorum. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. 12.v.35. Tales nempe, quæ lucem spargant, non auri splendorem colligant, quæ laborent ad normam justitiæ, & nihil capiant præter æquitatem. Hinc Deus non in Luna sed *in sole posuit tabernaculum suum.* Ps. 18.v.6. quia sol dat, nullum autem recipit lumen, luna verò nihil luminis distribuit, nisi quod accepit. Proin planeta hic noctis præses etiam malos, qui oderunt lucem, sub obscurè illuminat, dum iniquè operantur belluinis suis, ac monstrosis intenti operibus. *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Psalm. 103.v.20. Phœbus contra fons luminis omnia clarescere facit in die, ad cujus lucem refugit omne malum: *Ortus est sol, & congregati sunt*, ibid. Manus itaque habeant, sed tam puras, ut nihil in iis appareat, nisi undique lux, sintque memores, *si manus hominis* habuerint, & non Angeli, quantumvis eas etiam *sub pennis* occuluerint, detegendas tamen, saltem â Prophetis, uti detexit Ezechiel in animalibus â se visis.

Adhuc inhæreamus visioni Apoca- 129.
lypticæ cap. 4. habebat magnus ille Judex *in conspectu sedis tanquam mare.* v.6 Quid autem facit mare cum fluctibus suis in conspectu throni? Jonas dicet: *mare ibat, & intumescebat super eos.*

eos. cap. 1. v. 14. Cùm elementum hoc velut Juſtitiæ Divinæ vindex infremuit ad quemvis horrifici fluctus ſonum minas & ſupplicia intentans, nautæ & vectores orare occipiunt, gemitus, vota ad ſuperos edunt, vela contrahunt: ſed incaſsùm cedunt iſta, ſua in oceanum projiciunt, ut ferocientem vel muneribus placent: *& miſerunt vaſa, quæ erant in navi, in mare.* Jon. 1. v. 5. Optima quæ poſſident, illuc demergunt, ſed *ibat mare*; inſaturabilis bellua omnia devorat, imò vix recipit, & iterum ad litus ejicit. Quid molimini, inquit Prophetа, fruſtrà eſtis viri, in uno hoc capite meo detonat iratus hic Judex: *tollite me, & mittite me in mare, & ceſſabit mare à vobis:* & ſic revera factum, nam ut Jonam *miſerunt in mare, ſtetit mare.* Ecce hîc, cur mare vitreum ſimile cryſtallo ſtare debeat ante faciem throni recta judicantis; ſymbolum eſt æquitatis in probo judice requiſitæ. Hoc ſpeculum crebrò oculis uſurpent, qui diligunt juſtitiam, & judicant terram. Mare, licèt aurum pluat, & cujuscunque pretii vaſa velut grando in illud decidat, iras ſuas neutiquam ponit, niſi ubi plectatur reus. Judex bonus curare debet, non ut ſibi, ſed juſtitiæ in omnibus fiat ſatis. Sed heu quot tempeſtates ſectantur vel uno affuſo aureo poculo! ipſi Aſtreæ ſilentium indicitur paucis arculis, vel ſportulis in ejus os injectis! Pluviâ fluctus oceani compeſci compertum eſt experientiâ, ſi auream dederis non rarò pro æquitate clamantium ora comprimes.

Catenulæ aureæ ſine dubio etiam catenas ferreas confringunt. De Chriſto teſtatur David: *Contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit.* Pſ. 106. v. 16. ſed qua vi? crucis virtute captivos in limbo detentos libertati reſtituit. Alii ſunt minimè juſti redemptores, qui & ipſi cruce effringunt carceres, ſed aurea, nempe nummis, clave inaurata, quæ omnia reſerat. In Chriſto hoc fuit opus ſummæ pietatis, in iſtis artificium malitiæ. Verſum illum Davidicum: *Veruntamen in imagine pertranſit homo,* Pſ. 38. v. 7. Ita explicat Oliv. tom. 1. Strom pag 207. Ab uno extremo ad alterum pictæ tabulæ, ſeu pretioſi muneris ope pervenire quis poteſt; ſi non ſit ita, quærit prælaudatus author: eccur ille hodie lætus ſedet in culmine gloriæ, qui heri vix radebat humum. Herì in limine palatii regii cum Mardochæo, hodie cum Ammano proximus ſolio regis Aſſueri. Herì in imo ſcalæ palatinæ! hodie in gradu ſupremo gratiæ Regiæ! herì Lazarus fætidus in tumulo vitiorum! hodie abjectis inſtitis decorus purpurâ, & cumulo honorum! qua ratione tam modico tempore ab uno extremo ad alterum pertranſit hic homo? quid petitis, dicit Ol. loc. cit. *Neſcio quam Xeuxis tabulam præfecto obtulit, & ſtatim admiſſus eſt, & in imagine pertranſiit.* Ammanus hic vivis penicilli coloribus illicò vir magnus apparuit; etiam ſcelerum umbræ verſæ ſunt in lucem, & pretium ſunt aſſecutæ, quod non rarò iconi conciliant: Sic tranſiit homo iſte 130.

in

in imagine, & cum imagine eluctatus est ad summum apicem favoris & gratiæ Regiæ. Sed homo hic mare non est: timeo haud sibi constiturum olim ante thronum justi judicis.

131. Aliud paradigma ministrorum Divinæ justitiæ refert sanctus Joannes cap. 9. suæ Apocalypsis: *& vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi.* v. 1. Plectere volebat Deus mundum, & de cœlo in terras stellam mittit. Eccur stella lapsa cœlis esse debeat supremæ Nemesis vindex? an non fulmen mitti poterat etiam cœlis cusum? minimè, quia vapor est in terris primò natus. Zelus justitiæ ambitione velut terreno vapore incensus non est zelus decens Dei ministrum. Stellæ isti præterea data est clavis putei abyssi, *& aperuit . . . & ascendit fumus putei, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei.* v. 2. Cur stellæ consignatur clavis putei iræ Divinæ, & non Draconi? quiâ licèt hic callidior sit cunctis animantibus, tamen de terra comedit, in qua jugiter serpit, nunquam sursum corda attollens. Minister justitiæ, qui de bonis rei plectendi vivere debet, non est aptus minister Divinæ Nemesis. Stella sit opportet, quæ nec cibo, nec aliis opus habet â tellure petitis, cùm unicè â cœlo pendeat, ubi nata, & unde missa est. Laude summa dignus est lapis visus olim Nabuchodonosori: hic enim nulla impellente manu sed suapte sponte velut recti, æquíque amans sede sua motus statuæ etiam aureæ superbiam prostravit: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam.* Dan 2. v. 34. benè est: Sed cur totus justitiæ rigor illuc denique recidat, ut lapis ipse pingueſcat, & in montem immensum excrescat ruinis humiliati, & ad nihilum redacti Colossi, id nec probare, nec laudare valeo. Pereat impius, id enim est pietatis opus; at verò ut tu spoliis pereuntis diteris, non est aliud, quàm artificium nequitiæ: certè multùm abludit ab æquitatis legibus, quæ dictant plectendum esse malum, ut omnes faciant bonum. Luporum est mactare, ut cadaver vorent. Plectatur â Saule Amalech, ita præcepit Deus, sic æquitas poscebat: at verò non diteſcat bonis illius, ne in his & ipse pereat. Et verò periit Saul, quia separavit pretiosum â vili; hoc destruxit, illud sibi contra mandatum Dei reservavit, atque idcircò Regis prærogativa illicò excidit: *Scidit Dominus regnum Israël â te hodie, & tradidit proximo tuo meliori te.* 1. Reg. 15. v. 28.

132. Cùm Babylonem & incolas ejus dignis pœnis decrevisset plectere supremum Numen, licèt innumeros habeat justæ suæ iræ vindices, Medis tamen id operis demandat: *Ego suscitabo super eos Medos.* Et quare hos populos? quia tales sunt, *qui argentum non quærunt, nec aurum velint.* Isaiæ 13. v. 17. an autem non sufficeret, quòd aurum non quærant, nec accipiant, cur etiam additur: *nec velint*, quia vult Deus tales iræ suæ ministros, qui non solùm non appetant,

petant aurum, & divitias, ſed ultrò etiam oblatas rejiciant: ſed quid hoc ad deſtructionem Babylonis, ſi Medi aurum, & argentum nolint? videtur potiùs ejusmodi mittendos, qui Babyloniorum vel maximè gazis inhient, harum enim intuitu, ac pinguiſſimæ ſpe prædæ validiùs inſurgent contra Dei hoſtes, eósque internecioni dabunt. Ita eſt, ſed hoc foret, ſe ipſum ditare exuviis reorum, deſtruere urbem rebellem inter Chaldæos, & illam reædificare apud Medos. Ejusmodi juſtitiæ ſuæ vindices non mittit Deus. Dein licèt nihil referat, an aurum quærant vel non, qui Babylonem diruunt, plurimi tamen refert, ut, quod decretum â Deo, infallibiliter executioni mandetur. Eant ergò Medi, qui nec nitidi, nec fulvi metalli tenentur cupidine, ad internecionem urbis, & gentis perverſæ, & certò fiet de Babylone, quod Deus de ipſa fieri voluit. Si alii irent Medis non quidem minùs prompti manu, ſed tamen auri, & argenti magis expetentes, timendum, ne Babylon meretrix illa magna contra eos non gladio, & ſcuto, ſed vaſe aurato prævaleat, utpote mulier *habens poculum aureum in manu ſua.* Apoc. 17. v. 4. Notat ſanctus Hieronymus ab Iſaia de his juſtitiæ Divinæ miniſtris dictum, quod eos contra Babylonem adducturus ſit Dominus â finibus terræ, imò â cœlis ipſis: *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, â ſummitate cœli.* v. 4. Ita ſanè, quia terræ filius eſſe nequit, quem neque auri pondus inflectat: militia Dei, & cœli erat, quæ nec argentum, nec aurum morabatur. Idem Iſaias recti, ac æqui amantis Judicis ideam, cap. 33. exhibet: talis nempe eſt, *qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritates.* v. 15. *Qui projicit avaritiam*, adulator enim avarus omnis, tacebit aut mentietur. *Et excutit manus ſuas ab omni munere.* v. 16. Mirabilis hæc ultima dictio! quare non? *& excutit â manu ſua omne munus*? neutiquam, quia quem aurum ſemel tenet, ſemper ligat, idem hic eſt capere, & capi. Tutiùs proin non accipias munus, quàm excutias, & ille ſolus æquus Judex, *qui excutit manus ſuas ab omni munere.*

Teſtatur ſanctus Evangeliſta Mat- 133
thæus recèns nato Domino ab Orientis Regibus dona eſſe oblata: *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & Myrrham.* cap. 2. v. 11. Et licèt ob inopiam Chriſti, ac myſteria his muneribus contenta videatur, congruè ea accipi potuiſſe, non tamen ex Evangelio conſtat fuiſſe accepta. Jeſus quippeâ Patre conſtitutus judex juxta illud: *omne judicium dedit Filio.* Joan. 5. v. 22. Hoc ſcire noluit, an Judex Divinus aliquando munera ſibi oblata receperit. Id conſtat etiam, petras â Dæmone tentatore exhibitas: *dic, ut lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. v. 3. Fuiſſe â cœleſti hoc judice repudiatas. Ungi quidem ſe Chriſtus permiſit binis vicibus â Magdalena ſemel in pedibus: *& unguento ungebat pedes ejus.* Luc. 7. v. 38. Altera vice in capite: *& fracto alabaſtro*

alabaſtro effudit ſuper caput ejus. Marc. 14. v. 3. Et tamen licèt manus hujus Judicis inunctæ nunquam fuerint, non defuêre, qui utroque in caſu murmurarent, ſummè quidem in Dominum injurii: *Quare unguentum hoc non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis.* Joan. 12. v. 5. oſtendere nempe Chriſtus voluit, quàm puras ab omni munere Judex ſervare debeat manus. Et id fortè ipſiſſimum inculcavit iterato illo monito, quod Petro dedit conſtituto ſuo in terris Vicario: *Paſce agnos meos, paſce agnos meos.* Joan. 21. v. 15. cùm tamen oves ſemel duntaxat, & quidem locô ultimo commendârit. *Paſce oves meas.* Hæ enim & fætu, & lacte atque etiam vellere divites in ſe ipſis habent litteras commendatitias: cùm agni hiſce careant luporum haud dubiè dentibus exponendi, niſi ſolicita acceſſerit paſtoris cura, vel fame perituri, ſi de congruo pabulo ille non proſpexerit. Notari etiam meretur, quòd eo tempore, quo Dominus Petrum agnorum, & ovium ſuarum Paſtorem dixit, tantam multitudinem piſcium in ejus retia coëgerit, ut navis penè mergeretur, nec tamen vel unicum ab ipſo acceperit, imò ipſemet Chriſtus unâ cum pane dederit: *Et dat eis, & piſcem ſimiliter.* Joan. 21. v. 13. ne ſcilicet dici poſſet, ſe accepiſſe aliquid ab eo, cui maximam ſucceſſoris ſui in Eccleſia dignitatem contulerat.

134. Neque etiam id myſterio vacat, quod Jeſus Petrum â piſcatu ad menſam, & â reti ad Pedum, atque â piſcibus ad agnos vocârit, & ex piſcatore fecerit Paſtorem. Quid enim hæc aliud indicant, quàm munerum horum non dari compatibilitatem. Paſtoris eſt oves paſcere, ac tueri, ne damna patiantur. Piſcatoris piſces capere, ac ex iis facere lucrum. Proin neque in navi, neque in piſcatu Petro munus paſtoris confertur, ne crederet ſibi de ovibus licere, quæ licitè de piſcibus fieri poterant, capi ſcilicet, & occidi, cùm potiùs ipſe vitam ſuam, ùt genuinus paſtor, ſubin ponere deberet pro ovibus; ipſius Chriſti exemplô, qui inde ſe bonum Paſtorem probavit, quia id ipſum pro ſuis præſtitit: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Joan. 10. v. 11. Piſcatores quidem etiam conſtituit diſcipulos ſuos Dominus, ſed hominum. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth. 4. v. 19. At inſuper paſtores voluit, ut ſcilicet ſcirent, cum iis hominibus, quos Deo, & Evangelio piſcarentur, ita eſſe procedendum, ùt cum ovibus procedi debet, non prout cum piſcibus fieri aſſolet O quot piſcatores in hujus mundi oceano! ô quàm rari ovium paſtores! Illos, qui Judicum munia obire debebant, monuit ipſe Deus: *non accipias perſonam, nec munera.* Deuter. 16. v. 19. Cur ita? *quia munera excæcant oculos ſapientium, & mutant verba juſtorum.* ibid. nempe ùt juſtus Judex diceret, quod ùt ſapiens videret, æquitatem cauſæ ſtare pro Titio. Sed dona, & os, & oculos inverterent, ut alio colore appareret, vel pingeretur ratio,

& ſententiam ferret pro Sempronio. Attendeſis mirabile Angelorum paradigma. Judices hi veniebant Sodomam miſſi â Deo, ex itinere invitati divertunt ad Abrahamum, in urbem delati Lothi ædes accedunt; â priore illicò recipiunt vitulum: *Fac, ut loeutus es.* Gen. 18. v. 9. â poſteriore neque admittere volunt hoſpitium, *qui dixerunt minimè; ſed in platea manebimus.* Gen. 19. v. 2. & tamen videbantur poſterioris hoſpitæ domûs magìs indigi utpote circa noctem iſthuc delati, quàm prioris, quippe circa meridiem illuc adventantes. Sic eſt, ſed tamen judices erant Sodomorum, & paranymphi felicitatis in domo Abrahæ, qui læta nova afferunt ſine ſcrupulo, & ſtrenas, & officia hoſpitum admittere poſſunt. Qui verò adſunt, ut delicta, & examinent, & ad legum rigorem plectant, nec â reis, nec etiam ab innocuis quidquam capere debent, ne munera illorum ſupplicia imminuant, & iſtorum innocentiæ derogent. Proin *minimè*, nec urgente neceſſitate oblatas ædes recipiunt, ut eò liberior eſſet condemnatio malorum, eò expeditior abſolutio proborum.

Idea XXVII.

Vix potentia donis potior.

135. NOn eſt tentatio in orbe frequentior, Chriſto â Satana ultimò intentata: *Hæc omnia tibi dabo.* Matth. 4. v. 9. Hæc vox eſt venantis delicias, mentis injuſtitias, vox eſt os ſuum aperientis inferni, quò omnes devoret, telum eſt exitiale animabus jurati mortalium hoſtis: qui huic reſiſtit, certum habet Characterem filii Dei. Quærunt hoc loco ſacri Interpretes, an diabolo mens fuerit, etiam hac tentatione venire in notitiam Filiationis Divinæ in Chriſto exiſtentis? & reſpondet negativè Abulenſis, quia non addidit, uti in tentationibus cæteris verba illa: *ſi Filius Dei es.* Cajetanus tamen affirmativam tenet, dicens, hoc dilemma â Dæmone tunc factum, ſi ſuccumbit, mancipium Satanæ eſt, jámque eſſe non poterit Filius Dei: ſi vincit, haud dubiè erit, quia Filius hominis nunquam prævalet contra valentiſſimum id promiſſum: *tibi dabo.* Licèt ferus draco, aut ſerpens atrox venenatæ luis, atque certæ necis feracem auri veri, aut ſaltem apparentis ramum offerat, non rejicietur. Tentationem hanc, utpote potentiſſimam, ultimo loco reſervavit, adeóque illâ exhauſit pharetram nequiſſimus. Nempe *conſummata omni tentatione*, ùt loquitur Sanctus Lucas cap. 4. v. 13. vel, ùt habet verſio græca, *finiens omnem tentationem,*

tationem, Satanas desperatâ porrò victoriâ ocyùs arenâ excessit. Tam paucos hominum per tot sæcula viderat dæmon, qui non proni ipsum adorarent, auditis hisce verbis: *omnia tibi dabo*, ut Christum etiam ad hæc rupis instar immobilem illicò censuerit aliquid supra hominem. Nescio qua de gente loqueretur Deus, quando per Isaiam dixit: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* cap. 1. v. 23. non certè loquebatur de gentilibus, & tamen loquebatur de omnibus, non tamen dicit, quòd dona omnes & singuli accipiant, sed quòd ament, & desiderent, prout notat Sanctus Hieronymus. Quid autem mali amare munera? id quod sequitur in Sacro textu: *Sequuntur retributiones.* Quia scilicet eam opinionem hi amatores sectantur, quam retributio comitari solet, aurum quod promittitur, aut obventurum speratur, nimiùm quantum ponderis habet; splendor fulvi metalli Justitiæ oculos, si non excæcat, certè plurimùm hebetat, ne merita causæ dispiciant. Astrææ bilanx vix non semper in eam partem inclinat, cui momentum aureum additur. Dicit præterea de his omnibus Deus: *causa viduæ non ingreditur ad illos*, non dicit, quòd sententiam ipsi contra viduas ferant, aut injustè dijudicentur causæ earum, sed quod hæ non perveniant ad illos; cur istud? certè non ideò, quòd pedibus careant viduæ, ne judices suos accedere possint, sed quia manus non habent, quibus dona porrigant, & accessum facilitent. *Causa viduæ non ingreditur ad illos*, nisi causam aut munera, aut patrocinia deferant, per se ipsam nunquam adibit tribunal Judicis: Sed hem, quid subjungat Dominus? *propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israël, heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis, & convertam manum meam ad te.* v. 24. & 25. En in hostes omnes ejusmodi supremus Judex, vindictam parat, & conterere decernit in furore iræ suæ. Imò nec si ab ira sua converteretur Dominus, impunita abibit istorum iniquitas. Ipsa idola aurea, quibus sacrificant, sceleſtos perdent, illa munera, quæ tam vehementer amant, denique aconytum erunt, quo pereant. Purpuram nihil aliud destruit, quàm id, cui ipsa deservit. In propria sella, quam Heli insidebat, furcam suam invenit, ac mortem. 1. Reg. 4. v. 18.

Ne perdas cum impiis Deus animam 136.
meam, clamabat Regius Psaltes, *nec cum viris sanguinum vitam meam.* Ps. 25. v. 19. Et quinam illi impii ac reprobi? *in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Ecce quænam sint impiorum prævaricationes, dona nempe & munera, quæ implent manus eorum; inter hos numerari non vult David, quia, quot recipiunt munera, tot censent enormia contra æquitatem crimina; cúmque nunquam abjiciant, quod malè acceperunt, ita nunquam mundantur ab injustitiæ sordibus, quas ob aurum contraxerunt. Dicitur hîc *dex-*

tera eorum, una ſola manus extenſa eſt ad munera, & tamen utraque concinnat dolos: *in quorum manibus iniquitates ſunt.* Si unica manus recipiens dona, plena eſt iniquitatum, quas injuſtitias is committet, qui eſt plùs quàm centimanus in accipiendo? Inficiari non poſſumus, quòd humanum quid paſſus ſit Patriarcha Iſaac, utì cæteri parentes multi, in dilectione filii ſui primigenii: *Iſaac amabat Eſau.* Gen. 29. v. 18. Vir ſanctus hominem ferum ac reprobum: ita amabat. En cauſam: *eò quòd de venationibus illius veſceretur.* Res ſanè indigna penitùs ac dolenda, quod ad patinam expendatur, uter filiorum cenſeri debeat inter progenitores filii Dei? quódque in cauſa tam ſancta Jacob juſto, ac ſimplici præferatur Eſau homo ferox, & arrogans! ſed conſilium invertit Deus, effecítque, ut in eo ipſo primogenita cederent Jacobo, in quo certa ſpe ea devorârat Eſau. Ad caligantem ſenio patrem ingreditur filius natu minor, & famelico pulmentum obtrudit â matre coctum. Ex voce quidem Jacobum agnoſcit Iſaac, ſed manus afferentis munus credit eſſe Eſauinas: *vox quidem vox Jacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Gen. 27. v. 22. En ſtatim ac munera dat Jacob, evadit Eſau: amabat Iſaac manus Eſau, utpote aliàs de venatione ſibi offerentes, obtulerunt hac vice manus Jacobinæ eſculenta Iſaaci palato grata, & en adamatæ ſunt, ac ſi ipſius Eſau forent, huicque benedictionem primogenituræ præripuerunt: *Det tibi Deus de rore cœli.* Ita eſt, mirabilis potentia donorum, ut ſemel Eſau indigno amorem conciliet majorem, ac Jacobo benè merito, aliàs huic etiam jura attribuat, quæ jure originis alteri debebantur.

Geminis vicibus poſt diluvium columba ingreſſa eſt arcam Noëticam, 137.
hoc tamen diſcrimine, quòd prima vice nihil ſecum referens non auſa ſit arcæ feneſtram ſubire, ſed Noë extenta manu illam recepit: *extendítque Noë manum ſuam, & apprehenſam intulit in arcam.* Gen. 8. v. 9. nempe erat Patriarcha hic probus Dei miniſter, qui etiam inopem hoſpitio recipit, & manum porrigit ſimplicitati imbecillæ. Vice altera, cùm ramum oleæ columba ferret, ipſamet ingreſſa eſt arcam; *At illa venit ad eum, portans ramum olivæ virentibus foliis.* v. 11. Ecce hic, qui ſecum fert, quæ donet, ſemper acceptus venit. Nullus morabitur ingredientem, ſi munera afferat. Sanctus quidem hujus ligneæ domus Gubernator columbam reciperet, licèt nihil ſecum portaret, niſi innocentiam ſuam. Non ſic, ubi ad clavum fabricæ ſediſſet Cham Noëmi filius, diu pulſaret innocua quoque avis arcæ fores, niſi ramum ferret. Gratum oculis ſpectaculum columba ditata plumis aureis, & argenteis, ſi talis ſit, quam regius Pſaltes deſcripſit: *Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora ejus in pallore auri.* Pſalm. 67. v. 14. En! quid volucrem acceptam reddat, non ingenitus candor ſed nitor argenti, & auri ſplendor! ſi pondus albi,

albi, & fulvi metalli ſuis humeris ferat, ubique calculum feret, ſin minùs corvo nigrior apparebit. Dum Angelus luctatur, ac Jacobo reſiſtit, aliud nomen, quàm hominis non meretur: *Ecce vir luctabatur cum Jacob.* Gen. 32. huic ſe opponit Patriarcha neque palmam cedit, licèt percuſſus in femore: at verò ùt Angelus Jacobo benedictionem petitam impertitur, iſte mox ſe illi ſponte ſubmittit, ac Dominum ſuum inclamat: *Vidi Deum facie ad faciem.* Gen. 32. v. 30. Idem accidit Jeſu cum muliere Samaritana verſanti. Dum ipſe ab ea petit: *da mihi bibere.* Joan. 4. v. 7. pro Judæo habetur gente â Samaritanis contempta: *quomodò tu Judæus cùm ſis.* v. 9. at poſtea ùt Servator dixit: *ſi ſcires donum*, quod ſcilicet ipſe mulieri conferre volebat, ſtatim pro Domino â muliercula colitur: *Domine neque in quo haurias, habes.* v. 11.

138. O quoties non reſpicimus perſonam, ſed manus dantis, & cor ac manus puras prædicamus in illis, qui in corbonam liberaliter miſêre nummos! faxit Deus, ut penès ſolos Phariſæos ſiſtat hæc judicii perverſitas! Centurio de quo Lucæ 7. fit mentio, erat homo gentilis, incircumciſus, & fors necdum primis alphabeti Hebraici litteris inſtructus, & tamen hominibus illis de tribu Phariſaica digniſſimus habebatur, cui miraculi gratiam Servator conferret: *dignus eſt, ut hoc illi præſtes.* Luc. loc. cit. v. 5. & quare? an fors abjuravit Idololatriæ perfidiam, &, relicto Numa, ſecutus eſt Moyſen? aut quia juſtitiâ, caſtitate, & temperantiâ excellit? nihil horum! en cauſam: *Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.* Ah cœci itáne judicatis? quia vobis benefecit, meretur favores Dei hominis? ergò Herodes, quia templum idque magnificentiſſimum Deo veſtro ſtruxit adhuc longè majores fuerit promeritus? miſerum ſanè, ne dicam, perverſum judicium! illos Sanctos & de Superis proclamare benemeritos, qui boni quidpiam etiam cœli miniſtris præſtiterint? qualescunque dein ipſi fuerint in alios, rapaces, injuſti, ac aliis vitiis infecti. Non ſic judicat Jeſus, cui omne judicium dedit Pater. Hoſpitio illum exceperat Zachæus & mille benevolentiæ ſignis; nec tamen propterea encomium recipit filii Abrahæ, niſi poſtquam promiſit ſe iis, quos defraudavit, redditurum quadruplum, & dimidiam bonorum ſuorum partem daturum pauperibus, tunc enim verò de Zachæo benedicere incepit Divinus Hoſpes: *Tunc ait Jeſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quòd & ipſe ſit filius Abrahæ.* Luc. 19. v. 9.

139. Ipſi Joſephi fratres, licèt Iſraëlis, filii, iique in catalogo Patriarcharum repoſiti, vatiniano odio perſequentur, & vendent innocuum ſuum fratrem, quando columbina ſimplicitate ſomnia ipſis narrabit; at verò adorabunt velut numen terræ, ubi illis triticum donet, & cibaria. Geneſ. 37. v. 42. Quando idem Joſeph felicitatem Pharaoni præſagiet, ex carcere ad Regis

aulam, ex compedibus ad thronum vocabitur. Gen. 41. Ubi tamen casto, & heroico facinore omne præmium meritus est, in ergastulum instar facinorosi detrudetur. Gen. 39. Implebit horrea regia frumentô, & alter inter Ægyptios omnes erit â Rege. Gen. 41. Si ficus non proferet fructus suos, illicò dicemus Vulcano dignam, atubi grossos dederit, laudem feret, licèt etiam â Filio Dei tulerit maledictionem. Modus aliquando ponendus falsis hisce, ac perversis judiciis. En sponsus neque in lectulo floribus undique consperso â sponsa invenitur: *quæsivi illum, & non inveni.* Cant. 3. v. 1. Arca testamenti, licèt omni honore â Philistiim culta, templis, & aris imposita nihil favoris impendet cultoribus impiis, nec rigorem justitiæ imminuet, quamvis illi aurea munera augeant, palmas, & triumphos multiplicent: nihil horum sistet furorem Domini, quin ubique funera spargat. 1. Reg. 5. v. 6, 7. *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* cap. 6. v. 19. Nec dicere oportet: Domine sacrificia offero, victimas immolo, ignes, & thura aris libo? benè hæc quidem: sed audi respondentem Dominum apud Prophetam suum: *quò mihi multitudinem victimarum vestrarum!* cap. 1. v. 11. Hoc volo: *lavamini, mundi estote, quiescite agere perversè.* v. 16. Quid enim mihi cum muneribus vestris, quantacunque ea sint, si in corde adhuc regnet iniquitas? unum inter tot victimas deest sacrificium Deo gratum: *cor contritum & humiliatum.* Ecce Deus cor bonum respicit, munera cætera negligit, quantumvis liberali manu oblata! Longè alios oculos habet mundus, ii solùm aspiciunt manus, nihil bonum curant, sed bona, non dantem, sed datum.

Magna integritas Achiæ Prophetæ præclari Domini servi. Venerat ad hominem Dei Regina Israël Jeroboami uxor ipsa ferens panes, & mel. Sed Achias hæc dona respicere non poterat; quia caligaverant oculi ejus. 3. Reg. 14. v. 4. Nempe nec potuit, nec voluit munera videre, ne veritatem fileret, quam dicere debebat etiam ipsi Reginæ ferenti dona. Bonum quia jam cæcus erat, ne fortè oblatis ex cæcaretur muneribus: lumina clausit donis, ut liberiùs os aperiret Prophetiis, & quidem gravissimis Domui Jeroboam, de quibus tamen nec jota unum in terram cecidit. Possibilísne tanta Achiæ aversio â muliere? â Regina? ab ea quæ etiam mellea dona affert? nescio, an hodie multi sint inveniendi Prophetæ huic similes generosi munerum contemptores! id scio, quòd Deus velit, ut sui omnia munera contemnant. Aliud integerrimi viri paradigma nobis Daniel exhibet, & ipse regia dona nihili pendens. Largissimè ista offerebat Rex Balthasar, sed ille ad omnia surdus generosè reponit: *munera tua sint tibi, & dona domûs tuæ alteri da.* Dan. 15. v. 17. Quid ais Daniel? togam, purpuram, torquem aureum, hæcque ipsa Regis manu oblata respuis? *en purpura vestieris,* 140.

Bîeris, & torquem aureum circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo eris. v. 36. Quantum emolumenti redundabit in gentem tuam, si tam sublimi loco fueris apud Regem; etiam magis cordati insaniam reputabunt, quod tam humanè offertur, tam crudè repudiare, sed manet in proposito Daniel, scripturæ interpres adest â Deo missus, ut Balthasari imminentem cladem denuntiet, resolutè dicit: *alteri da*, quod munera attinet, quod verò spectat interpretationem: *scripturam autem legam tibi.* v. 17. Amissionem regni citra metum Balthasari indicit, uti & vitæ, & quidem eadem nocte obventuram, prout etiam evenit. Magna hæc animi sibi constantis generositas; at quàm rarò simile quid experimur. O quàm multi, qui Leonum instar rugiebant intaminati justitiæ vindices, objecta ipsis offa aurea facti sunt canes muti! *de forti egressa est dulcedo.* Jud. 14. v. 14. Fuit olim ænigma Samsonis, quod solvere haud poterant adversarii ejus, & verò arduum videtur divinare, qua ratione dulcedo mellis scaturiat ex ore generosi leonis: ego autem problema solvam; etiam leo mel fundet, si favum acceperit, sed dulcedo, quæ hîc egressa est de forti, non fuit leonis vivi, sed exanimis; leo hic cadaver jacebat ore hiante, apes excepit rictu, & mel recepit, at illicò dulcia ore profudit. ita est, leones erant vivi, qui aliquando acriter detonabant in vitia; út favos admiserunt, facti sunt leones muti, cadavera leonum, nam & linguis carent, queis vera, & utilia loquantur, ac ignem spirent vindictæ, ac iræ Divinæ; imò & oculis carent, quibus ipsi videant minas in se intentatas quòd dum aliis salutaria annunciare deberent, solùm dicant placentia eorum favoribus, & donis excæcati.

Vel si oculis instructi sint, oculos 141.
habent & non vident. En vident apud Jeremiam *ollam succensam.* Jer. 1. v. 13. Seu vident averni ardentis ignes, vident securim jam positam ad radicem arboris: Matth. 3. v. 10. & Altissimi sententiam apud Danielem prolatam: *succidite arborem.* cap. 4. v. 11. Vident digitum Dei in perniciem impii Regis Chaldæi extentum. *Mane, thechel, Phares.* c. 5. v. 25. Vident, quòd non habentem vestem nuptialem ejiciant in tenebras exteriores. Matth. 22. v. 13. Quòd divitem purpurâ, & byssо contectum, & quotidie epulantem splendidè sepeliant in inferno. Luc. 16. v. 22. Et tamen dicunt se nihil videre! nempe dona, plausus, æstimatio fucum eorum oculis faciunt, ut non videant, vel saltem ligamen injiciunt gutturi, ne ista aliis liberè edicant, dúmque alta voce illi clamare deberent Servatoris exemplô: *væ vobis divitibus.* Luc. 6. v. 24. Sunt qui dicant cum dæmone, mundo & carne: beati divites, quoniam ipsorum etiam in his terris est regnum cœlorum. Hi ipsi, nescio qua de causa fortè ultrò remittent decem mille talenta, & pauperculo pro decem denariis guttur frangent; tanti valet donum, vel humanus favor. Non id potuit in Judith virilis

virilis animi fœmina, à Duce Assyriorum omni amore, & honore excepta, uno ictu & Dei, & gentis suæ jurato hosti caput præcidit, nil reverita hospitii leges, nil favores amasii, nil amplæ ditionis sibi oblatum imperium morata, jugulum petit Holofernis, utpote qui dum Judithæ blanditur, Judæos vatiniano odio prosequitur, dum se sanctæ hujus viduæ amicum, & amantem profitetur, Deum blasphemo ore impetit; confirmari ergò brachium suum postulat: *confirma me Domine Deus*, ut monstrum ê medio tollat, *& percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus*, cap. 13. v. 9. Unde tantum animi robur in sexu imbelli! inde nempe, quia nec bolum accepit ex mensa Assyrii contenta cibo frugali, quem ancilla attulerat: *manducavit, & bibit coram ipso ea, quæ paraverat ancilla ejus*. cap. 12. 19. Quæ munera non admittit manus licèt fœminea, loquetur victorias, & egregiè ulciscetur injurias Deo summo illatas. Attendesis proin, quiscunque electus es ad prælianda prælia Domini, ne donis vis animi tui hebetetur, nam vix telum hîs potentius.

Idea XXVIII.

Qui Mæcenatem habet, munus habet, & immunitatem.

142. QUòd in Christi tribunali, ubi æquitas regnat, & munera æquantur meritis, possint obtineri favores etiam ab immeritis, ne quidem somniare debuissent filii Zebedæi; certè illi ignorabant curiæ hujus stylum: *nescitis, quid petatis*. Matth. 20. v. 22. Commendatitias quidem huic Judici dabat pro ipsis mater, eáque Christi consanguinea, sed adhuc audiunt: *nescitis*, non obtenturi sedes petitas, nisi aliud quid ipsis patrocinetur. Fors damnati fuissent votis, si Mariæ patrocinium in hac petitione sua ipsi invocâssent. Hæc siquidem *mulier amicta sole*. Apoc. 12. v. 1. tam est plena meritorum splendore, ut omnibus quantumvis eorum indigis abundè valeat affundere. Hæc cor Regis habet in manu sua, quocunque voluerit, inclinabit illud. Mulier dicitur quasi emolliens herum, & heroëm, id est, Christum, qui ante suam incarnationem quasi durus erat in sua Divinitate. Richardus à S. Laurent. lib. 6. col. 414. In tali Mæcenate sibi procurando etiam negligentia incusanda paralytici, qui tam diu manst

manſit in infirmitate ſua, quia dolens fateri debuit: *hominem non habeo.* Joan. 5. v. 7. licèt humaniſſimæ hujus Dominæ potuiſſet habere patrocinium. Verſutè tamen rem aggreſſi ſunt filii Zebedæi, ſi cum judice alio, quàm Chriſtus erat, agi debuiſſet, muliere ſibi delecta, quæ partibus ſuis patrocinaretur: nullum enim hoc in mundo potentius muliebri patrocinium. Licèt inexorabilis videretur contra parricidam Abſolonem Rex David, ùt habetur 2. Reg. 14. illicò tamen eidem ignoſcit, ac in gratiam recipit, ùt tecuythis ſupplex pro filio ad Davidicum thronum acceſſit: *Vade ergò*, dixit Rex ad Joab, *& revoca puerum Abſolon.* v. 22. A venia danda non revocat atrocitas cædis proditoriæ in fratrem commiſſæ: mulier eſt, quæ preces pro reo interponit, nihil his negari poteſt. Grandis tamen hæc aularum illuſio, ac infelicitas, ut vel ipſe Princeps Regni hæres propitiam ſortem, & vitam fœminæ debeat. Ita nempe in profanis curis vivitur, ut Sirenes iſtæ triumphent de ipſa æquitate. Idem David vice altera furorem ponit muliere interpellante. Quadringentis ſtipatus militibus petit Nabalis domum, ut penitùs exſcindat ob injuſtè ſibi negata cibaria. Occurrit venienti Abigail, & mariti ſtultitiam ad ejus pedes procumbens, non ſolùm excuſat, ſed etiam tela armati Davidis manu ita extorquet, ut ſuæ familiæ omninò placatum reddat, & ſibi paucis poſt diebus mortuo Nabale etiam conjugem. Imò encomium â victo illicò tulit inſigne hoc. *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem.* 1. Reg. 25. v. 23. Denique tertium habemus in Rege iſto paradigma. Stabat attonita aula ejus tota, cùm videret ex menſa regia cibos deferri in domum Uriæ recèns ex caſtris advecti, invidebat tantam ſortem non unus curiæ miniſtrorum, eámque adſcribebant Mavortio Davidis animo, qui ſtrenuo ſuo Duci id honoris deferre voluit. Sed â ſcopo multùm abluſêre horum judicia. Regium munus non Marti ſed Veneri cedebat, nec Uriæ Davidicarum copiarum Chiliarcho, ſed Berſabee uxori ejus revera mittebatur. Potens hæc erat pro marito apud Regem oratrix, nec ullum quantumvis præclarum in Mavortia arena facinus tantùm potuiſſet.

Quid Aaron ſupremus Dei Myſta 143.
vitulo cultum indebitum arrogat, non ſolùm aras erigit, ſed & populo exponit adorandum, ac Deitatis præconio dignatur? *hi ſunt Dii tui Iſraël.* Exod. 32. v. 5. ſtupidiſſimo animali, eíque tantùm in effigie, bruto inanimi ſummus decernitur adorationis honos? ita ſanè, quia ita jubet Aaron, & cur iſtud? quia muliebre ornamentum commendabat hanc Deitatem vitulinam: *Tollite inaures uxorum ... & filiarum veſtrarum.* ibid v. 2. ex his brutum â capite ad calcem conſtabat. Si quem commendet fœmineum quid, licèt bos fuerit ſtupidus, ac tardiſſimum animal, Aaronem inveniet, qui eum ad aras ſuſtollat, &

donis thureis colat. Quis crederet Salomonis insignem sapientiam, eò usque cespitaturam, ut infamibus idolis Astarti, Camos, & Moloch divinum quid inesse censeret, & tamen hæc Sidoniorum, Moabitarum ac Amonitarum numina latrevtico cultu prosecutus est ipse, &, ut alii quoque adorarent, author malè sanus extitit. 2. Reg. 11. nempe dii hi erant concubinarum Salomonis, quod istis placuit, Regi, mulierum amore ad insaniam capto, displicere non potuit: quod istæ laudabant, & honorabant, ipse despicere noluit: earum quælibet advocatam agebat monstrosæ suæ Deitatis, & cujuslibet monstrum. Rex tam sapiens non horruit divino cultu prosequi, *in hunc modum fecit universis uxoribus suis.* v. 8 Ita Salomonem expressit non nemo, dum eum genuflexum pinxit ante Sirenem in aris erectam, quam ad mulieris adstantis nutum incenso venerabatur tantus Rex, evanescente cum fumis hisce paulatim omni ejus sapientiâ.

144. Sed ne multùm se jactent ad favores his patrociniis obtentos. Uriæ enim vitâ stetêre, & vitulus propterea in cineres abiit. Ægyptii Abrahamo *benè usi sunt propter uxorem ejus.* Gen. 12. v. 16. hæc fuit prosperæ sortis rota, illa omnem suo viro favorem, & beneficentiam peperit. Sed idcircò etiam amisit mariti titulum, dic obsecro: *quòd soror mea sis*, ac etiam ad tempus lectissimam suam Saram: *sublata est mulier in domum Pharaonis.* Ecce quid Abrahamo profuerit Ægyptiorum benevolentia, ut ferè suo conjugio labes fuerit illata, miraculo fuit opus, ne illibati thori sanctitas violaretur. En quomodo multi uxorum suarum gratiâ faciunt bonorum & divitiarum lucra, sed unà jure maritali vix non penitùs excidunt. Ita cygni nonnulli intrinsecus pice nigriores, sidera scandunt, quòd Jovi adultero suas Lidas consignârint; tanti in Ægypto valet Mæcenas, ut ejus ope donum, & veniam feras. Delinquit Jonathas contra Saulis præceptum vetans quidquam comedi usque ad noctem. Jurat filio pater, ei ob violatam legem certò pereundum: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha.* 1. Reg. 14. v. 44 delinquit itidem Achan contra mandatum Josue latum, ne quis spolii quidpiam reconderet. Gen. 7. v. 25. posterior transgressionem vitâ luit, prior mortem evadit non alio de capite, nisi quia iste advocatum suæ causæ habuit ipsum populum: *dixit populus: ergóne Jonathas morietur?* 1. Reg. 14 v. 45. alter nullum habuit. Cùm nihil porrò prodesset Nabuchodonosorea arbor perditionis sententiam tulit: *Succidite arborem.* Dan. 4. v. 11. atque etiam periit paulò post succisa; ficus tamen Evangelica, quia meruit habere Mæcenatem: *Domine dimitte illam & hoc anno.* Luc. 13. v. 8. licèt per tres annos fructum non dederit, & videretur frustrà occupare locum, tamen dimissa est, additúmque rursus tempus, & cultura, ut denique fructum daret. Tanti refert advocatum habere, & patrocinium, ut veniam consequâre.

Idea XXIX.

Abundantia bonorum, ſexcentorum malorum parens.

145. MOdico opus vento, ut navis mergatur, quando divitiarum nimium pondus illam labio tenùs jam deprimit. Arbor ſuis undique onuſta frugibus citiùs humi procumbit; nec facilè invenies rem auro magis noxiam, ubi exceſſu peccet, nam moderatum, cor lætificat, immodicum ſuffocat. Quis diceret nihil fæcunditatis ulmis, ac cæteris arbuſtis ad Tagi littora ſitis accreſcere ex aureis fluminis arenis, quando alveo ſuo egreſſus fluvius diluvio aquarum has ſtirpes inundat? Et tamen ita eſt, ſubſidente enim unda clarè perſpicitur, quantum aggeſtæ truncis arborum telluris deceſſerit, quàm miſerè earum radices decorticârit, quanto totam molem cadendi diſcrimine expoſuerit, ac proin quàm noxia formoſa hæc, & auri dives tempeſtas hi nemorum, hortorúmque deliciis extiterit. Neſcio quid in ſe continet abundantia, quo enim largiùs affluit iis, qui omni ſtudio illam cupiunt, eò faciliùs obtenta homines perdit. Incaſſùm Apoſtoli Jovem frigidum piſcando transegerant, nec piſciculo uno ſua in retia coacto: *Per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Luc. 5. v. 4. vehementiſſimè deſiderabant ex piſcatu cibos, & denique damnantur votis, ad nutum obedientiæ ingenti relato fructu: *Concluſerunt multitudinem copioſam.* v. 6. Sed hem affluentia hæc piſcium illicò ſolicitudinem ingeſſit, ne rebus his, & ipſa vitâ idcircò ſpoliarentur: *Rumpebatur autem rete eorum.* quod utique pluris valuerit, quàm numeroſi illi piſces, & poſtquam impleverunt ambas naviculas, & hæ, & ipſi periculo ſubmerſionis ſe ſe vidêre expoſitos, *ita, ut penè mergerentur.* Magna abundantia ſed non minùs ingens periculum jacturæ omnium, quæ habebant diſcipuli Domini. Verùm ſi hæc mala ſequi poterant ex ubertate, quam Deus indulſit, & virtus obedientiæ meruit, quid erit illi affluentiæ timendum, quæ eſt vitii proles, & ſtygiæ donum manûs. Super Tyrum lachrymas fundit Propheta Iſaias: *Onus Tyri.* cap. 23. v. 1. cauſa ploratus: ah miſeram urbem divitiis plenam, argento, & auro prægravem: *transferentes mare repleverunt te in aquis multis.* Tu bonis mercibus te credis oppletam ab hiſce inſtitoribus, & aquæ ſunt, quæ te totam inundent: *repleverunt te in aquis.* Gentium ſpoliis te beatam credis, & laqueis

queis undique teneris ad perniciem. Putas te innatare thesauris, & naufraga jaces in barathro malorum tuorum. Nec mirum, quod Prophetæ oculus, fidei lumine collustratus, perspiciat imminentem ex abundantia vastæ urbis perniciem, cùm id videre potuerit Philosophus Crates solo naturæ ductu agnoscens, perdendas divitias, ne iis pereamus: *Ego vos mergam*, inquit, *ne mergar â vobis.* Utinam solus foret dives epulo, qui se gemeret affluentiâ bonorum detrusum in abyssum malorum: *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.* Luc. 16. v. 23. Descendebat Isaac in Ægyptum premente fame, iter agenti occurrit Deus, & vetat cæptam viam prosequi: *ne descendas in Ægyptum.* Gen. 26. v. 2. quare hoc prohibet Deus, quando præsens necessitas id ipsum imperat? rationem dat Oleaster: *Quia timet Deus suis loca amæna, & abundantiam; quoniam etiam homines justos amœnitate sua captant, & emolliunt.* Sed nunquid Deus se adstiturum Patriarchæ dixit: *eróque tecum.* Quid ergo timendum? ita sanè, si Isaac quieverit in terra, quam Deus dixerat, & in ea fuerit peregrinatus, non in Ægypto fertilitate nimia abundanti; ibi enim affluentia regionis plùs posset nocere, quàm prodesse ipsa assistentia Numinis.

146. Filii Ruben, & Gad terras, & agros obtinuerant uberrimos trans Jordanem qua loci ubertate, & pinguedine illecti pro nihilo habuêre terram promissionis, & in ea Dei optimi delicias populo suo paratas, ac longissimæ peregrinationis, & laboris fructum. lege Num. 32. Ubi dicitur: *erat illis in jumentis infinita substantia.* v. 1. Quare sanctus Hieronymus L. 27. Moral. c. 7. ait: *Qui multa jumenta possident, Jordanem transire refugiunt: quia quos mundi multa implicamenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt.* Nempe bos, qui nimio adipe abundat, non solùm cognoscere tergiversatur possessorem suum, sed etiam contra eum cornua vertit. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum.* Deuter 32. v. 15. Multi sunt, qui cùm ad cænam magnam invitantur, lucra sua causati ire recusant. Iste villam emit, alter boum juga quinque, & propter transitoria, quibus affluit bona, quisque eorum æterna sciens, & volens incurrit mala. *Dico autem vobis*, suprema est vox Judicis, *nemo virorum istorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam.* Luc. 14. v. 24.

O! quàm dispar olim erit sortis alea! 147.
quando dives plorabit se mori, ut pauperimus in omne ævum vivat, & ridebit pauper quia bonorum omnium egentem vitam finit, ut ditissimam, ac perenniter duraturam paulò post auspicetur. Ita Christus innuisse videtur in Epulonis, & Lazari vel parabola, vel historia: *factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno,* Luc. 16. v. 22. *Mortuus est Dives,*

ves, quia evanûere hominis divitiæ. *Factum eſt, ut moreretur mendicus:* quia egeſtatis advenit terminus. Velut ſomnium diſparuit abundantia divitis, & mirabili metamorphoſi verſa eſt in carentiam etiam minimæ aquæ guttulæ in æternum duraturam: defectus quoque noviſſimæ panis micæ in paupere mutatus eſt in affluentiam bonorum omnium quæ nullo tempore relinquet ullius rei deſiderio locum. Unus deſiit eſſe dives, alter deſiit eſſe pauper, neuter tamen eſſe deſiit, uterque adhuc exiſtit, & ſine fine exiſtet, iſte divitiis omnibus fruiturus in cœlis, ille ſummam indigentiam habiturus apud inferos. Lazarus â fame momentanea tranſiit ad ſaturitatem perpetuam, â labore ad quietem, â plagis ad impaſſibilitatem, â miſeria ad infinitam felicitatem. Epulo â ſua purpura tranſiit, vel potiùs abreptus eſt ad flammas, â byſſo ad incendia, â mollitie ad pœnas, â deliciis ad tormenta, â ſacietate ad famem, & ſitim rabidam, & æternùm cruciaturam: hæc mala conſequuntur ficta illa bona. Ita rerum invertitur ordo, quando ab iſta ad vitam alteram fit tranſitus. Ibi momentaneum eſt, quod delectat, hic æternum quod cruciat. Vix alter Dives bonis ſuis ſe undique cumulatum vidit, cùm audit: *ſtulte hac nocte repetent animam tuam.* Luc. 12. v. 20. Vix Balthaſar impius manibus arripuit, & labiis applicuit vaſa aurea templi, & vidit myſticos illos digitos mortis ſententiam ſignantes, & æviternæ calamitatis initium deſignantes: *præcepit ergò jam temulentus, ut afferentur vaſa aurea.* Dan. 5. v. 2. Oppletione hujus mundi felicitatum jam ferè crepabat medius, cùm *eadem nocte interfectus eſt.* v. 30. Nempe in abundantia bonorum invenit Scaturiginem ſexcentorum malorum.

Idea XXX.

Divitiæ & ſementis, & meſſis vitiorum.

148. REs terribilis, quòd de infelici eo homine, cujus mentio fit apud ſanctum Lucam cap. 16. nihil aliud dicatur, quàm, quòd fuerit dives: *homo quidam erat Dives.* v. 19. & ſine ulla aut rei hiſtoricæ, aut temporis adjectione ſubdatur: *& ſepultus eſt in inferno.* Videtur quod totum motivum horrificæ ſententiæ hoc unum extiterit, quia fuit Dives, adeóque cum nullus â Deo reprobetur niſi ob peccatum, divitiæ ipſiſſimum eſſe videntur peccatum. Ego id non infero, ſcio tamen id intuliſſe ſanctum Hieronymum: *omnes divitiæ de iniquitate deſcendunt, & niſi alter perdiderit, alter non poteſt invenire, unde & illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima,*

rissima, Dives aut iniquus est aut hæres iniqui. Audio etiam ab Ecclesiastico iniquum dici, quod possidetur, absque dubio â divitibus: *noli attendere ad possessiones iniquas.* cap. 5. v. 1. Video aurum injectum Vulcano suapte sponte versum in Idolum; nam, ùt glossa habet in Exod. 32. *Aurum hoc injectum in ignem, ex se idolum fabricatum est.* Lego â Davide aurum, & argentum vocari idola gentium: *simulacra gentium* (Hieronymus, & Cyprianus vertunt *Idola gentium*) *argentum, & aurum.* Ps. 113. v. 12. Video præterea hortari Christum: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16. v. 9. Non quòd Servator velit, ut furemur, aut injustè vindicemus, quod aliis in eleemosynam erogemus, uti notat Divus Augustinus; sed quia iniquas Dominus divitias nuncupat. Video Deum, qui, utpote infinitè justus, nullum citra culpam condemnat, dixisse, hominem illum, qui dives erat, & purpurâ ac byssо induebatur, sepultum esse in inferno, & quòd væ æternum intentet divitibus: *væ vobis divitibus*, nulla alia causâ addita, quàm, *quia habetis consolationem vestram.* Luc. 6. v. 24. Video, quòd Redemptore loquente de divitibus, & monente non posse & Numini, & numis simul præstari servitutem: *non potestis Deo servire, & Mammonæ*, Luc. 16. v. 13. Id ipsum dici de avaris: *audiebant autem Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* v. 14. Nempe rarò â divitiis abest avaritia, ubi autem hæc regnat innumerorum

stat sedes vitiorum; idcircò infert Christus: *non potestis Deo servire, & mammnæ.* Matth. 6 v. 24. Proin qui auro servit, non Deo, sed Dæmoni servit. Video ex mente sapientiæ æternæ vix esse possibilem divitibus salutem: *quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum: dico vobis, facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Matth. 19. v. 23. & 24. Ac rursus Marci 10. v. 23. *quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Magna hæc â Christo asserta difficultas luculentè patuit in juvene illo, qui maluit Divinum Magistrum, quàm suas divitias relinquere, quas secum portans, *abiit mœrens.* Marci 10. v. 22. Denique video, quod Servator opibus immediatè nectat adulterium: *omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Luc. 16. v. 18.

Sed quid hæc ad scopum Magister 149.
cælestis, cur divitibus addis adulteros? ideò nempe, quia divitiæ sunt superbiæ radices, & aquæ Lethææ, quæ sancti timoris, & amoris Dei oblivionem inducunt. Ubi se granis divitem spica miratur, collum inflectit, ac terram respicit. Arbor onusta fructibus ramorum brachiis illos non cœlo, sed telluri offert. Luna, cùm orbem implêrit, luminis prædives longiùs â sole recedit; ita auri dives suo gravatus pondere, & fidens in divitiis suis nec cœlum, nec Phæbum miratur. Illicò, ac servus nequam se talento ditatum aspexit, abiit, tergum ob-

obvertit domino suo, & benefactoris sui oblitus totum se impendit fodiendæ telluri: *qui autem unum acceperat abiens fodit in terram.* Matth. 25. v. 18. Stulte, an nescis nullum esse semen auri, nec fæcunditatem inesse numis infra terram projectis; si auream sementem jacis, quid colliges, nisi tribulos, & spinas, quæ cultorem suum olim acrius pungant: ita malus servus damno suo hoc didicit. Filius prodigus accepta divitiarum substantia, quæ ipsum contingebat, illicò *congregatis omnibus profectus est in regionem longinquam.* Luc. 15. v. 13. Procul â patre, procul â patria dilapidavit patrimonium vivendo luxuriosè. In ipso corde Davidis, quod erat secundum cor Dei, statim, ac illud inundârunt divitiæ, locum invenêre homicidium, & adulterium: quis putâsset pietatem, ac mansuetudinem David denique degeneraturam in Uriæ innocui crudelissimam cædem! Verùm, ubi divitiæ abundant, etiam ipse humanitatis sensus exulat. Purpuratus ille dives panes habebat pro canibus suis, micas non habebat pro pauperculo Lazaro: *sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Luc. 19. v. 21. Noluit Epulo, vel non potuit esse dives, & misericors. Vix auri sacra fames Judæ pectus obsedit, cùm prodere occepit vel ipsum suum Magistrum: patrato flagitio, ut argenteis se divitem vidit, turpem animam laqueo elisit. Cui benè faciet dives, si tam immitem Christi Apostolum effecit pecunia, ut in Magistrum suum, ac se ipsum tam crudelis fieret.

Rarò magnis vitiis immunes divitiæ, nisi ubi earum contemptus heroicas colat virtutes. Etiam cæci gentiles Plutoni auctori universæ malitiæ gazas adscribebant, seu malas opes. Ore Christi certum habemus, nihil prodesse, si mundum totum lucremur; sed obscura videtur afferti ratio, etenim postquam Servator dixerat: *quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum.* Luc. 9. v. 25. Illicò subjungit: *nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* v. 26. Quid habet commune lucrum mundi cum erubescentia Christi? hoc, quòd ex illo ista nunquam non sequatur. Quisquis rebus omnibus abundat, Dei sui facillimè obliviscitur, nec multùm æstimabit Christum pauperem, qui pro Deo suo habet mundum divitem. Hunc ergò Dominum suum fateri protinùs erubescet: sic etiam in sancto Matthæo cap. 10. v. 33. & apud S. Marcum c. 8. v. 26. ex simili antecedente deductam videmus non absimilem consequentiam: magna enim connexio intercedit inter magnum cumulum divitiarum, & totalem contemptum Legum Divinarum. Aliquid in se continent divitiæ, ut ubi magis abundant, ibi etiam pluris æstimantur, ac amantur. Nullius ponderis sunt apud eos, qui in cordium stateris appendunt aurum, anima, æternitas, cœlum, infernus, imò ipse Deus. Dum privatam vitam de-

degebat Saul non multis instructus opibus, patris, ac Samuelis dicto omninò paret: vix ad regni divitias assurgit, nec Sacerdoti obedit, neque etiam Deo. Si caput est ex auro, vel si aurum sit in capite *caput ejus aureum.* Cant. 5. v. 11. illicò sequitur, capillos cogitationum symbola, nigrescere corvi instar avolantis ex arca salutis, & illuc non revertentis, quàm primùm terræ immunditiis, ac fædis cadaveribus insidere potest. *Comæ ejus quasi elatæ palmarum nigræ sicut corvus.* ibid. Capilli ex capite oriuntur, unde & fortè nomen traxêre: si ipsi albi sint, caput album dici solet, si nigri nigrum; quare ergò nigræ dicuntur capitis aurei comæ? ideò nempe, quia candor innocuarum cogitationum jungi nequit cum consiliis atris capitis aurei. Si in capite solo aurum sit, caput id erit statuæ Nabuchodonosoris, quæ pedes habebat terreos, ac tam citò corruit. Dan. 2. v. 32. Medium, ut columnæ instar firmo stes pede, non est, esse ex auro, sed calcare aurum. In Babylonia simulacrum visum Chaldæo Regi habebat caput aureum & pedes testaceos, ideò tota moles paulò post concidit. In canticis, si caput itidem dicitur aureum, inde fit, quia pedes auro insistebant, ac ideò columnæ instar obtinebant stabilitatem: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Cant. 5. v. 15. Aurum Sponsus gerebat infra pedes, ideò meruit aurum, seu coronam auream gestare in capite. Etiam civitas Dei auro constat: *ipsa verò civitas aurum mundum.* Apocal. 20. v. 18. etiam cœlestis hujus curiæ platea tota auro fulget: *& platea civitatis aurum mundum.* v 21. Sed huic insistunt, hanc calcant Beati, nec æstimantur aurea hæc ambulacra, nisi quantùm deserviunt felicia perambulantibus almæ Sionis compita.

Credamus veritati Divinæ: *neque de spinis colligunt ficus* Luc 6. v. 44. spinas vocavit Christus divitias. Matth. 13. v. 22. Fructus divitiarum iniquitas, & injustitia, ex iis prodit *quasi ex adipe iniquitas eorum.* Ps. 72. v. 7. Alia vice de omnibus sub Tyri nomine locutus Isaias dixit: *Et erit post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas.* cap. 23. v. 17. Id est, iteratò ditescet Tyrus, postquam jam fuerat ad incitas redacta. Et quid sequitur: *Et rursus fornicabitur cum universis regnis terræ.* En partum suarum divitiarum! en fructum lucrorum Tyrensium! turpissimam prostitutionem, effrontem lasciviam, projecti pudoris vitam! accumulat opes, & amittit honorem; emit lucra, ac vendit boni nominis famam; thesaurizat gazas, & perdit animam, Deum, æternitatem. Clariùs res liquet ex cap. 2. ubi dicitur: *Repleta est terra argento, & non est finis thesaurorum ejus.* Sed quid inde confiet? *& repleta est terra Idolis.* Nempe auro, & mammonæ serviet, ùt diis suis gentiles. Nullus speret cultui Divino se litaturum, dum habet, quod in auro speret. Deum suum 151.

fortè

fortè adorabit, id est, suum aurum; repleta est terra, & illicò repletur Idolis. Magi obtulerunt aurum, & illicò secutum est thus, & myrrha. Hoc est mundi, & dæmonis inventum, ut, ubi est aurum, ibi inveniatur adorationis ergò incensum, neque etiam desit myrrha amaritudinis, ac doloris. Nescio, an solus sit stultus ille, qui mente sua horrea digessit, quò meliùs thesauros suos reconderet in phantasticis hisce conditôris: *illic*, seu in hoc concavo Lunæ, inquit homo iste lunaticus, *congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Luc. 12. v. 19. Ecce hominem in cogitationibus inanibus evanescentem, qui finem suum ac Deum, felicitatémque omnem in aëre collocat. Immensas divitias Jerosolymam intulerat Rex Idumæus, *fecítque, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* 3. Reg. 10. v. 27. Sed post tot gazas conversus est Salomon ad alia legi Divinæ omninò repugnantia; capite enim sequenti ita habet Sacer textus: *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas.* cap. 11. v. 1. amore hoc præpostero ita *depravatum est cor ejus.* v. 4. ut etiam diis earum thus adoleverit. En fructum divitiarum! Plutonem sequitur Venus, Venerem Astartes. Arbores dum fructibus scatent, floribus carent, nil virtutis profert cor hominis, in quo abundet aurum.

152. Optimo loco stabit columba, quamdiu non invenerit, ubi pedem figat, nempe arcam repetet. Si verò subsidentibus aquis, quod foris carpat, repererit, nec de arca, nec de Noë porrò curabit: *quæ non est reversa ultrà ad eum.* Gen. 8. v. 12. Sponsa, quantumcunque clamaverit Sponsus, & januam pulset, non tamen aperiet, quia nempe habet, in quo quiescat: *Ego dormio.* Cant. 5. v. 2. Non desunt, qui cum Habacuc dicant: *Ego autem gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Verùm dum id dicunt, & gaudent in bonis terræ, dici eis poterit: *Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum: abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus.* Hab. 3. v. 18. Non tunc ad Deum ex corde vertimur, quando omnia ad votum fluunt, & ubertate replentur & campi, & loculi nostri; sed ubi angustiæ nos premant, & fames urgeat. Dum quod prodigeret, habuit filius prodigus, nec minima eum tangebat cura patris, statim ac egestas, & esuries oppressêre miserum de relicta patria domo cogitare incipit, atque illuc reverti decernit. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Luc. 15. v. 18. Tunc converti ad Deum idem est, ac reverti in se: ita nempe *in se reversus* ad parentem redit, & quem perdidit abundantia, iterum reduxit penuria. Etiam infelix dives, dum siti cruciatur, Abrahami memor esse incipit, cujus nunquam non oblitus erat in opiparis suis mensis: *Et ipse clamans, dixit, pater Abraham miserere mei.* Luc. 16. v 24. Dum diluvium terram occupat, & valles,

& montes obruuntur aquis, manſueta eſt Tigris, abſtemius Lupus, Leo non rugit, Unicornu muteſcit, omnes & ſingulæ etiam ferociſſimæ feræ, & inter ſe, & cum aliis animantibus amicitiam colunt. Statim ac Iris pacis aërem ſerenat frondibus, & fructibus veſtitur arbos, herbis campi, atque ſtabili pede calcari queunt montes, & ſicco vellere transmitti valles, illicò redit ingenita feritas, lupus non parcit ovi, tigris ferocit in hominem, rugitus edit ſuperbus leo, & belluæ reliquæ abeunt in antiquam ſylvam. vid. Gen. cap. 6. ampliùs, ſi muſtum dederint vites, nec Noëmi temperantia ſtabit, nec Chami inverecunda curioſitas maledictione carebit: *bibénsque vinum, inebriatus eſt ... quod cùm vidiſſet Cham.* Gen. 9. v. 21. Væ intentat huic terræ pinguedini Iſaias Propheta cap. 28. v. 1. *væ coronæ ſuperbiæ! væ ebriis Ephraim, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ.* Ipſum manna, quod pluit de cœlo, diſperit omnibus iis, qui nimio id colligunt exceſſu. Exod. 16. v. 20.

153. Medium quo uſus Deus ad aperiendos oculos populi nimia felicitate excæcati, unicum fuit, ſterilitate mulctare campos eorum. Apud Oſeam dicit Dominus de populo Iſraël: *Dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi, & aurum.* c. 2. v. 8 & quid liberalitate hac ſua maximâ effecit, niſi ut ipſi beneficia verterent in maleficia, & de auro, & argento ſibi conflarent idolum: *& fecerunt Baal.* Adeoque ſtylum vertere conſtituit Deus, ut illi â viis ſuis peſſimis reverterentur: *ideò convertar, & ſumam frumentum meum.* v. 9. In proſperitate ſua totus ſuperbit Pharao, jactat arroganter, ſe non nôſſe Deum Iſraëlis: *neſcio Dominum.* Exod. 5. v. 2. Verùm enim verò dum gemit inter multiplicataram plagarum flagella; dum maris rubri fluctus exercitum obruunt; nimis quantùm ſibi & ſuis gravem experitur Iſraëlitici populi Dominum, ac dicere cogitur: *Dominus pugnat pro eis.* Exod. 14. v. 25. Adamus inter Paradiſi delicias ad unam vocem mulieris, & porrectum ab ea pomum interit: *dedítque viro ſuo, qui comedit.* Gen. 3. v. 6. Contrà Jobus inter mille, quæ virum ſanctum obſedêre mala, & ſtultæ mulieris inſultus, nec labium movet: *in omnibus iſtis non peccavit Job labiis ſuis.* cap. 2. v. 10. Lucifer, nimia ebrius felicitate, Deo ipſi fit rebellis. Saul exaltatus, & dives, reprobus evadit: Salomon ex opulentia in laſciviam, ac idololatriam decidit, & vix ſanctus perſtitit quiſpiam in ſumma proſperitate. Hac de cauſa Jacobus intellecta ſorte Joſephi undequaque auſpicata in Ægyptum deſcendere timuit, donec â Deo ſibi animos addi ſenſit verbis illis: *noli timere, deſcende ... ego deſcendam tecum.* Gen. 46. v. 4. O! quot inter Thaboris verſati delicias refugiunt montis Calvariæ crucem! ſolus Joannes, qui timorem inter ſplendores, & glorias Thaboræas concepit: *& timuerunt valde.* Matth. 16. v. 6. & ab ea celſitudine humi ſponte

ſponte procubuit: *& cecidérunt in faciem ſuam:* intrepidè cruci aſſiſtit: *& diſcipulum ſtantem.* Joan. 19. v. 26. Si inter abundantia cœli ſolatia tantam cæcitatem Petrus Apoſtolorum Princeps contrahit, ut nec viam crucis poſt Magiſtrum ſuum terendam inveniat, quis terrena non metuet, quæ â Deo non dantur, ſed â mundo petuntur, neque quæruntur in monte Thabor, ſed in aquilone, ubi volebat exaltare ſolium ſuum tenebrarum Princeps Lucifer!

Idea XXXI.

Rarò amantur divitiæ ſine exceſſu.

154. OStendeſis dominum multarum divitiarum, qui ſimul non ſit mancipium earum. Volebat Jezabel, aulæ deliciis injuſtè rapta Nabothi vinea deſerviret, & en ſparſus ibidem Jezabelis ſanguis vineæ rivi inſtar ſerviit. 3. Reg. 21. v. 23. *Non poteſtis ſervire Deo, & mammonæ.* Luc. 16. v. 13. Hæc duo aſſertô æternæ Veritatis jungi nequeunt, ſive Deo ſervias, quod idem eſt, ac regnare, ſive avaritiæ, quæ eſt viliſſima ſervitus. Servit pecuniæ, qui hanc amat, ſervit Deo, qui amat Deum. Cupido theſauri, non eſt cupiditas, ſed infamis famulatus; huic ſi ſemel te mancipes, poſtliminiò ægerrimè emancipaberis. Res horroris plena, quam de quodam divite recenſet Evangeliſta Marcus. Is ad Chriſtum delabitur boni deſiderii plenus, & ad genua cæleſtis Magiſtri provolutus rogat, viam oſtenderet ad aſtra. Dominus viciſſim quærit, an nôrit mandata decalogi, eáque ſummariè homini explicat â ſexto auſpicatus quod in divitibus eſſe ſolet petra ſcandali: tenſis auribus hæc omnia juvenis excipit, ac reponit: *Magiſter hæc omnia obſervavi â juventute mea.* Marci 10. v. 17. Ergò, inquit Chriſtus: *unum tibi deeſt, vade, & quæcunque habes, vende, & & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, veni, & ſequere me.* v. 21. Ad hæc infelix dives, cùm jam ſtaret in limine cœli, reſpexit retrò, & *contriſtatus in verbo, abiit mœrens* (en rationem) *erat enim habens multas poſſeſſiones.* v. 22. Poſſibiléne, ut is qui tota ſua vitâ nunquam deſeruit legem Dei, jam monitus ab ipſo Deo, non poſſit deſerere divitias ſuas, quæ fors ipſum poſſeſſorem paulò poſt deſerent? an amor divitiarum jam ſeparabit, quem â Deo nunquam removit blandæ juventutis lenocinium? an carere velit Deo, ne gazis ſuis privetur, qui, ut Deo adhæreret, nunquam

hactenùs adhæsit vetitis cujuscunque generis oblectamentis? & quis, his auditis, dicet, amari posse divitias, quin inordinatè amentur? quis diffitebitur, arduum quàm maximè divitibus esse ad cœlum iter? *quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* ibid. v. 23. At verò quare iste homo cœlum non ingrediatur, qui licèt dives sit, non tamen est mœchus, neque fur, neque perjurus, neque homicida, neque ullius legis violator? qui licèt â Christo recedat, tamen abiit mœrens & plenus amaritudinis? qui licèt relictis omnibus, ùt fecêre Apostoli, nolit sequi Christum, nihilominùs ob innocuæ vitæ candorem amari meruit â Christo: *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum.* v. 21. Sed his non obstantibus â via salutis abscessit dives, quia abiit â Salvatore: hoc non est dignus, qui ipsi præfert possessiones suas, qui mavult istas sequi, quàm illum. Ecce quomodò divitiæ cor captivent etiam doli expers, & nunquam malarum cupiditatum laqueis irretitum? quid speret malitia abundans gazis, si dives innocentia tam miserè perit, ac Deum relinquit, ne deserere cogatur aurum? quis dicet cordi sibi esse pecunias, quin cor habeat in pecuniis? thesaurum dives hic Evangelicus credidit se habere in divitiis suis, cor habuit in thesauro isto, útque hoc loco retineret, habere noluit in cœlo: & quamvis antea, ne â Deo recederet, nunquam â divina lege recessit, subin & â Deo, & â lege recedere voluit, ne recederet â divitiis suis. Videbatur sibi tenere aurum, & ab auro ipse penitùs tenebatur. Est certum retium genus, quod patenti ore facilè pisces recipit, at verò difficilem jam intrò receptis ampliùs regressum permittit. His similes divitiæ, seu numariæ arcæ, quæ unà cum numis cor divitis latiore rima facillimè suscipiunt; at verò egredi non sinunt nisi magno molimine! Ita Job loqui visum est in solamen pauperis: *salvabit te*, inquit, cap. 36. v 16. *De ore angusto latissimè.* Quod angustum est, quomodo dici queat latissimum? ambo prædicta arca pecuniaria complectitur, os habet extrorsum latissimum, introrsum angustum, facilè pecunia tua unacum corde ingredietur, non nisi summa difficultate postliminiò egredietur. In eundum sensum locutus est Ezechiel Tyro, cùm de urbe hac magnifica dixit: *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, seu ùt vertit Aquila: *vinctio & constrictio tua.* Nempe laquei sunt divitiæ, quibus velut operimentis irretitos tenent cultores suos. Altera vice rem insigni metaphorâ dilucidavit Jobus: nam ubi vulgata legit: *si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea.* cap. 31. v. 24. Septuaginta legunt: *Si posui aurum in conjugem meam.* Professus nimirùm se nunquam indissolubili nexu sibi despondisse mammonam, ùt multi faciunt, qui fide maritali sibi divitias copulant, ab his amplexibus non nisi â Libitina abstrahendi. Cúmque jam mundi primordio præceptum sit: *relinquet homo patrem & matrem*,

& adhærebit uxori ſuæ, cæci iſti divitiarum mariti non ſolùm ob iſtas relinquunt carnales parentes, ſed ſæpiſſimè etiam Patrem Deum, & Matrem Eccleſiam Ethnicis, & Publicanis deteriores.

155. Non videtur dixiſſe nihil Pſaltes Regius cum Pſalmo 118. dixit: *dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.* v. 127. Ecce Davidem virum ſecundum cor Dei! en necdum is longiùs proceſſit in amore legis divinæ, quàm quòd illam amet ſupra divitias! certè ſi plùs amat legem Dei, quàm aurum, etiam amat aurum, ut ſcilicet oſtendat nullum eſſe, qui aurum poſſideat, quin aurum amet, quantumvis ſibi in dilectione Dei videatur profeciſſe. Imò qui dicit, ſe ſolum appetere divitias ùt neceſſarias ad tuendam vitam nec tamen amare divitias, Davidi contradicit, qui inſuper amavit: *dilexi mandata tua ſuper aurum.* Qua ipſa expreſſione oſtendere voluit, ſe enixè amare Deum, quòd ſupra aurum illum amet, cujus fulvi metalli vis tanta, ut plerumque cor hominis totum poſt ſe trahat: *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Math. 6. v. 4. Theſauri autem, & auri uti nominis, ita virtutis trahendi penè vis eadem. At quid dicis Propheta ſancte? *dilexi mandata tua ſuper aurum.* non etiam diligis ſupra uxores, filios, honorem, coronam, & vitam tuam? quæ perfecta charitas ſit, niſi Deum diligat ſuper omnia? ita eſt, reponit David: id ipſum indicare volui, quòd Deum & legem ejus ſuper omnia diligam, cùm dixi, quòd ſuper aurum diligam. Quid enim in mundo, quod magis ametur, quàm aurum? hinc Chriſtus quando mortales omnes ad cæleſtem patriam invitat, non dicit, ut omni theſauro careant, ſed ut ſibi theſaurizent in cœlis: *facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlo.* Et cur hoc? *ubi enim theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum erit.* Luc. 12. v. 33. Nempe cor noſtrum non futurum eſſet in cœlis, niſi ibidem quoque foret theſaurus; quare Dominus ita videtur locutus: vultis amare cœlum, theſaurum veſtrum reponite in cœlum, quia uti fieri nequit, ut cor ſemel poſſideatur ab auro, quin amet aurum, ita fieri non poterit, ut theſaurus veſter ſit in cœlo, quin cor veſtrum, & amor veſter exiſtat in cœlo. In hunc quoque finem, quo regni cœleſtis amorem in nobis acueret Chriſtus, quando regni iſtius mentionem ingeſſit, ſemper theſauri, margariti, lucri ſermonem fecit, quæ omnia in ſui amorem potenter hominum præcordia inflectunt.

156. Perſuaſum proin habeo peculii amorem, ubi in corde humano ſemel radices fixerit, omnium difficillimè eradicari. Certè Salomon magnus ille in amoris ſchola Magiſter, cùm vim divini amoris oſtendere vellet, igni eum comparavit reliqua omnia conſumenti: *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* Cant. 8. v. 6. ac poſtquam dixiſſet: hanc dilectionem nec continuis inundantium un-

darum cedere flagellis: *Aquæ multæ non potuerunt extinquere Charitatem.* denique concludit: *si dederit omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam,* ibid. Hic eſt ultimus conatus, & periculi pleniſſima alea, amoríſque vis poſtrema, Deum amare magìs, ac quodcunque aurum, hac cordi nulla majori ſtat impendio victoria. Danaë ad modicam auri pluviam tauro, velut carceri ſe includi paſſa eſt, quod eſt immodicum ubique cognitæ pulchritudinis ſupplicium. Judas relictis parentibus ſecutus eſt vocantem Chriſtum, jejunavit, peregrinatus eſt, precibus cœlum fatigavit triennio integro: omnia, quæ habuerat, ac penè ſe ipſum propter Deum deſeruit; at denique propter paucos argenteos & cœlum, & Dominum ſuum dereliquit: *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.* Matth. 26. v. 15. Ananias & Saphira Evangelii placitis ſubſcripſerant, odium plebis Chriſti amori poſthabuerant, ſuſceperant ignominiam crucis, ſusdéque habitis agnatorum convitiis, ac Judæorum minis ſe totos Chriſtianæ legi devoverant: at verò cùm ſe ſe denique auro omni exſpoliare fuiſſet neceſſum, ne perderent aurum, perdere maluêre ſe ipſos. *Et fraudavit de pretio agri conſcia uxore ſua.* Act. 5. v. 2. Saul generosè pugnavit in Amalecitas, ingenti ſtrage eos affecit, imò internecione delevit â noviſſimo usque ad primum, quo Dei placito obſecundaret, ùt verò pepercit *optimis gregibus ovium, armentorum, & veſtibus.* 1. Reg. 14. 9. in quo Rex infelix nimiùm quantum eſt prævari, catus jubente Deo perditionem rerum omnium ad Amalecitas pertinentium. Nec Sacrificii obtentu tegi potuit prævaricatio; nam veſtium pretioſarum aſſervatio nullo cooperiri potuit prætextu, niſi cupiditatis vetitæ, quæ Saulem oſtendit vile divitiarum mancipium. Filii Iſraël, uti præceptum erat captam Jerichuntem penitùs excidêre; ſed etiam in hac victoria clarè patuit difficiliùs eſſe de auro, quàm de hoſtibus triumphos agere. Exod. 32. Achan, ùt generoſus miles, ferro ſuo immolârit plurimos hoſtium in pugnis ante promiſſæ terræ ingreſſum cum inimicis Dei initis, at verò denique victorem perdidit argentum, & aurum: *Vidi enim,* inquit ipſe, *inter ſpolia ... ducentos ſiclos argenti regulámque auream quinquaginta ſiclorum & concupiſcens abſtuli.* Joſ. 7. v. 21. & ita abſtulit, ut non niſi cum vita reliquerit. Amor nempe numorum hoſtis validiſſimus mortalium, qui toties ferè vincit, quoties pugnat, & nunquam pugnare deſinit, niſi ùt homo vivere deſiit.

Ubi Vulgata legit: *ſi dederit omnem* 157.
ſubſtantiam ſuam, Cant. 8. v. 7. Septuaginta vertunt: *ſi dederit vir omnem vitam ſuam:* ac ſi idem foret pecunia hominis, ac vita hominis, neque plus vitæ eſſet in eo, quàm ſubſtantiæ, ſeu divitiarum, ita communiter cenſent expendi vitam, cùm impenduntur opes, quare Iſaias dixit: *cùm effuderis eſurienti animam tuam.* cap. 58.

58. v. 10. quod ſeptuaginta vertunt: *cùm dederis eſurienti panem ex anima tua.* Indicare volentes, hominibus panem, ac divitias ſuas eſſe vitam, & animam ſuam, & quòd primo abſcindi debeat ex anima panis, quam ex ciſta; aut quòd ipſis anima eximatur, ſi fruſtum panis eripitur. Judas *projectis argenteis in templo, illicò inde receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. v. 5. & quomodo infelix porrò viveret, ſi cum peculio ſuo animam, & vitam jam effuderat? Ita ſanè eſt, cupiditas theſauros ſic amat, ut propriam vitam, imò longè pluris amat; diſcrimini enim objiciet vitam, ut in tuto collocet pecuniam. Divitiarum grandinem ſors beatior aliquando in pauperis caput depluerat, credebat ipſa benefacere homini, & peſſimè illi fecit, auri pondere denique ita oppreſſo, ut porrò aſſurgere non valuerit. Jam collo tenus innatabat aureæ pluviæ, &, ut magis diteſceret, brachia ac manus attollebat, ut plùs acciperet; ſitiit aurum, dum vidit, & ut auro ab imo ad ſummum opertum ſe vidit, vixit. Sitis inſatiabilis & nunquam deficiens, tu peſſima tentatio hominis ſuper terram! proin Satanas Dominum tentans ultimo locô aureum hunc arietem velut potentiſſimum adhibet diadematum aureorum totius mundi cupidinem, & promiſſis tam ſplendidis credidit ſe adorandum ab illo in terris, quem jugiter Angeli adorant in cœlis: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Matth 4. v. 9. hoc eſt nequiſſimi telum noviſſimum: *Omnia tibi dabo.* & hoc unicum eſt, quod etiam invictis aliàs præcordiis in hac vita reſtat vincendum.

Idea XXXII.

Ficta hujus mundi bona, vera ſunt mala.

158. BOna quibus non bona, ſed mala, eâque quàm plurima gignuntur, bona dici poſſunt: eſſe non poſſunt: qui contemplatur divitem Evangelicum indutum purpurâ ac byſſo, & quotidie epulantem ſplendidè: Luc. 16. v. 19. benedicet, imò invidebit ſorti ejus tam beatæ, ſi naturæ unius ductu hominem â planta ad verticem metitur. ſi verò ad fidei lumen exigat bona iſta, dicet, inde enatam ſummorum malorum ſegetem, atque hominum infeliciſſimum fuiſſe hunc Epulonem; moritur dives, atque ſepelitur in inferno. Et ne dubium ſupereſſet cauſæ ærumnarum æternarum, illam apertè detegit Pater Abraham diviti Epuloni ſic locutus: *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* v. 25. en tu in vivis collegiſti bona, & poſt mortem recipere cogeris mala. Ibi flores aureos decerpſiſti ex arbore mun-

mundanæ gloriæ, jam æternæ carpere debes fructus ignominiæ! en gaudium bonorum temporalium modò versum est in cruciatum malorum nunquam finiendorum: *tu verò cruciaris!* Quàm digna, teste David. invidiæ videtur tranquillitas iniquorum, qua fruuntur inter hujus vitæ fluctus, & tempestates: omnia illis prospera accidunt, nec dolor eos conturbat, nec afflictio molestat. *Zelavi*, inquit vir sanctus, *super iniquos, pacem peccatorum videns.* Psalm 72. v. 3. En homines istos extra humanæ miseriæ conditionem positos! *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur!* v. 5. Nihil porrò videtur iis desiderandum! ita est, inquit mellifluus, sed idcircò sunt omnium hominum miserrimi, quia humanis miseriis præ cæteris apparent eximii, erunt enim olim in flagellis dæmonum, qui humeros subtraxerunt flagellis hominum: *qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum erunt, & qui cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur* Serm. 23. in Cant. Adhuc fortiùs discurrit Hipponensis versum Psalmi ejusdem sequentem explicans: *non est respectus morti eorum*, seu, ùt ipse vertit: *non est declinatio mortis eorum*, ita enim loquitur sanctus Pater: *Jam intelligis, quare impii habent pacem, & florent in terra, quia morti eorum non est declinatio, id est, quia certa mors, & æterna illos manet, quæ non declinat ab eis, nec ipsi declinare possunt ab ea.* Nisi scilicet â prosperis hujus vitæ declinent, ex quibus, veluti causâ necessariâ, pullulant fructus acerbi adversorum vitæ alterius. Tam difficile est ducere in bonis dies suos, & non mori malè, ut duo hæc neque Augustini ingenium potuerit conjungere: *vitam in bonis, & mortem bonam.* Id ipsum denique David concluſit: *subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* v. 19. Istam quoque iniquitatem perstrinxit Isaias. cap. 28. Ubi iniquos inducit gloriari auditos, quòd ipsi â communi reliquorum hominum flagellatione fuerint eximii: *flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos.* v. 15. Subjungit enim v. 18. Propheta: *delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit, flagellum inundans, cùm transierit, eritis ei in conculcationem.* Velut diceret: ô stulti! qui in eo gloriamini; quasi flagellum vos non tangeret! veniet tempus, quo etiam conculcabit vos penitus, & cùm gustare nolueritis, flagellum hujus vitæ transiens, ferre cogemini nunquam transiturum flagellum vitæ venturæ.

Vim illationis hujus ê bonis temporalibus ad æterna mala ipse Christus deduxit, ubi dixit: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Luc. 6. v. 24. En æterna tormenta ex gaudiis temporariis illata! *væ* enim illud, teste sancto Gregorio hom. 9. in Ezech. ac communi sacræ scripturæ Interpretum in sacris paginis nihil aliud indicat, quàm mala sempiterna, quod multis sanctus Pontifex ostendit. Cum primis verò hîc notandum, quòd perennis infelicitatis causam nullam 159.

aliam

aliam æterna veritas assignet, quàm consolationem præsentaneam; non enim dixit: væ vobis divitibus, quia estis latrones, raptores, adulteri, sed, *quia habetis consolationem vestram*: ut scilicet concludatur, signum esse manifestum condemnationis, prosperitatum hujus mundi catenatam seriem, vel, ùt in eum locum commentatur Cajetanus: *Indicium hîc habes æternæ damnationis in prosperis successibus iniquorum.* Attentos vos volo, quicunque sectamini vana hujus vitæ solatia, quæ post se trahunt tristitiam nunquam terminandam. Non semper rosas colligit, qui rosas seminat; qui maturè nimis rosas carpit, subin nihil ei suppetet, nisi spinæ. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Psalm. 125. v. 5. qui verò gaudia seminat, supplicia metet. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Luc. 6. v. 25. Creaverat Deus hominem in paradiso voluptatis, ut inde transferret ad gloriam cœlestem. Deliquit homo in loco deliciarum, & ab hoc loco ocyùs ejectus est, Paradisus primus jam est peccato amissus, non datur ampliùs â terrestri illo ad alterum cœlestem aditus. Nec in terra exilii tribulos, ac spinas germinante vult nos Deus habere Paradisum seu hortum voluptatis. Qui istum sibi fingit in terris, meliorem olim non habebit in cœlis, ubi torrente voluptatis suos Dominus olim potabit. Id Sanctus Bernardus de divite Epulone notavit, qui in hac vitâ jam degere voluit in cœlo, & in alterâ detrusus est ad infernum. Sermon. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia.* Incolæ Sodomorum terram possidebant fertilissimam, *quæ universa irrigabatur sicut paradisus Domini.* Hinc Rupertus eam vocavit lib. 6. in Gen. *arva paradisi.* At verò tam hæc ipsa tam felix tellus cœlo demissis flammis periit tota: *Pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem â Domino de cœlo.* Gen. 19. v. 24. En scelestarum urbium vorator ignis non ex antris inferi, ùt fit ex cavernis Vesuvii, & Ætnæ sursum eluctatur, sed ê cœlo descendit, ut regionem puniat æmulam paradisi. Tam arduum imò impossibile censet Divus Augustinus, ut quis ex deliciis ad delicias transeat, & ex transitoriis gaudiis ad æterna. Soli nocti succedit dies: *Vespere & mane dies unus.* Gen. 1. v. 5. hyemis rigorem temperat ver floridum: *Jam hyems transiit, imber recessit, flores apparuerunt.* Cant. 2. v. 11. Per ignem fit transitus ad refrigerium: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Psalm. 65. v. 12. & qui flores ex arbore decerpit, etiam fructibus postea carebit.

Ne tibi Deus tantum velit mali, ut 160.
sinat plurimum tibi in hac vita evenire boni. Felicitas impii est tecta divinæ Nemesis ira, ac vindicta, uti afflictio justi dici meretur occulta Dei clementia. Tunc magis irascitur Numen, cùm minùs iram suam manifestat: *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus â te, &*

quieſcam, nec irâſcar amplius. Ezech. 16. 42. Amor videtur, & eſt ira; videtur indulgentia, & eſt vindicta, nequit Deus hominem ſeveriùs plectere, quàm cùm illum ſequi permittit deſideria cordis ſui, & ire in adinventionibus ſuis. *Vide miſericordiam Domini*, inquit Origenes hom. 8. in Exod. quando vult miſereri, indignari ſe dicit, & iraſci. Ubi iraſcitur, & Zelatur! ubi adhibet dolores, & verbera, *flagellat enim omnem filium, quem recipit.* Exacerbaverat Dominum peccator, dicit David, quid ergò ultionis capiet tam vehementer irritatus Deus? hæc erit vindicta maxima. *Secundùm magnitudinem iræ ſuæ non quæret.* Pſ. 10. v. 14. hoc eſt ultionis genus præ reliquis formidandum, non quærere ultionem, quia ut loquitur Auguſtinus: *Ideò non exquirit, quia multùm iraſcitur, parcendo cedit.* Serm. 37. de verbis Domini. Etiam Seneca id agnovit, dicens: *Deus quos amat, indurat, recognoſcit, exercet: eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, venturis malis reſervat.* cap. 4. de Providentia. Mirabile id, quod ex ore Oſeæ loquitur Deus: *Non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm adulteraverint.* cap. 4. v. 14. Mi Deus! an non meliùs foret ſuccidere greſſus currentium ad inquitatem! ita eſt, niſi tam eſſem iratus peccatis veſtris: ideò proin non viſitabo. In quem locum Hugo *non viſitare*, inquit, *eſt maxima ira Dei, flagellare autem delinquentes, miſericordia eſt.* Ah homo! quàm cæcè diſcurris, ſi te felicem reputes, cùm blandiori vultu te ſors proſpera aſpicit, nunquam inclementiùs tecum res agitur, quàm ubi etiam peccanti tibi omnia ad vota fluunt, ubi mereris Dei maledictionem, & in hujus terræ bonis vides affluere benedictionem: audi Hipponenſem: *Perverſa mens mortalium felices res humanas putat, cùm tectorum ſplendor attenditur. Hæc ſi Deus pollere permittat, indignatur graviùs, ſi impunita dimittat, tunc punit infeſtiùs.*

Ad hanc ſacrarum paginarum lu- 161.
cem labores ſuos exigebant generoſi pugiles Machabæi, amoris divini ſigna legentes ex ipſis ſuppliciis, ſibi Dei permiſſione â tyranno illatis. Benedictus Deus, qui amat nos, ſi ſtatim, ac peccamus, nos plectat: *Deum ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium, non enim ſicut in aliis nationibus Dominus patienter exſpectat, ut eas cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.* 2. Machab. cap. 6. v. 13. Non eſt pœna major, quàm nulla pœna, ubi præceſſit culpa. Cùm enim Deus juſtus plectere debeat omnem culpam, ſi hîc non puniat, in inferno graviùs puniet. Dicant illi, quos in delictorum ſupplicium hoc unum irrogavit Deus, ut dimitteret eos *ſecundum deſideria cordis eorum.* Pſalm. 80. v. 31. Ut ambitio eorum eluctaretur ad culmen honorum, laſcivia coronaret ſe roſis voluptatum, avaritia corraderet divitiarum cumulos. Hæc autem & ejusmodi alia omnia permiſit eis Deus

in

in pœnam delictorum, sed ad tecta hæc supplicia ipsi obsurduerunt: *& non audivit populus vocem meam.* v. 30. sed tempus veniet, quo & ista intelligant, *sed erit tempus eorum in sæcula.* v. 16. Ipsi in appetitionibus suis ubique agent triumphos, donec tandem indomitis hisce equis rapiantur ad inferos: *Ibunt in inventionibus suis, quasi in quibusdam vehiculis, quibus portabuntur ad inferos.* ut loquitur Hugo Cardinalis ibid. De Heliogabalo recenset Lampridius, quod spiritum quibusdam intercluderet deliciis hortensibus: *jubebat expirare, oppressos violis & floribus.* Sic Deus dimittit impios, ut dicant, *coronemus nos rosis.* Sap. 2. v. 8. ut vivant in saturitate deliciarum, donec capite tenùs illis immersi suffocentur, ac æternùm pereant. *Felicitas peccatorum, fovea ipsorum est.* Augustinus in Psalm. 91. Infelices qui amore caduci floris terrestrium bonorum, ac mundanæ gloriæ se capi sinunt, quæ maledictioni non uni obnoxia est: *Væ flori decidenti gloriæ exultationis.* Isai. 28. 1. *Florent hi in sæculo, arescent in judicio, & post ariditatem in ignem mittentur æternum.* ut iterum commentatur Augustinus in Psalm. 53. Illi putant se floribus innatare, ac deliciis, & Deus sinit, ut id sibi persuadeant, ac superveniat repentina dies, quo saginatæ hæ voluptatibus victimæ orco cedant, sintque aliis in exemplum.

162. Id certum, salutem esse nullam nisi in cruce, quam utique fugiunt bonorum fugacium sectatores, *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. v. 38. Soli illi, qui crucis signo sunt notati exterminatorum gladios effugiunt: *Omnes autem, super quos videritis Thau, ne occidatis.* Ezech. 9. v. 6. nulli autem ea notâ merebantur insigniri, nisi qui mærebant, & dolebant. *Signa Thau superfrontes gementium, & dolentium.* ibid. v. 4 *& â Sanctuario meo incipite.* v. 6. nec domus sacratæ reverentia vastatorum manum hîc prohibet. *Illi tantùm,* inquit Origenes, *hospites reservantur, quos Thau littera, id est crucis pictura signaverat.* Homil. 8. in Ezechiel. Nec die judicii aliud parebit *nisi signum filii hominis.* Matt 24. v. 30. Liquet autem non recipiendos in gratiam, qui fuerint inimici crucis Christi, *quorum finis interitus.* ad Philipp. 3 19. Neque hic sermo est eorum, qui legem Dei persequuntur, sed qui Christi crucem non sequuntur, ùt expressè notat Sanctus Chrysostomus in hunc locum Sancti Pauli. *Isti vitæ & corporis amantes profectò crucis Christi sunt inimici, & quisquis deliciarum, mundanæque gloriæ amator est, inimicus est crucis.* Prosperitates mundi sectari idem est, ac crucem fugere. Idcircò Apostolus ad Hebræos hortatur: *Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem.* cap 10. v 36. Sine mediis ad finem necessariis nunquam obtineri potest finis ipse. Proin sine tolerantia, vel patientia crucis haberi nequit gloria æternæ promissionis.

Neque in regnum cœlorum intrare quis poteſt, niſi *per multas tribulationes.* Act 14 v.21. Qui ergò iſtas refugiunt, nunquam illud ingredientur; ex quo os aureum ita infert: *non potes dicere, quia juſtus eſt aliquis, qui expers tribulationis exiſtat.* Imò nec Chriſtianus is dici meretur teſte Auguſtino, qui L. de pœnit. inquit: *Si exceptus es â paſſione flagellorum, exceptus es â numero fidelium.* Idque magis inculcat in Pſalmum 55. Chriſtus ipſe, qui aſſeclis ſuis ferendæ crucis legem tulit, eidem ſe ſponte ſubjecit, dicens: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam.* Luc. 24. v. 26. Non compulſus neceſſitate hujus gloriæ obtinendæ ſibi, nam ipſi jam antea debebatur, atque idcircò dixit *ſuam*, ſed ut nobis obtineret, ſuóque exemplo hortaretur ad ſequelam. Hinc in laboribus â juventute ſua, & doloribus â præſepio ad tumulum voluit illos ſibi aſſimilari, *quos* (Deus) *prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* Rom. 8. v.29. ne ſcilicet gloriari quisquam poſſet, ſequi ſe Chriſtum, licèt laborem ac dolorem fugiat. Jam verò quomodò vera bona hujus mundi bona dicentur, quæ quo majora fuerint, eò certiùs ſumma mala poſt ſe trahunt.

163. Omnino ſtultè locutus eſt dives ille, quando dixit: *Congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea.* Luc. 12.v. 18. Quomodò vocas *bona tua*, ſi nihil proſunt, niſi ut curam ingerant, quid tecum ipſo agas? *quid faciam?* quare *bona* dicis, quibus ut fruâre, neceſſe eſt, privari illo, quo actu frueris, & omni bono æternùm careas. *Deſtruam horrea mea, & majora faciam.* ibid. Sic mulier illa drachma ſuum quærit vel ipſa deſtructione domûs, ne ſcilicet luctûs materia deeſſet, vel numi perditi, vel deſtructæ ædis. Multi enim locô *everrit*, legunt, *evertit domum*, & quærit diligenter. Luc. 15. v. 9. ad quid proſunt *bona*, quæ in granariis recondita ſolùm futuræ ſeu chimericæ fami deſerviunt? *& illic congregabo omnia.* Denique qua fronte audes vocare *bona tua*, cùm legitimo tempore illa necdum præſcripſeris? neque illorum adhuc factus ſis Dominus? *ſtulte hac nocte repetent animam tuam, quæ parâſti, cujus erunt?* Luc.12.v.20. certè tua nunquam fuerunt. Quàm citò filio prodigo evanuêre divitiæ in hæreditatem ſibi traditæ: *& poſtquam omnia conſumâſſet*, quàm miſerè ſubin *cæpit egere.* Luc. 15. v. 14. Ecce hic quomodò ab illo, qui anxiè nimis bona ſua cuſtodit, hæc ipſa bona *hac nocte repetent*, is verò qui illa prodigè diſſipat, omnia illicò perdat: *Poſtquam omnia conſummâſſet*, ut ſcias ad nihil prodeſſe divitias, quæ & ſollicitè cuſtoditæ, & negligentiùs habitæ tam citò, ac facilè dilabuntur. Quomodò bona iſthæc vocabis, quæ tineis corradantur ùt ipſum aurum: videtur repugnare experientia, ſed hac potior Jeſu doctrina. Suadet is ut theſaurizemus nobis in cælis, *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit,*

rumpit. Luc. 12. v. 33. en ad thesauros istos non accedit clepax manus, tinea verò licèt accedat, non tamen valet destruere. Non negat proin Christus, quòd aurum careat tineis, sed tantùm dicit, quòd illi non noceant. Geminos hostes patiuntur in terris divitiæ, externum unum, internum alterum, si eas â latrone defenderis, non tamen â tineis præservabis, ne corrumpantur. Hæc sola est cœlestis thesauri prærogativa, nocumentis omnibus hostilibus esse eximium.

164. Quando bona dici queant, quæ amaritudinem mortis secum trahunt. Hinc Orientis Reguli offerre noluerunt aurum sine myrrha; hac enim in sepulturam instrui debet, qui est instructus auro ad sui cordis lætitiam. Christus Dominus, ùt multi censent, non acceptavit aurum oblatum, sed voluit id tamen sibi â Magis offerri, ut se mortalem ostenderet. En aurum vel nequit, vel non scit inservire humanæ conditioni, nisi una misceat amaritiem mortis. Accidere quidem poterit, ut ab auro transeas ad adorationem aliorum, id tamen accidere non potest, ut unum, & alterum ipsa mors non consequatur. Jungentur aurum, & incensum sed utrique jungetur myrrha. Non abs re fit, quod illi, cui offertur aurum etiam incensum detur; rarum enim aurum in hoc orbe, cui thus non adoleatur, nisi id fortè, quod generosè abjicitur. Id tamen certum auro ubique jungi myrrham, utpote quòd ei nunquam desint amaritudines, & ipsæ mortes. Supra pulverem mortalitatis in fictilem materiem versum consistit aureum caput statuæ Babylonicæ: *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis.* Dan. 2. v. 33. & ob hoc ipsum tam lutum, quàm aurum rursus in pulverem abit ipso vento disflandum. An bona dixeris ea, quæ Christus spinas vocat: *Aliud cecidit in spinas,* Marc. 4. v. 7. qui plures divitias habet, eò plures habet spinas, angustiæ animi crescunt, quò magis opes excrescunt: *& fallacia divitiarum suffocat verbum.* Matth. 13. v. 22. Quid sibi ab hoc divitiarum Spineto promittat cor humanum, nisi ut perpetim lancinetur, ac denique confodiatur, dum se crediderat victurum inter nectar felicitatis, ac deliciarum? dicebat David: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Psalm. 118. v. 37. Christus dicit: *cavete ab omni avaritia.* Luc. 12. v. 15. Penitiùs inspicite naturam avaritiæ, & plura inibi invenietis motiva odii, quàm incentiva amoris. Pulchrum oculo videtur aurum, sed id ipsum apparet lux reflexa ex sterquilinio. Videtur instar florum, & nihil est præter spinas. Quò pretiosius, eò etiam evadit gravius, nec auream monetam saltem in Hispania possidebis, nisi unà crucem possideas. Cape tibi istam ad salutem, & cave ab illa, ne incurras perditionem.

Idea XXXIII.

Plura ſemper cupit habendi cupiditas!

165. ITa compertum ſibi eſſe diuturna experientiâ in hominibus facta oſtendit dæmon, quando tentaturus Filium Dei, quem ipſe credebat nihil differre â filiis hominum; non duxit parvi, nec etiam magni momenti bona, ſed prorſus omnia ipſi eſſe offerenda, ut ſua in retia hunc quoque hominem traheret: *omnia tibi dabo* Matth. 4. v. 9. Probè gnarus, cupiditatem humani cordis non ſatiari, ſi minùs habeat, ac omnia; imò fors neque cum omnibus ſatiabitur. Homo ille purpurâ indutus, de quo Servator Luc. 17. *Homo quidam erat dives*, v. 19. Non dicit *fuit*, ſed *erat*, ut ſcias nunquam ad perfectum reduci habendi cupidinem, & cordi hominis jugiter ſupereſſe, quod appetat. *Avarus ſemper eget, & nunquam dicit ſatis*, commune habet axioma, quod Iſaias confirmat, cùm enim is dixiſſet: *& repleta eſt terra argento, & auro.* cap. 2. v. 7. Non tamen dixit completum eſſe habendi deſiderium, ſed potiùs: *& non eſt finis theſaurorum* ejus. ibid. Quia nunquam ſaturatur appetitus hominis auri ſacra fame laborantis. David verò clamat ad Dominum: *erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem.* Pſalm. 143. v. 12. De divitibus, & mundana gloriâ turgentibus ibi loquitur, Regius Vates, *alieni* hi dicuntur, quia non ſunt filii Dei. Iſtorum præcordia aurô gravia nihil ructant, niſi vanitatem, & verbis malis pejora reſpondent opera: *dextera eorum dextera iniquitatis.* Ut mali corvi malum eſt ovum, ita parentibus ſuis nihilo melior proles. *Quorum filii ſicut novellæ plantationes*, ſeu pampini luxuriantes, & arbores foliis non fructibus conſpicuæ: *filiæ eorum compoſitæ circumornatæ, ùt ſimilitudo templi.* Ita calamiſtratæ, ac pigmentorum plenæ, quaſi eſſent terreſtres Deæ. Nil mali unquam illorum humeris incumbit: arcæ pecuniis turgent, pinguedine pecora, ubertate agri, *non eſt ruina maceriæ:* ubique omnia ad vota fluunt, & tamen homines iſti felicitate in his terris invidendâ, nec dum ſibi ipſis videntur felices, *nam beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* v. 18. Non beatos ſe ipſos, qui tamen iis ipſis gaudebant. Hæc nempe miſeria terrenorum bonorum, quòd nunquam exſaturent cor poſſidentis, ſemper ulteriùs tendit cupiditas, licèt id ipſum teneat, quod aliis invidet, & ipſa ſibi cupit.

166. Nullus miratur ſe ipſum felicem in eo, quod poſſidet, licèt iſtud ipſum deſiderârit, ut felix evaderet: nunquam non aliquid eorum ſibi deeſſe dolet, quæ fors aliis adeſſe videt. En

clarè

clarè res liquet in divite altero. Hic tot bonis repletus, quot non capiebat paterna domus, ac ſi ea ignoraret, ſibi ipſi ea depingit, ut memoriam refricet, & meditatione ſimilium omnium oblectet, *anima mea*, inquit, *habes multa bona.* Luc. 12. v. 19. In cortice nempe hærent hujus mundi bona, tam ſunt craſſæ Minervæ, ut neque quæ coram videmus, & palpamus manibus, animi interiora penetrare valeant. Incarnatæ ſapientiæ alma parens: *Eſurientes* (inquit) *implevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Luc. 1. v. 53. Ita eſt pauperes implentur bonis, licèt parùm habeant, quia modico contenti ſunt, & modicum iſtud eorum ſiſtit deſideria. Econtra divites licèt nihil eorum decedat, quæ habent, nihil tamen habent, quia nihil eſt, quod cupiditatem divitis ſatiet, *dimiſit inanes.* Divites hos Iſaias eſurientibus comparat, & ſitientibus: ſomniant hi non rarò comedere ſe, ac bibere, verùm ubi evigilant, & triſti ſomno ſe gravatos, & cibo nullo, aut potu refectos ſentiunt: *& poſtquam evigilaverit laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt: ſic erunt divitiæ omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.* cap. 29. v. 8. Nempe divitiæ hæ nihil ſunt aliud poſſeſſori ſuo, quàm ſitibundo dormienti ab illudente Morpheo propinatus hauſtus, qui ſitim non ſedat, ſed accendit ardentiùs. Flammæ ſunt, quæ eò magis augentur, quò plura depaſcuntur, ùt ignis nunquam ſatiatur, nunquam ſopitur, donec aliquid reſtet vorandum, ita cor cupientis divitias, & mundi bona non deſinit ulteriùs concupiſcere, donec viderit nihil porrò adeſſe, quod concupiſcat, & cum ejusmodi homines ſolùm ideò videntur vivere, ut appetant, ceſſabunt vivere, ubi nihil ampliùs conſpiciant appetendum.

Idea XXXIV.

Etiam dives ſalvabitur, ſi in Deum, & pauperes fuerit dives.

167. NE conclamatam credas divitum ſalutem. Ipſi quoque ſalvari poſſunt, ſi de mammona iniquitatis amicos ſibi facere velint Deum, & pauperes. Ut divitis Evangelici deplorabilem caſum retulerat Servator, animâ illius abſtractâ ad inferos ea ipſa nocte, qua unicè modos excogitabat augendarum opum, hiſce verbis concludit: *ſic qui theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Luc. 12. v. 21. qui theſauros cumulat pro mundo, pro vanitate, pro gloria inani, pro faſtu, honore, deliciis, aut vitiis ſuis, vel

vel ut habeat numorum cumulos in arcis, & scriniis suis, malè accumulat, & dives erit in orcum, non in Deum, futurus olim infelix cum Evangelico divite. Qui nec unius pauperis famem explet, &, cùm mundo det centum, vix unum largitur bonorum omnium largitori Deo, quomodò in istum sit dives? qui verò liberalem saltem egenis se probet, etiam in Deum erit. Non manûs tegumentum dat, aut recipit, sed ipsa manus Chirothecam induta. Christus sibi datum putat, quod egeno impendis. En ipsum Deum habes debitorem, si in te pauper habuerit hilarem datorem! Egeno quidem erogas denarium, sed si in ænigmatico fidei speculo eleemosynam tuam mirere, videbis te erogâsse Christo: sis ergò dives, quantumvis velis, in Deum dives esse velis. Thesaurizandi malum non consistit in thesauris, sed in his malè impensis. Si Deo impendas, vel in se, vel in suis, quàm optime impendisti. Ditissimus fuit Patriarcha Abraham, quia divitias, quas habuit, Dei cultui, & obsequio ex asse sacravit, meritus idcircò thesauris munerari cælestibus, quos nec tinea corrumpit, nec ærugo demolitur. Ditissimus Joseph Ægypti Prorex, & tamen sanctissimus, & innocentiâ omnibus reliquis antiqui testamenti patribus anteferendus. Non aurum homines depravat, sed pravus auri affectus: *divitiæ si affluunt, nolite cor apponere.* Ps. 61. v. 11. Neque etiam auri desiderium obest, nisi ubi fuerit nimium.

Discipuli, qui triennio integro adhæserant lateri Christi, quem â mortuis suscitatum suis viderant oculis; dum carent bonis etiam usque ad minimum piscículum, Magistrum suum etiam coràm adstantem non agnoscunt: *non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est.* Joan. 21. v. 3. Sed subin jacto ad vocem Domini suo reti, dum piscatu abundant, illicò Christum noscunt, & adorant. Cur ipsum discernunt facti divites, quem non agnoverant pauperes? En rationem! quia antea pauperes discipuli nimiùm quantùm laborarent, ut piscatione fierent divites, ac vel maximè id cupiebant; hac cupidine tenebantur oculi eorum, ne viderent Jesum: at verò ubi piscibus sunt potiti, nihil ultrà desiderârunt, vel saltem non immoderatè desiderârunt, idcircò velo hoc cupiditatis liberi ocyùs Dominum sibi jam notum agnovêre. Id quoque hîc notatu dignum. Homines ex officio piscatui inhiantes: *erant enim piscatores.* Math. 4. v. 21. Excæcat nimia habendi cupido, ne Dominum suum agnoscant, quid fiet illis, qui semper piscantur, & retia jaciunt, seu manibus, & pedibus nituntur aggregare divitias sibi indebitas, quippe quas non appetunt, nisi ad vanum fastum, & ostentosam jactantiam? Id indubium minùs obesse divitias, quàm cupidinem earum. Deus non aurum, sed cor suum librat, an sit aptum regno suo? an scilicet bona, vel mala appetat? imò an bene, vel malè? ut pannosus purpuram, ita purpuratus viles pannos licitè concupiscet, 168.

piſcet, ſi benè cupiat, neuter, ſi malè. Eſther contemnebat mundum muliebrem, & plurimi faciebat ſoccos cilicinos: *Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ.* cap. 14. v. 16. In aliis ſub cinere, & cilicio gliſcet ardor incenſus diadematum, ac vetitarum voluptatum. Jacobo minùs nocuit abundantia, quàm paupertas ſua. Hujus preſſus anguſtiis Idololatricas Labani ædes diu incoluit, ac affinitatem etiam cum impio homine contraxit: afflu entia verò bonorum Patriarcham iterum reduxit ad lares patrios, atque ſubin in promiſſam tellurem inductum â fratre Eſau ſeparavit, ne pravis hujus exemplis innocua Jacobi vita contaminaretur: *Divites enim erant valde, & ſimul habitare non poterant, nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum.* Gen. 36. v. 7. Perditio ſtatuæ Babylonicæ ex pedibus fictilibus orta eſt, lapis enim abſciſſus *è monte percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus.* Dan. 2. v. 34. Ecce mali originem non ab argento, neque ab auro, ſed ex luto emergentem. Haud ſtat ſecurus pauper, ſi in divitem invidiâ rumpitur, nec lapſum timeat dives, ſi noverit eſſe in pauperem dives.

169. Cœli latiores portæ divitibus patent, hâc datur ingreſſus etiam illis, qui dilatatis philacteriis januam communem, utpote nimis anguſtam, ingredi nequeunt: ùt ùt ſarcinis divitiarum onuſti veniant, intrare poterunt, modò illas in manus pauperum ad portas eas excubantium antè depoſuerint. De eadem domo cœleſti locuti ſunt Chriſtus, & Prophetæ ejus. Ipſe dixit unam eſſe ejus palatii januam, illámque modicam. *Intrate per anguſtam portam.* Matth. 7. v. 13. item: *contendite intrare per anguſtam portam.* Luc. 13. v. 24. Tobias teſtatur eſſe plures, eásque omni ornatu excultas: *Portæ Jeruſalem ex Saphiro, & Smaragdo ædificabuntur* cap. 13. v. 21. David verò addit, non ſolùm plures, ſed & magnas eſſe cœli portas: *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales.* Pſalm. 23. v. 7. quomodo una, ſi multæ? qua ratione parva, ſi magnæ? O Dei immenſam miſericordiam, quæ alio pede metitur pauperes, ac divites! januam humilem erexit in magnifica ſua æde, quam crucis Chriſti aſſeclæ ſubirent, januas vaſtas illis qui divitiis farti Chriſtum quærunt in pauperibus ſuis. Unam ſervire voluit euntibus ſecum ad Calvariam, alteras ſe indagantibus ad Piſcinam. Ipſe Dominus faſſus eſt: *arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. v. 14. dixit David: *notas mihi feciſti vias vitæ.* Pſalm. 15. v. 16. & quòd idcircò ingreſſurus ſit in gaudium Domini: *ad implebis me lætitiâ cum vultu tuo.* ibid. En unam, & plures ad cœlum vias! has benignitas Dei ſtruxit electis ſuis, ne eidem omnes inſiſtere cogerentur, ſed per unam, eámque arctam rebus omnibus deſtituti pauperes, per alteram ſpatioſam, licèt ſuis inſtructi divitiis, ipſi divites. Voluit ex latere ſuo tam

undam quàm cruorem fluere: *exivit sanguis, & aqua.* Joan. 19. v. 34. quò intelligeremus, utroque hoc fluidi genere emi posse cœlum. Inveniri Jesus potest tam in cruce, quàm in paupere, non solùm in templo, sed & in Xenodochio. Imò in extremi judicii die nulla fiet eorum mentio, qui in Ecclesiis, & crucis ligno Christum, sed plurima illorum, qui in pauperibus ipsum solicitè quæsierint: *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere.* Matth. 25. v. 35. & sequentibus, atque inde concludit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* v. 40. Beatum illum, qui eo tempore, & loco pauperum Christi merebitur patrocinium!

170. Hi enim ipsi cœlestis illius patriæ Domini ore supremi Judicis jam dudum proclamati: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Luc. 6. v. 20. Isti sedem olim parabunt divitibus, qui largitionibus suis benè mereri studuerint in hac vita de pauperibus, illud vel præceptum, vel consilium secuti: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16. v. 9. in quem locum egregiè Theophilactus: *Æterna tabernacula pauperibus in Christo constituta sunt, in quæ possint eos recipere, qui hîc ipsis amici larguntur bonis.* Pauperes hi cum Christo judices quondam erunt: *Sedebitis, & vos.* Matth. 19. v. 28. qui mei amore reliquistis omnia, in quem textum ita Beda: *Præter ordinem judicantium cum Domino agnosce ordinem judicandorum â Domino, qui non quidem omnia sua pariter reliquerunt, sed de his tamen, quæ habebant, quotidianas eleemosynas Christi pauperibus curabant.* in Natal. Sancti Benedicti. Nempe sic â supremo est Judice constitutum, ut Electi omnes vel sint pauperes, vel si divites fuerint, amore pauperum & ipsi digni fiant electorum sorte. Ut enim loquitur Chrysostomus: *Ipsamet eleemosyna Christi adstabat tribunali non tantùm patrocinans, sed ipsi etiam Judici persuadens Deus,* (sive ut alii vertunt) *advocati optimi locô fungens.* homil. 33. ad populum. Nec rationes patrocinantium pauperum ab æterno Judice infringi ullatenus poterunt, cùm advocati hi syngraphum habeant ipsius manu Judicis in Evangelio signatam, quâ protestatur sibi factum, quod uni ex minimis suis fuerit præstitum: *mihi fecistis.* Aliis quidem etiam piis operibus favorem Divini Judicis comparari posse, certum est, id tamen etiam verissimum, nullum quantumvis arduæ virtutis actum tantum in nobis fiduciæ, parere ac Eleemosynam ipsi Christo in pauperibus suis traditam; hanc enim â se receptam claris verbis testatur, de quo certi non sumus in aliis pietatis exercitiis, an scilicet ea velut sibi impensa acceptet Deus. Hinc ante citatus Chrysostomus: *Eleemosyna persuadet Judici, ut patrocinium præstet, ferátque pro eo sententiam.* Et Augustinus: *Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem ex misericordibus in carcerem*

cerem mitti permittit. homil. 39. in terr. 50. quod ipſum ſerm. 42. n. 10. innuit os aureum: *Miſericordiam* (inquiens) *neſcit divinus ignis exurere.* Angelus Raphaël utrique Tobiæ fidem certam facit: *Eleemoſyna â morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* Tob. 12. v. 9. Et verò quomodò â Judice quis damnari poterit ob culpam, quem ipſe dixit â ſe laudandum propter miſericordiam.

171. Ratio horum petenda ex infinitate Divinæ miſericordiæ, quæ miſeriis noſtris compaſſa viam ſalutis complanare voluit, ne quis ſuæ legis arduitatem nimiam prætexeret, ſi felicitate æterna excidat. Ideò duos nobis baptiſmos dedit, aquæ unum, Eleemoſynæ alterum teſte magno Auguſtino homil. cit. ita loquente: *Dedit nobis Deus ſecundum Baptiſmum; nam ſicut aqua extinquit ignem, ita Eleemoſyna extinquit peccatum.* Eccleſ. 3. v. 33. Ita etiam Sanctus Cyprianus de opere, & eleemoſ. *Hîc oſtenditur & probatur, quòd ſicut lavacro aquæ ſalutaris Baptiſmi gehennæ ignis extinquitur, ita eleemoſynis, & juſtis operibus delictorum flamma ſopitur.* Ecce hîc ſecundum Baptiſmum vel ipſo primo validiorem. Si oris flatu candelæ flammam difflas, ignem quidem extinquis non fumum ex ellychnio aſſurgentem: evaneſcit flamma, manet adhuc ardor haud difficulter iteratò concepturus ignem. Ita peccati ignem perimit Baptiſmus primus, qui peccatum tollit, non fomitem peccati, facilè exarſurum in novas culpas; alter Baptiſmus ſcilicet Eleemoſyna ita extinquit peccatum, ùt aqua ignem, nec ſolum Vulcanum perimit Neptunus, ſed etiam fumum velut fomitem tollit, ne ille iterum aſſurgat. Infra aquas nemo incendium timet, Baptiſmus Eleemoſynæ eo rore miſericordes aſpergit, quo olim refecti ſunt pueri Babylonici, ne in ardenti fornace perirent. Ideò Sanctus Ambroſius: *ſicut ignem reſtinguit aqua, ſic Eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Nec etiam altera ejusdem Sancti Doctoris omittenda annotatio, quam ſubjungit: *Igitur eleemoſyna quodammodo animarum aliud eſt lavacrum, niſi quod ſalva fide dixerim, indulgentior eſt eleemoſyna, quàm lavacrum.* Tom. 2. Serm. 2. Sed quomodò indulgentior? *an quia ipſa eſt, quæ purgat peccata.* Tob. 12. 11. An quia, ùt hîc vertit Lyranus: *ipſa ſatisfactoria eſt pro peccatis?* an quia eleemoſynis mundantur omnia, quidcunque contraxerint ſordium, juxta illud: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Luc. 11. v. 5. Sed iſthæc, & alia hujusmodi etiam efficit lavacri Baptiſmus, ut quid ergò indulgentior Baptiſmus alter eleemoſynæ? en rationem ap ipſo Ambroſio allatam! *lavacrum enim ſemel datur, eleemoſyna autem quoties feceris, totics veniam promereris.* Hæc ſcilicet eſt jubilæum ampliſſimum, cujus lucra ſemper ſunt ad manus, *toties quoties* volueris. Baptiſmus eſt indulgentia plenaria *ſemel in vita*, eleemoſyna eſt indulgentia per totam vitam imò *pro articulo mortis.* Hinc Pater cœleſtis â Divo Paulo non dicitur *miſericordiæ*

ſed *miſericordiarum Pater*. 2. Cor. 1. 3. Unam nobiſcum fecit in Baptiſmo Chriſti, per crucem, alteram, quam feliciorem reddidit, in baptiſmo altero Chriſti per pauperem: unam in monte Calvariæ alteram in piſcina: unam per viam regiam ſanctæ crucis, alteram per viam ad Xenodochium, vel domum pauperum, Divites, Nobiles, Magnates, quorum delicatior indoles non patitur generosè calcare ſpinas paupertatis, opprobrii, ac crucis Calvarii, en hic iter planum ac floribus conſtratum, quo viam ſalutis inoffenſo pede ingrediamini!

172. Si mihi pingenda domus pauperum hoſpitalis, ita pingerem, ut capaciſſimam in limine portam appingerem, quam ſejugi quoque currus liberè ſubirent, ſuperliminari verò inſcriberem: *non eſt hîc aliud, niſi Domus Dei, & porta cœli.* Gen. 28. v. 17. Nec etiam obliviſcerer ſcalæ veſtibuli, quam usque ad cæli tecta ſublatam exhiberem, & ipſius Dei incumbentem pectori, qui miſericordiæ ſuæ brachia extenderet ad recipiendos in ſinum excelſæ gloriæ omnes eos, qui fecerunt miſericordiam. Ecce delicatuli tam amplus vobis patet ingreſſus! en latiſſimam portam, quæ nullo molimine recipiat currus, & equos dromedarios, imò & camelos! ſcio equidem dixiſſe Chriſtum: *facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Matth. 19 v. 24. Sed nihil arduum eleemoſynæ, nihil aſperum veræ miſericordiæ, ubique faciles aditus invenit, ipſa Patris miſericordiarum viſcera penetrat. Notat hic Theophilactus in textu allato non indicari camelum gibboſum animal, ſed funem craſſiorem nauticum ſeu rudentem. At verò etiam hic transmittetur obſtetricante eleemoſyna per foramen acûs quantumvis exile. Reſolvatur iu partes funis, ac in fila tenuiſſima reſolutus transibit anguſtias perforatæ aciculæ. Pinguis tua hæreditas dives rudens eſt ille, qui cor tuum ſcopulo perditionis alligat, ac animæ tuæ vim facit, ut in profundum averni eam detrahat: vix tranſeat camelus iſte divitiarum tuarum per arctam ſalutis viam in acûs foramine â Chriſto expreſſam? divitiis tuis fartus Xenodochium ingredere, ac ibi Chriſtum in pauperibus ſuis intuere, deglomera funem iſtum naufragia tibi minitantem, reſolve filamina ejus, ac liberali manu diſpenſa opes tuas fame, ſiti, morbis, miſeriis, ac pedore confectis hiſce minimis Chriſti, & ſine obſtaculo per anguſtias mortis ipſe ingredieris ad vitæ perennis gaudia: ſed ne obvium textûs ſenſum videamur diſſimulâſſe, etiam dromedarios, & camelos quantumvis onuſtos adduxeris, dico ope eleemoſynæ tranſituros per hoc foramen acûs.

173. Prophetia Iſaiæ adventu Filii Dei in mundum ex aſſe completa hæc erat: *Inundatio Camelorum operiet te: Dromedarii Madian, & Epha: omnes de Sabba venient aurum, & thus deferentes.* cap. 60. v. 6. Sed quomodo Sabbæi Reges cum camelis ſuis, & dromedariis, tótque onuſti divitiis tugurioli ſeu præſepis, in quo jacebat Divinus Puſio auguſtam januam ingredi

gredi valuêre? non aliter certe, quàm thus devotionis, & aurum eleemoſynæ offerendo pauperi Jeſu: *Obtulerunt ei munera.* Matth. 2. v. 11. En quomodo camelos per acûs anguſtias trajicias! extende manus ad pauperem, ùt mulier illa fortis Prov. 31. v. 19. & licèt quàm latiſſimè fimbrias dilates, ut mundo ſuo muliebri hodie fœmineus ſexus: *byſſus, & purpura indumentum ejus.* v. 22. quæ in divite condemnationis fuit nota, quia *induebatur purpurâ, & byſſo.* Luc. 16. v. 19. in te erit ſalutis vehiculum, modò eleemoſynâ comite incedas. Id obſervavit divus Ambroſius in Davidicum illud: *Hi in curribus, & hi in equis.* Pſalm. 19. v. 8. *& legis in illam Jeruſalem & equites multos, & plurimos cum quadrigis introire.* Neque id mirum, cum Hipponenſis Serm. 50. de tempore pauperes vocet *lecticarios noſtros*, ſeu aurigas divitum in ſe liberalium currus etiam per viam, & portam anguſtam poſt ſe in cœleſtia regna trahentes. Imò cœlum ipſum in terras deſcendet, ut eleemoſynarii plano pede ſine aſcenſu omnibus ſuis induti phaleris illud conſcendant. *Vidi*, inquit Sanctus Joannes, *civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo.* Apocal. 21. v. 2. quid agit in terris cœlum? id agit, ut homines miſericordiarum ſinu ſuo recipiat; & niſi in hunc finem veniat, oſtendeſis alium. Tempus quod attinet Prophetiæ hujus complendæ teſte Maldonato erit dies Judicii, quando divitibus in pauperes liberalibus dicet ſupremus Judex: *Venite benedicti Patris mei ... eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* Matth. 25 v. 34. en hîc fructum divitiarum veſtrarum in pauperum manus velut optimam tellurem ſparſarum, cœlum habebitis vobis obvium, & quidem velut ſponſam ornatum, quod ad pedes veſtros ſe demittat, idque commodiùs ingredi poſſitis.

Neque etiam timendum, ne divitiæ 174.
veſtræ, ùt oleum in lampadibus fatuarum virginum, largitionibus pauperum unquam deficiant. In vos, & loculus veſtros Proverbiorum monitum illud cadit: *Deriventur fontes tui foras: & in plateis aquas tuas divide, habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui.* cap. 5. v. 16. Mirabile ſanè monitum, & primo intuitu ſecum ipſo pugnans, ac penitùs paradoxum. Si bona tua dividas, quomodò illa porrò habebis? ſi foras derives, quomodò nihil ad alios dilabetur? ſi alieni tecum in tuis bonis communicent, qua ratione eorum non ſint participes? reſpondet Janſenius *da elecmoſynam*, & ex aſſe impletum videbis *adynaton iſtud.* Aquæ inſtar ſunt divitiæ, quæ ſi diu in eodem receptaculo ſtagnet, putreſcit, ac corrumpitur, ad nihilúmque poſtea valet, niſi ut mittatur foras, & conculcetur. At verò ſi derivetur in campos, ſi in hortos influat, & terram bonam, fœcundam eam reddit, ac frugem uberrimam refert. Theſauri iſti defoſſi, quos nec Sol calefacit, nec humectat Luna, putreſcunt denique, ac tineæ

morsibus corrumpuntur penitùs. Ubi verò illos in miserorum manus effuderis, ubi inter pauperculos distribuas, non solùm non minuentur, sed crescent, & immensùm augebuntur. Quid refert, si *fontes tui* seu misericordiæ continuò rivulos undique spargant, si ipsa scaturigo in te nunquam deficiat! En Magdalenam Christi affusam pedibus ac unguenti sui munera pretiosa liberaliter affundentem! murmurant quidem Discipuli perditionem hanc causati, sed illam defendit cœlestis Magister, *sinite illam*, & hujus rationem dat, *ut in die sepulturæ meæ servet illud.* Joan. 12. v. 7. Domine, reponere poterant de hac profusione soliciti Discipuli, si mulier hæc unguentum jam profudit, quomodò illud subin deserviet unctioni in sepulturam? digna enim verò his scholæ Christi alumnis argutatio, quin imò discere, toties ore Magistri instructi, debuerant, certò certiùs habituram mulierem, quod Christi pedibus affunderet. *En unguento ungebat, & capillis capitis sui tergebat.* Luc. 7. v 38. Sicque id ipsum quod allinebat speciosis pedibus annunciantis pacem, & bona, cum fœnore recipiebant capilli, utpote pretiosiùs attactu Dei hominis consecratum. Unguentum hoc, vase retentum, nihil valuisset; pretio augetur, ubi in pedes Servatoris effusum ad Magdalenæ caput redit.

175. Idcircò Christus dixit: *Vendite quæ possidetis, & date eleemonsyam.* Luc. 12. v. 33. Et illicò addidit: *facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Sed ad quem finem sacculi, si pecuniæ ê possessionibus collectæ in pauperes jam sunt erogatæ? respondet sanctus Chrysostomus, quia *Pater iste ditare vult filios, non nudare.* Serm. 25. Et si Dei nomine unum das pauperi, ejus munere centum adjicies tuo fœnori. Modicum aquæ petit â Samaritana lassus ex itinere Dominus: *Da mihi bibere.* Joan. 4. v. 7. Et fontem aquæ salientis in vitam æternam spondet hanc eleemosynam daturæ mulieri. v. 13. En pro gutta fontem recipis. Qui miratur divitem fluvium ab ortu suo pratis, & hortis liberalissimè suas undas communicantem, ac in plures quandoque rivos regionum beneficio sese diffundentem, credet, eum denique aquis pauperem Oceano infundendum; nihil tamen minùs accidit quia nullibi ditior existit, quàm ubi mare ingressurus jam terris plurimis sua beneficia dispertiit. Sic etiam fons luminis Phœbus nunquam lucidior nobis apparet, quàm ubi medium cœlum attingit, seu quando hemispherio nostro lucis plurimum largitur. *Beati*, inquit Isaias, *qui seminatis super omnes aquas.* cap. 31. v. 20. Quis iste seminandi modus? quid super aquas cum fructu seminari queat? ita est, ait Galatinus: *beati qui seminatis super aquas, id est, qui eleemosynam facitis super tertam aquosam, ubi messis redditur uberrima.* Nec hujus rei dubium nos habere voluit Servator dicens: *ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* v. 36. Nempe qui ita in misericordiis seminat, id est, præstat, ac si colligeret:

geret: nam *fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Prov. 19. v. 17. Hinc Chryſoſtomus lucrum lucrorum nuncupavit eleemoſynam, ſeu *artem omnium quæſtuoſiſſimam.* hom. 33. ad popul. Antioch. *Centum quæris? ego centuplum tribuo. Hanc itaque, quam in pauperem facis eleemoſynam in fœnus â me accipis.* hom. de pœnit. & 33. cit. *ſi Deo fœneretur, is ergò nobis debitor erit.*

176. Sed eſto, quod bonorum tuorum dominium in alios transferas, quando bona hæc in pauperes erogas, ſcito tamen nunquam magis eſſe tua, quàm dum hoc modo facis aliena. Nullus licitè dat alteri, quod non eſt ſuum: ergò dum dat, vel maximè rei datæ eſt dominus. Nunquam in nos liberalior Chriſtus, quàm dum in cruce omnia ſua nobis dedit, & tamen antea dixerat: *Si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum.* Joan. 12. v. 32. en dum omnia dat, omnia recipit. Apud Pſaltem Regium dicit Pater æternus Filio ſuo unigenito: *Ego hodie genui te.* Pſalm. 2. v. 7. ſeu naturam Divinam hodie tibi communicavi. An non jam ab æterno hanc naturam verbum recepit? ſine dubio, quare ergò dicit *hodie*, quia Pater hic cœleſtis quolibet inſtanti iſtam eſſentiam ſuo Filio largitur, ergò jugiter illam ipſe habet, quam momento quolibet alteri communem facit. Ecce hîc calculo Theologorum veram Filii Divini proprietatem! dat is, quod recipit: naturam Divinam â Patre accipit Filius, & cum ipſo Patre illam dat Spiritui Sancto; ſed iſte nulli alii dat perſonæ, cùm nulla alia perſona â tribus diſtincta illam eſſentiam divinam habere poſſit, & ideò quia hanc naturam nulli dat Spiritus hic Divinus, ideò ipſe neque dicitur, neque dici poteſt Filius in Sanctiſſima hac Triade. Verbum autem dicitur Filius, quia quantùm â ſuo Patre accipit naturam ſcilicet Divinam, id totum Perſonæ tertiæ communicat, ſed idcircò quoque Filius totum habet, quia totum dat alteri. *Date ergò, & dabitur vobis*, date quantum â Deo accepiſtis, & eritis filii Dei. Nec dicat ullus ſe nihil habere, quod det aliis, nulli enim deerit, quod pauperi tribuat, ſi ſibi ipſi, gulæ ſuæ, vanitati, faſtui, immodicis deliciis non totum tribuat. *Frange eſurienti panem tuum:* dicit Iſaias cap. 58. v. 7. ſi totum dare nequit, det fruſtum, hinc gloſſa: *Frangat panem, qui dare totum non poteſt.* An vilioris emes perennem gloriam? hinc Auguſtinus: *Tanti valet regnum cœlorum.* in Pſalm. 49. addítque, ſi nec fruſtillum panis dare queas, da locum domi tuæ, ſi veſtire pauperem nequeas, porrige illi frigidæ calicem. *Tantum enim meruit vidua duobus minutis, quantum Zachæus dando dimidium patrimonium:* ùt ibidem advertit Sanctus Doctor ſi nec id præſtare valeas, cor ſuppetit, quo amore pauperes Chriſti omnes, & ſingulos proſequâre, animum habes, quo miſeriis eorum compatiâre, os habes, quo afflictos ſoleris, amare iſtos potes ſicut te ipſum, rogare pro illis

illis potes Patrem miſericordiarum, velle illis potes, quod tibi ipſi. vid. Auguſtin. Serm. 7. Ex communibus. Ita eleemoſynam faciebat ſanctus Antonius, nam cùm ipſe pauper non haberet, quod aliis daret, petenti â ſe eleemoſynam nunquam non dabat ſalutationem Angelicam. Hinc Nazianzenus: *non erit*, inquit, *exiguum ei, qui rerum omnium eget, modò pro facultate tribuatur, locô magni muneris affer ſolatium, ſi nihil habes, collacryma.* Oratione de amandis pauperibus. Auguſtinus verò concludit: *nemo dicat non habeo, charitas de ſaculo non erogat* in Pſalm. 103.

177. Id adhuc addendum, prærogativæ hæ, & plures aliæ non inſunt eleemoſynæ, quia impenditur pauperi, ſed quia de bonis ſuis impenditur. Frangere debes *eſurienti panem tuum, non alienum.* Malè cogitant, inquit ſanctus Auguſtinus, qui ſe ipſos juſtificare cogitant, cùm de multis, quæ ab aliis rapiunt, paucula largiuntur pauperibus. Iſti multos faciunt famelicos, dum uni eſurienti panem frangunt; centum exſpoliant, ut unum veſtiant. Non eſt hæc eleemoſyna, ſed rapina, *nec talem quærit Deus, neque vult pietatem ſui de alterius crudelitate fomentari.* Libr. de vita Chriſti cap. 12. Dein eleemoſyna omnis ipſi Chriſto fieri debet, & propter Chriſtum, ita ipſe dixit: *dediſtis mihi manducare.* Matth. 25. v. 35. *Mihi*, non vanitati, & oſtentationi. Si vanæ gloriæ ergô ſtipem erogas, mercedem ab ea, non â Deo petas. Hinc Servator de hypocritis, qui faciunt eleemoſynam, ut honorificentur ab hominibus, ait, *receperunt mercedem ſuam.* Matth. 6. 2. Quî fit, multos reperiri pauperibus largè ſubvenientes, & tamen arrogantiâ, ac vitiis adhuc plenos! ut quid ſuis morbis hi non ſanantur miſericordiis pauperum? reſpondet Chryſoſtomus, ideò non ſanari, quia *ob hoc largiuntur, ut amentur, aut his certis, quos amant, aut quorum erubeſcunt perſonas.* L. 1. de comp. cordis. Auguſtinus verò ſuprà laudato ſermone 33. ait: *tunc eleemoſyna animam â morte liberat*: juxta Tobiæ cap. 12. v. 19. *Si criminoſus mortifera peccata jam deſerat, ne ſubſtantiam ſuam offerat Deo, & animam tribuat inimico.* Etiam Nabuchodonoſor peccata ſua redimere ſtuduit eleemoſynis pauperum, & verò anno integro intentatum jam in ſe fulmen avertit, at verò cùm ſe non emendaret, denique pœnas luit, quia, ùt ait Cornelius â Lapide in Dan. cap. 4. *Amiſit bonum clementiæ malo ſuperbiæ.*

Idea XXXV.

Quem tueri vult, perdit vindicta honorem.

178. QUàm diversa Dei, & hominum judicia! Dicunt isti, sine vindicta non stare honorem. Dicit ille supremus omnium Judex, idque in judicio contradictorio, auditis partibus, & allegato vetusto illo mundi jam senescentis canone: *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Matth. 5. v. 43. dicit inquam, *diligite inimicos vestros*, & sententiam infamiæ intentat omnibus vindictæ cupidis, dum Dei filios pronunciat omnes illos, qui veniam dederint: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* v. 45. Nam si ii, qui injuriam condonant, filii Dei vocantur, qui vindicant, erunt filii dæmonis, cujus opinionem adorant, cujus dictô stant, cujus honoris potiùs, quàm Divini rationem se habere ostentant. En quàm bellè tueantur vindicativi nobilitatem sui sanguinis, ut vel ipsius honestissimi patris Luciferi fiant digna soboles! ita concluſit Hipponensis Antistes in Epistolas Sancti Joannis tract. 5. dicens: *Inter filios Dei, & filios diaboli dilectionem solam discernere.* Qui vel unum ê proximis suis odit, non est Dei, sed diaboli filius; hinc Christus, diligite, inquit, & benefacite etiam inimicis vestris, *ut sitis filii Patris vestri.* An non omnes filii sumus Patris nostri, cumque omnium Pater sit Deus, filii ejus erimus, sive diligamus, sive non? Ita est, sed non omnes filii Patris vestri, *qui in cœlis est*, ut hujus filiationis gloriam indipiscamur, dilectione opus est, caracteristicâ filiorum Dei, si hac notâ careas, filius quidem eris patris tui, sed qui non est in cœlis, unde pridem sicut fulgur decidit in profundum averni Hinc Augustinus: *Advertite*, inquit, *quòd si inimicos non diligimus, filii Dei esse non possumus.* Serm. 61. de temp.

179. Cede mihi vineam tuam, Naborho dicit Rex Achab, & pro illa cape aliam tuâ meliorem, vel pretium ejus. Reponit ille minimè Domine, id fieri nequit vetante lege alienari paternam hæreditatem. Eja absolve, replicat Achabus, tuam vineam cede. Etiam iteratò arieti non cedit Naboth rursus causatus prohibitionem legis. Itáne, inquit Jezabel, vasallus in os Regi suo? dabis, Nabothe, temeritatis pœnas, non effugies iram, & vindictam meam: calamum scriptorium arripit sui impotens mulier, exarat litteras, vel potiùs mortis sententiam. *Litterarum autem hæc erat sententia.* 3.

Reg. 21. 9. Submittantur duo filii Belial, qui Nabotho impingant crimen *læsæ Majestatis*, & ore duorum testium delatus pereat innocens. Executioni traditur tam injusta sententia, scriptura autem de testibus hisce loquens filios vocat diaboli: *& adductis duobus viris filiis diaboli.* ibid. v. 13. & cur ita illos vocat? an quia falsum testimonium perhibuêre innocentiæ? Non videtur, quia testes falsos ipsius Christi Domini Sacræ paginæ novi Testamenti non ita accipiunt. Quare ergo? quia fuerunt iniqui vindictæ ministri, quales esse possunt soli *filii Belial*, *filii diaboli*. En hîc puncto honoris ad insaniam usque addicti homines, quid vindictis vestris lucrabimini? ut imaginarium honorem ac nominis vestri læsi decus tueamini, vero honore ac titulô filiorum Dei malesuadi exciditis, & in mancipatum teterrimi carnificis avernalis hostis unà inciditis! quò olim perpetuæ ignominiæ infelix patrimonium ab hoc patre vestro diabolo adeatis! Sanguinem illum, quem funditis vindictæ cupidi, ad infamiam vestram funditis, eo frontibus vestris inscribitis nunquam porrò delendum stigma, quòd sitis *filii diaboli!* cæca oppidò fuit antiqua gentilium opinio de diis adorandis, vel si facineroſos videbant, cur divinos fecêre? anne credi potest divinitas tenens perfectissimum imperfectionis cumulum? an aris, & focis dignum crimen? quomodò pro Deo haberi meretur ferox, rabida, ac vindicativa Juno? timeri poterat furens hæc bellua tygridis, leænæ instar, at qua ratione avernalis ista, furia coli potuerit, non apparet: hinc Maro: *tantæne animis cœlestibus iræ?*

Christus Dominus non solùm feram belluam, aut truculentam ê styge furiam hominem nuncupat, qui sit vindictæ cupidus de suo adversario capiendæ, sed dæmonem vocat. Domine, inquiunt agricolæ, an non in campo tuo seminâsti semen bonum, unde ergò habet Zizania? quid quæritis? *inimicus homo hoc fecit.* Matth. 13. v. 28. Homo turpissimæ vindictæ appetens, & possessoris campi juratus hostis id fecit, & addit Christus: *inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus.* v. 39. Ante dicebatur: *inimicus homo*, quomodò subin factus est *diabolus*? quia nempe inimicus est ultionis nefariæ appetens, idcircò est *diabolus*, & non homo: modus quoque loquendi notatu vel maximè dignus est; non dicit Jesus, *qui fecit*, *qui seminavit*, fuit diabolus, sed est *diabolus* tam antè, quàm in, utì & post vindictam. *Antè*, quia obfirmatum habuit vindictæ, ubicunque posset, capiendæ animum; in actu vindictæ, quia illam actu capit; denique post eam, quia in ea sibi complacet, & inimici titulum nunquam deponit, dúmque durat inimicus homo, cessare non potest homo diabolicus, *est diabolus.* Clariùs loqui non poterat dilectus Jesu discipulus, quàm Epist. 1. Cap. 3. v. 4. Dicens: *in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli: omnis qui non est justus, non est ex illo, & qui non diligit fratrem suum.* In quem locum Tirinus: *hac* 180.

tessera

teſſera dignoſcuntur filii diaboli, quòd non diligunt proximum. Id quoque in textu illo notari meretur, quòd bis ſanctus Joannes dicat: non eſſe ex Deo homines vindictæ amantes: cùm enim hi fratrum ſuorum oſores, quos diligere deberent vi legis ſaltem â Chriſto præſcriptæ, jam non ſint juſti, quid opus erat addere: *& qui non diligit fratrem?* ideò Evangeliſta hæc ſubjunxit, quia poteſt quis non eſſe juſtus, quin ſit vindictæ cupidus, iniquitates reliquæ licèt juſtitiam adimant, non tamen inferunt, vel non tam clarè, diaboli filiationem, uti vindictæ ſpiritus.

181. Rationem hujus rei reddit divus Chryſoſtomus, quia ſicuti nihil reddit hominem Deo tam ſimilem uti largitio veniæ â Charitate originem trahens; ita nihil magis dæmoni ipſum aſſimilat, ac vindicandi ſtudium è ſtyge natum, addítque ſanctus Doctor, non dixit Chriſtus, ſi jejunatis, ſi humiles, ſi pœnitentes, ſi caſti fueritis: *nihil enim horum eſt circa Deum, nec horum quidquam Deus operatur in ſe.* Hom. 37. ad pop. ſolùm enim dixit: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.* Luc. 6. v. 36. *Hoc Dei opus eſt, hoc niſi habeas, quid habes?* ibid. hæc eſt virtus divina, hanc Deus, qui operatur omnia in omnibus, & in ſe, & in ſuis operatur Deus. Imò videtur Chriſtus voluiſſe, intelligeremus hanc eſſe antonomaſticè perfectionem Dei; nam Patrem ſuum *miſericordem* dicit apud Lucam. cap. 6. v. 36. apud Matthæum nuncupavit *perfectum*: *eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. v. 48. Et in eodem textu liquet, perfectionem hanc in ignoſcendo unicè eſſe poſitam: ſi iſtam habes, filiationem imò perfectionem Patris cœleſtis habes: ſi hac careas, nihil perfectionis habes, imò caracteriſticam habes, & malitiam dæmonis, atque quò magis ei te ſimilem probas, luculentiùs etiam te ejus filium probas. Eſto ſint virgines, atque etiam ſi ita vis, virgines ſint in excellenti, quæ non habent oleum Charitatis, has tamen, quia dilectione carent, pro ſuis non agnoſcit Sponſus virginum. *Neſcio vos.* Matth. 25. v. 12. ſolùm agnoſcit has animas, ut abominetur, cum in præcordiis earum videt vindictæ ignem manſuetiſſimus ille Agnus juxta illud Davidicum: *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Deus.* Pſalm. 5. v. 8. & ita abominabitur, ut velut dæmonem ipſum æternùm ſit abominaturus.

182. Hujus abominationis cauſam iterum aſſignat Chryſoſtomus ita ſcribens homil. 27. in Geneſ. *Nihil Deus ita odit, & averſatur, ut hominem ultionis avidum, & in animo ſuo perpetuas inimicitias ſervantem: tantum ejus peccati damnum eſt, ut miſericordiam Dei revocet, nec locum habere ſinat.* Promittit Deus, ac etiam veniam dat exoratus, imò ut os aureum ſubnectit: *Ad nudas tantùm preces totum remittit, prout patet in ſervo, qui debebat decem millia.* Matth. 18. v. 26. Sed cum immiſericorde revocat ſuam liberalitatem, & clementiam, utpote quem

crudelem videt in conſervum: nihil proin, quod talis ſperet, habet, niſi rigorem juſtitiæ in judicio Divino, ſcriptum enim eſt: *Judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam.* Jacobi 2. v 13. & Eccleſiaſt. 28. v. 1. *qui vindicari vult â Domino, inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit.* Licèt martyrium ejusmodi homo ſuſtineret, veniam non obtineret, quam negabat, & ùt dicit Divus Cyprianus: *Quale crimen eſt, non remittere, quod Martyrio non poteſt exorari.* Ita contigit in Sapricio, qui jam iturus ad necem pro fide Chriſti obeundam petenti veniam Nicephoro non ignovit, ac martyris gloriam, imò Chriſtiani nomen amiſit, ùt refert Surius 9. Febr. Decretum enim eſt: *ſi non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Matth. 6. v. 15. O vocem terribilem! *ad tam magnum tonitruum, qui non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt*, attonitus exclamat Auguſtinus in Enchiridio cap. 47. Mortuus ſanè eſt, & quidem in peccato mortuus, æternùm â Deo reprobandus: mortuus cum infami Charactere filii diaboli, mortuus in abominanda ſimilitudine dæmonis, ut ſempiternis opprobriis conculcetur cum viliſſima turba inferni titionum. Ecce hîc vindictæ cupidi, quorſum punctum honoris vos abducat, ac lepidum illud ſtolidorum paucorum apophtegma, *quid dicent homines, ſi hanc injuriam non ulciſcar.* Inſigni honore, ſcilicet, ex hac vita deceditis, & ad alteram transferimini, ubi perenniter eritis filii diaboli, hæredes iræ, & flammarum ejus, ac mancipia ſempiterni contemptûs.

Idea XXXVI.

Non tantùm honorificum, ſed divinum quid condonatio injuriæ.

183. NUnquam hominem magìs decoravit Deus, quàm ubi facilem vidit in condonanda injuria: veniam dare inimico idem eſt, ac filiorum Dei inſcribi catalogo: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos ... ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Matth. 5. 44. Da veniam, & nobilitate gloriaberis, cui nulla par, nam in genealogia Evangelii, quam nulla oblitterabit ætas, filium te probas Altiſſimi, ídque ſuo calculo confirmat cœlorum Princeps, inquiens: *ego autem dico vobis.* Dicat quodcunque voluerit mundus, opprobrium eſſe inultam pati injuriam, ego Sapientia æterni Patris, qui ſcio, quid dico, ego Verbum Dei, qui efficere

efficere poſſum, quod dico, qui dare poſſum honorem omnem, ac nobilitatis gloriam præ omnibus Regibus terræ, *dico vobis*, quòd, qui condonat injuriam, filii Dei habet notam. Dictum tale ſufficeret, cùm ſit irrefragabile, ſed rem adhuc aliis confirmemus argumentis.

184. In cruce pendebat Jeſus inter ſummos animi angores, ac mortis acerbiſſimæ anguſtias, ab ipſo, ùt videbatur, Deo derelictus: *Deus meus, Deus meus, ùt quid dereliquiſti me.* Matth. 27. 46. Cúmque eo tempore vel maximè indigeret ſolatio Patris, nec ſe illius Filium meminit, ideò dum ipſum invocat, *Deum* vocat. *Deus meus, Deus meus!* at verò illicò, ac ignovit crucifixoribus ſuis, Filium Dei ſe agnovit, ac Deum ſuum Patrem inclamat: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Luc. 23. v. 34. Neque enim injuriam quis condonare poteſt propter Deum, niſi & ipſe ſit filius Dei. Hîc ſe vel maximè Chriſtus oſtendit mundi Redemptorem, & infinitam Dei Patris charitatem, cum tantum ſuis inimicis velut Dei Filius impendit amorem. Hinc Cyprianus: *inter cætera quibus Chriſtus judicia Divinæ Majeſtatis expreſſit, Paternæ Sapientiæ Divinam tolerantiam ſervavit.* libr. de bono patientiæ. Tertullianus Filium Divinum vocavit patientiam Patris: *Quibus datum eſt noſcere patientiam Dei, eſſe naturam effectam, & præſtantiam cujusdam ingenitæ proprietatis.* libr de patient. cap. 3. Beatus, qui cognoſcit, & adorat in patientia Filii ſplendorem, & eminentiam bonitatis æterno Patri propriam! iſtud eſt filium Dei ſe ſe manifeſtare, oſtendendo communicatam ſibi per participationem infinitæ ſufferentiæ gloriam in Patre miſericordiarum tam manifeſtè relucentem! Ecce hic mortales, qua ratione indigetari, atque etiam fieri poſſitis Filii Dei, proſapiamque veſtram nobilitare valeatis non vanis pompis, ſed tolerantiæ ſcuto, non in heroicis facinoribus, ſed in multis patientiis, non in magnis donis, ſed in condonatione injuriæ! Quando Salvator immenſo gloriæ lumine cinctus in Thabore apparuit, voce de cœlo lapſa Filium ſuum cum proclamat Pater æternus, jubétque lucidæ huic metamorphoſi adſtantes potiùs aures ſuas, quàm oculos paſcere: dum Moyſes & Elias velut præcones *dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.* Luc. 9. v. 31. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Matth. 17. v. 5. Ut ſcilicet intelligamus Deum Patrem, ſi in ſplendoribus glorioſis agnoſcit Filium ſuum unigenitum mundo datum, id præcipuè fieri reſpectu veniæ inimicis ſuis in monte Calvario impertitæ. Sed cur ſubin crucis ligno affixum Deus Pater non etiam ſuæ vocis præconio Filium hunc ſuum declarat, cùm tamen hic tormenta, quæ ſuſtinebat, purum hominem, in Thabore verò inſolitæ lucis ſplendor, ac veſtium candor ſatis Deum demonſtrarent? ideo id factum, quia in cruce Filium Patris ſuf-

ferentia illatarum injuriarum, & harum condonatio luculentissimè probabat: in quam rem egregiè locô citato Tertullianus: *Despuitur, deridetur, verberatur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides, qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam enim hujusmodi nemo hominum perpetraret.* Et verò quomodo homo purus sit, qui ita capitalissimis hostibus suis ignoscere potuit? Maximus hic Dei Filius occultare voluit omne decus Divinitatis in miseriis, ac ignobilitate humanitatis: apparebit inter tormenta, ac angores nil nisi homo, at verò in tolerantia malorum ubique divinum quid, in condonatione verò tot injuriarum ipse Dei Filius velut sol è nube clarissimè relucebit. Ex his signis agnosci & poterat, & debebat pro Dei Filio in cruce patiens Servator, etiam ab hostibus suis: patientiam enim hujusmodi nemo unquam hominum ostendit. Ita Christum agnovit bonus latro, qui antequam sol obscuraretur, terræ motu aperirentur monumenta, & alia fierent prodigia ab Evangelistis relata, liberè eum profiteturDei Filium ac cœli Regem, uti ponderat sanctus Leo Sermone 2. de Passione. Sed ex quo collegit hanc Dei filiationem latro ille? respondet sanctus Hilarius: *latro regnum Christi in Christi corpore didicit.* & Euthimius: *pœnitentia ductus est, audiens quod Christus pro eis, qui eum crucifixerunt, intercederet.* in Matth. cap. 27. Ita nempe secum ipso ratiocinabatur: homo, qui pro illis Deum rogat, ac ignosci petit injurias tantas actu inferentibus, plùs est, quàm homo, est ipse Deus vel Filius Dei.

Jam intelligi datur, cur Christus as- 185.
seclas suos ita orare docuerit: *Pater noster, qui es in cœlis.* Matth. 6. v. 9. videbatur sufficere ad felicitatem ac gloriam nostram, si Deum, si Creatorem, si Dominum nostrum inclamaremus, dum eidem supplices libellos nostros porrigimus; at non ita placuit Christo: *vos autem sic orabitis: Pater noster.* Sed quid Redemptor optime tituli tute ipse assumes, ubi invocare Patrem voles, si honorem hunc nobis servulis cedis, ut illum ipsum Patrem nuncupemus? nihil hoc quidem refert; vos autem sic orabitis, ut me orantem percipitis, sed simul id facite, quod me videtis facientem, & eritis id, quod ego sum, seu Filii Dei, qui jure dicere queant: *Pater noster.* Nempe si dimiseritis debitoribus vestris, sicut ipse ego, & Pater meus dimittimus debita vestra, certi esse potestis, quòd vos in Filios recipiat Pater, in Fratres Filius: cur autem additur: *qui es in cœlis?* an non etiam in terris est Pater, qui utpotè immensus ubique est? ita sanè hominibus tamen proponi debebat Pater ùt in cœlis existens, quia ibi semper condonat, cùm in inferno semper plectat, in terris partim indulgentiam, partim justitiam suam ostendit, ut scilicet intelligeremus Patrem nos invocare, qui debitoribus suis semper condonat, ut nos quoque

nostris

noſtris jugiter ignoſcamus. At non ſolùm ideò, ſed etiam quia in cœlis ille ſemper eſt Pater, qui alibi duntaxat ſe omni tempore oſtendit Deum, vúltque in mentem revocemus, nos ejus filios futuros tum injuriarum condonatione, tum dignitate cœleſtis hæreditatis nobis idcircò obventuræ, ita ſanctus Paſchaſius: *in cœlis*, inquit, *licèt ubique ſit Deus, Pater ideò monſtratur, ut dignitatem ſuam hæredes ejus & cohæredes Chriſti illic evincant.* Cùm jam propinquaret paſſionis tempus, ita ad Patrem ſuum Chriſtus: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Joan. 17. v. 1. Et quænam hora iſta? *nempe illa* reſpondet ſanctus Hilarius. L 3. de Trinit. *quæ in tempore paſſionis*, & hanc Chriſtus vocet horam ſuæ clarificationis, cùm opprobriis ſaturatur, & velut vermis â viliſſimis homuncionibus conteritur? hanc dicit gloriam, & exaltationem ſuam, qua Filius Dei omnibus innoteſcat? ita eſt, ait Chryſoſtomus: *ita quia pro dilectis* (utique inimicis) *ipſe patiar, meritóque hæc gloriam exiſtimo.* Hom. 5. de Job. ſic ego glorificabo Patrem, atque ideò rogo, *clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Si me permiſeris pati pro inimicis meis, habebo in venia mihi illatarum injuriarum gloriam ac dignitatem Filii tui: tibi verò, Pater, obtinget gloria Filii, qui ignoſcere novit illudentibus, ac crucifigentibus ſe, hæc videns Centurio illicò aſſeruit: *Verè Filius Dei erat iſte.* Matth. 27. v. 54.

Et verò opus eſt animis excelſis 186.
Filii Dei pro iis mori, qui te occidunt, & libenter, atque tolerantiâ plùs quàm humanâ mori. David miſericordem in Regis Saulis Nepotem, & filium Ammonis Regis nobis libet 2. Reg. cap. 9. & 10. exhibet, ſed diverſa ratione de Hannone filio Ammon ita loquitur regius Propheta: *Faciam miſericordiam cum Hanon.* cap. 10. v. 2. De Miphiboſeto autem filio Saulis dicit: *ut faciam cum eo miſericordiam Dei.* cap. 9. v. 3. Cur tanta miſericordiarum diverſitas, in tanta beneficiorum ſimilitudine? ratio diſcriminis eſt. Quia primò impertiri ſe dicit clementiam ſuam: *Sicut fecit Pater ejus miſericordiam mecum!* miſericordia autem hæc limites non tranſcendit ſimplicis miſericordiæ, de qua dici queat: *Nónne & publicani hoc faciunt!* Matth. 5 v 46. quævis etiam agreſtis barbaries illam exhibebit. *Si amas amantes te*, inquit Auguſtinus, *filius, & parentes amant, & gentes amant, & dracones amant, & lupi amant, & urſi. Ut ergò ſuperiores ſimus, & gentibus, & beſtiis etiam, adverſarios diligamus.* Serm. 61. de temp. At verò amare etiam, qui nos odit, miſericordia eſt Dei: vocet itaque David ſimpliciter miſericordiam, quam Hanoni impendit, in qua par pari rependit. Beneficium verò quod filio exhibet Saulis, dicat, & jure dicat *miſericordiam Dei*, amat enim filium illius, qui tota vitâ ſe quæſivit ad mortem, qui vibrabat lanceas, ut ſe cum pariete configeret, qui nec inter-

terdiu, neque de nocte ſtruere ſibi deſtitit tendiculas mortis, qui ipſe mori voluit, ne David viveret; hujus tanti inimici ſui peperciſſe ſanguini, Dei eſt miſericordia, licèt ab homine uno alteri præſtita, venia tam generoſo corde procedens, non filium Iſai, ſed planè ſapit filium Dei, huic enim ſic ignoſcendo ſimillimum ſe facit. Grandis homini gloria, grandis perfectio Deo aſſimilari, laudes mereri Divinas. *Quæ gloria eſt*, inquit Cyprianus de patient. *Deo fieri ſimilem patientiâ, & quanta felicitas habere in virtutibus, quod divinis laudibus poſſit æquari.* Eja homo honoris quàm maximè cupide, in venia inimicis tuis conceſſa invenies illud, & quidem in excellenti. Quid in tolerantia injuriarum tibi opprobria fingis, ſi hæc ad ſumma encomia te attollit? *ſi id conſequeris quod divinis laudibus poſſit æquari.* Jam non ampliùs admiror Stephanum mirantem in terris gloriam Dei, & Angeli ſpeciem toto vultu præſeferentem, neque etiam obſtupeo, ſi Chriſtus, qui eſt ad dexteram Patris, obviam procedat glorioſo huic pugili ſuo imaginem Filii Dei in venia inimicorum, & precibus in eorum commoda fuſis examuſſim æmulanti: quando in Geneſi miror Eſau, licèt feri hominis, vultum â Jacobo viſum, ac ſi Dei vultum præferret: *Sic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei.* cap. 33. v. 10. unde faciei hominis tam piloſi tanta amabilitas, atque decor? ex hoc ſine dubio, quia humanum non nihil atque tractabilem homo hic iſta quidem vice, ſe fratri ſuo præbuit, quem antea mortali odio proſequebatur ob ademptam ſibi hæreditatem, & benedictionem paternam: hócque eſt facinus illud heroicum, quod in præmium fert ſimilitudinem vultûs Dei, *quod divinis laudibus poſſit æquari.* Quid illud rei, inquit Moyſes, quid illud ſpectaculi in monte Horeb? rubus videtur in flamma ignis, ut quid ergò non comburitur? prodigium eſt! ita ſanè, & quidem Divinum! an non vides Deum tuum in igneo hoc throno poſitum: *apparuit Dominus de medio Rubi.* Exod. 3. v. 2. Quid hæres dubius? ignis qui concoquit injurias, ſeu inculta montis, & nihil lædit; ignis qui undique amplectitur ſquallida deſerti, & nihil abſumit; ignis qui ſpinas ipſas ſtringit, & nec unicam evellit, nullus alius eſſe poteſt niſi ignis Divinus.

Per Oſeam confirmavit Deus, 187.
quod Iſraëlitis ignoſcere velit: *Non faciam furorem iræ meæ, ut diſpergam Ephraim.* cap. 11. v. 9. Et quare non Domine, nunquid ad iracundiam te non provocaverunt? ubi *Baalim immolabant, & ſimulacris ſacrificabant.* v. 2. Tamen *non faciam. Quoniam Deus ego.* Non enim Deus eſt ſicut homo faciens furorem iræ meæ, ùt homo currens ad vindictam injuriæ ſuæ. Vocor *Pater miſericordiarum.* 2. Cor. 1. 3. non dicor Pater ultionum. *Rectè*, inquit Mellifluus, *rectè non Pater* ultionum dicitur nec judiciorum, ſed *Pater miſericordiarum: eò quòd mi-*

miſerendi cauſam, & originem ſumat ex proprio, judicandi & ulciſcendi magis ex noſtro. Serm. 5. de natal. Dom. Audi Deum inter maximas ſui populi offenſas ſic loquentem? *Indignatio non eſt mihi! quis dabit me ſpinam, & veprem in prælio?* Iſai. 27. v. 4. Gloſſa Sancti Hieronymi apud Sanchez: *quis me docebit, ut durus ſim, ut vincam naturam meam?* quaſi diceret: O Juſtitia! *quando vinces clementiam meam?* hæc eſt natura mea, benignitas neſcia indignationis in homines, miſericordiæ gero viſcera! rigor omnis extra me eſt! O bone Deus, in omne ævum benedicta ſit hæc tua eſſentia in veniam nunquam non prona! En homines Deum ex natura ſua miſericordem! *Ego Deus, ut vincam naturam meam!* Veniam tribuere & condonare offenſam nobiliſſimum attributum Divini cordis, *cujus eſt miſereri ſemper, & parcere!* ſi autem hæc proprietas Dei, ſequitur, eſſe filium Dei omnem illum, qui eam ſibi quoque propriam facit, *ut ſitis filii Patris veſtri*, vel ùt legit Chryſoſtomus: *ut ſitis ſimiles Patri veſtro.* Eja igitur mortales inclamat Divus Cyprianus: *Eja, ſi Dominus nobis, & Pater Deus eſt, ſectemini patientiam Domini pariter, & Patris! quia & ſervos oportet eſſe obſequentes, & filios non decet eſſe degeneres!* libr. de patient. Quare monet Apoſtolus: *Induite vos ſicut Electi Dei, viſcera miſericordiæ.* ad Coloſſ. 3. v. 12. Quid maleſuadi appetitis infames honores in veſtris vindictis, quando Deus veræ nobilitatis, & honoris auctor honorem omnem in condonatione injuriæ reponit?

Expreſsè Iſaias rationem dat tolerantiæ, & benignitatis Divinæ, quando dixit: *propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* cap. 30. v. 18. Scitisne, cur Deus ſit tam longanimis, & tamdiu clementer vos ferat, quia in eo repoſitam cupit nominis ſui exaltationem, ſi det veniam, ſi gratiam etiam non merentibus indulgeat: *& ideò exaltabitur parcens vobis.* ibid. Teſtatur id ipſum divus Paulus, quando dixit: *omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Rom. 3. v. 23. Seu *egent gratia, & miſericordia ejus*, ùt hic notat Theodoretus: gloriam tamen hanc miſericordiam nuncupavit Apoſtolus, quia laudem ſuam, & nominis exaltationem ex ſua clementia ſpectat Deus. Et fortè in hoc ſenſu canit Eccleſia: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Gratiæ aguntur pro acceptis beneficiis, cùm porrò favores nobis collatos ſuam dicat gloriam Deus, huic meritò grates reddi debent. Confirmat id Eccleſiaſticus, dum dicit: *ſecundùm magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius* Cap. 2. v. 23. En menſuram Majeſtatis, & gloriæ Dei, nempe immenſitatem miſericordiæ ejus! Vatablus enim, & Janſenius legunt: *quanta eſt Majeſtas illius, ſic eſt & miſericordia illius.* Idem clarè expreſſit Servator in morte, & reſurrectione Lazari, ſi primam cum divo Auguſtino peccati, alteram gratiæ fuiſſe Ectypon dixerimus: *infirmitas hæc*, inquit Chriſtus, *non eſt* 188.

ad mortem, sed pro gloria Dei, ut manifestetur Filius Dei per eam. Joan. 11. v. 4. & eod. cap. v. 40. *Videbis gloriam Dei.* Quasi diceret, infirmitas hæc cedet in gloriam Dei. Sed anne offensa Dei redundare queat ad gloriam Dei? ita: in venia peccati glorificatur Deus, & in ea ipsa ostenditur Filius Dei. *Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit*, teste Hipponensi tract. 49 in Joan. gloria Dei fuit in vitam revocâsse peccatores inimicos Dei, gloria, quæ non ipsi, sed quæ nobis prodesset, gloria quæ nos instrueret, qua ratione fieri possemus filii Dei nempe dilectione inimicorum.

189. Ipse Augustinus solo lumine naturæ hanc veritatem agnovit, condonationem injuriæ cedere in laudem injuriam passi. Hinc indoluit Catonis morti, quam acerrimus hic hostis sibi ipsi intulerat, ne â victore peteret veniam, quam Augustus inter maximas suas glorias censuisset, si illam dare contigisset. Plutarchus in eo. Hadrianus itidem, & Ludovicus Rex Galliæ judicabant coronatam majestatem nihil decere magis, ac offensam generosè remittere. Filii Sarviæ Davidem urgebant, vindictam sumeret de Semei injuriâ gravissimâ lacessentem ipsum Regem suum. Sed David ad illos: *quid mihi, & vobis filii Sarviæ.* 2. Reg. 19. v. 22. vos, quibus animus vilis, nihil spiratis nisi vindictam! non sic ego, qui regios gero animos: *an ignoro hodie me factum Regem super Israël!* ibid. Id ipsum Saul quoque agnovit, licèt suo exemplo non firmârit. Videbat Davidem nec in montium cavernis tutum ab insidiis suis, & tamen eidem dicit: *& nunc scio, quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël.* 1. Reg. 24. v. 21. Sed unde hoc notitiæ hausit Saul? certè ex spelunca Enggaddi, ubi ex præcisa sibi ora Chlamydis cernebat etiam vitæ filum eodem Davidico cultro potuisse recidi, ex quo intulit: tu mihi hosti tuo jurato tam generosè ignovisti: ergò indubiè Rex eris, cùm ista sit inter cæteras tessera Regum dignissima, injuriarum condonatio. Christus Dominus licèt in eos, qui se sequebantur tam beneficus, non tamen admittit, quos conferre volebant regios titulos: *cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem.* Joan. 6. v. 15. in cruce verò regium nomen non solùm recipit, sed etiam disponit, ut Romanus Præses contra hostes suos illud tueatur, ac diceret abrogationem nominis petentibus Scribis, ac Pontificibus: *quod scripsi, scripsi.* Joan. 19. v. 22. Ratio est, quia licèt regium quid dici debeat collatio beneficiorum, non tamen Rex esse debet, qui ea confert, at verò condonatio injuriæ & dici, & esse debet Regum propriissima virtus.

Hinc intelliges, cur idem Christus 190.
se Regem vocet, quando in extremo judicio electos ad se vocabit: *Dicet Rex his, qui â dextris sunt.* Matth. 25. v. 34. item, *& respondens Rex dicet illis*, nempe electis, v. 40. ubi verò de repro-

reprobis agitur nullatenus Regem ſe nuncupat: *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt.* v. 41. Rei cauſa eſt, quia electis remittit debitum, éſtque auguſti nominis decore digniſſima actio, largitio veniæ. Cùm verò reprobos mulctat ùt ùt juſtiſſimè, non tamen idcircò titulos Regis ſibi attribuit, cùm ex eo præcisè illos mereri nolit. Ut Joanni Præcurſori labis originalis offenſam ignoſcat, integram ſuam manum impendit Deus: *Manus Domini erat cum illo.* Luc. 1. v. 6. Quò puniat Regis Balthaſaris improbitatem, ſolos digitos oſtendet: *Apparuerunt digiti, quaſi manus hominis.* Dan. 5. v. 5. Ita eſt, manus, quæ culpas dimittit, Dei manus eſt; at qua reos plectit, manus debet eſſe hominis. Concludat rem Theodoſius Cæſar hanc legem ferens contra murmuratores & in nomen Imperatoris injurios: *Si id ex levitate proceſſerit, contemnendum, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, dimittendum.* leg. unic. Cod. *ſi quis.*

Idea XXXVII.

Nobiliſſimum ultionis genus, non ulciſci Dei exemplo.

191. DAmnum ſibi illatum redimere inferendo novum damnum, & offenſam unam alterâ, velut clavum clavo, pellere, facinus eſt non herois, ſed ruſtici hominis, imò ferarum, quod montes, ac ſylvæ quotidie ſpectent. Viliſſimum pectus rabido furore in illum fertur, à quo mali quidpiam tulit: Nonne *& Publicani hoc faciunt?* Matth. 5. v. 46. Cur igitur cæci mortales vindictam punctum honoris vocant, quæ ſolos animos nobiles deceat, cùm & abjectiſſimis ſit propria. Vindictam appetis nobiliſſimam ac gloriæ veræ feracem, eam appete, quæ in venia conſiſtit, quam ſuo exemplo Deus commendat: *Eſtote ergo vos perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* ibid. v. 40. Sinite mundi ſtultitiam agere, quod cæcè agit, vos id agite, ut vincatis in bono malum ad imitationem Dei; reddere enim pro malo malum bruta nôrunt, & deſpicatiſſimi homunciones. In exitu ex Ægypto: *murmuravit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen, & Aaron.* Exod. 16. v. 2. Imò indirectè contra Deum queſti ſe eductos, ut fame perirent in deſerto. Deus autem ab ingrato populo, cui tot jam contulerat beneficia, tam enormiter læſus, quam parat vindictam? non aliam, quàm novum beneficium, illúdque ſpecialiſſimum, ut

qui murmurabant se fame conficiendos, cibum haberent omne delectamentum habentem : *Ecce ego pluam vobis panem de cœlo.* v. 4. Et subjungit in hoc genere vindictæ ipsos denique agnituros Deum suum: *Scietísque, quia ego sum Dominus Deus vester.* v. 12. Et certè hîc eum agnoscere ipsi poterant, ubi ipse gloriari voluit: *Ecce gloria Domini apparuit in nube.* v. 10. Quando tam liberali indulgentiâ tantam ultus est injuriam, & locô vindictæ rependit in cœlesti illo manna perfectam abolitionem offensæ. Quis diceret offendendo te lucraturum, quod obsequendo nunquam obtinuisti. Jacob obsequiis suis nunquam id â Deo impetravit, quod rebelles ejus posteri ipsis offensis sunt consecuti, ut dum cœlum fulmina vibrare debuisset in ingrata capita, manna, & innumeros in ea favores deplueret. Ita clementissimus Deus etiam enormes injurias ulciscitur excessu scilicet beneficientiæ.

192. Patrem suum graviter offenderat filius prodigus & modica æstimatione curæ paternæ, & magno contemptu hæreditatis ejus ad novissimum obolum luxuriis consumptæ. Redit subin in Domum patris non virtutis ductu, sed necessitate premente, non quia patrem amat, sed quia famem oditi non quòd pœnitentia cor tetigisset, sed quia didicit vel ictus sapere. Redit pauperrimus, vilissimus, & undique pannosus, opprobrium familiæ suæ, ex nobilissimi parentis ocello factus immundi gregis Argus. Redeuntem â longè aspicit pater, & quia procul videt, pietas illicò suum agnoscit, ac excipit filium non stipitibus duris fudibúsque præustis, uti meruerat, sed paternis brachiis, & amoris plenis amplexibus, ac quasi â regni conquisitione reducem annulo & stolâ induit, organîs musicis applaudit, atque opiparum famelico instruit convivium. Luc. 15. An huic similis unquam decreta delictis pœna? an par tam nobili veniæ unquam apparuit vindicta? quid ultrà parens hic facere poterat, si id pro filio egisset patris dicto nunquam non ad unguem addicto, quod ipsemet frater natu major videtur conquestus, cùm patri dixit : *Nunquam dedisti mihi hædum.* Quid vultis? Deus erat hic pater, qui prodigos suos, ac degeneres filios ita vindicat, qui ovem perditam lupi potiùs, ac pastoris vestigia secutam, humeris suis non ad cultrum, sed caulam deportat, quia peccatores ad cor revertentes Angelorum gaudiis, ac festis cœli vocibus prosequitur. O quàm bonus Deus, qui tam blandè tractat nos malos servos!

193. Ita se, & injurias suas ulciscitur Jesus, istam vindictam suos docuit, cùm Patris exemplum proposuit. Honorem Salvatoris turpiter læserat Petrus, quando etiam increpando Christum deterrere voluit ab operatione nostræ salutis : *Cœpit increpare eum dicens : absit â te Domine, non erit tibi hoc.* Matth. 16. v. 22. Tanta discipuli audacia non solùm pupugit, sed omninò transfixit cor Magistri, néve

néve ſuo officio hîc deeſſet, illum dæmonem, ac inſipientem nuncupavit: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt.* v. 23. Sed videamus quorſum denique rigor omnis reciderit, ac quænam tantæ offenſæ reſponderit ſatisfactio. Nempe velut optimè de ſe meritum Petrum Dominus poſt dies ſex ad glorias Thaboreas aſſumit. Ex hoc monte deſcendens Servator obvium habet lunaticum malo dæmone poſſeſſum, quem diſcipuli ejus ſanare non potuerant: incredulitate hominum, quibus ſanandi omnem languorem dederat copiam, offenſus Jeſus irati quidem inſtar exclamavit: *O generatio incredula, & perverſa! quousque ero vobiscum.* Matth. 17. v. 17. Sed illicò veniam offenſæ dedit, ùt dæmoniaco ſalutem impertiit: *Et curatus eſt puer.*

194. Etiam virgis percuſſa aquam præbet petra: *Petra autem erat Chriſtus.* 1. Corinth. 1. v. 4. *Cúmque elevâſſet Moyſes manum percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Num. 20. v. 11. Puniet quidem Deus Moyſen, quod ſibi aſſerenti incredulus, vocum locô: *Loquimini ad petram*, ictus lapidi, eósque geminatos, impegerit, atque etiam ingreſſu in terram promiſſam, vitâ ei antè adempta, mulctabit. Sed Chriſtus vel petra virgæ percuſſa verbere vindictæ locô favores reddet, & dulcia ac jugiter fluentia amoris ſigna. *Egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Prodigium eſt, vivam undam ex ſilice manare: majus eſt manare ex ſilice percuſſo. En hîc duo miracula, & ambo miracula amoris, amat, myſtica hæc petra, quia immerentibus benefacit: magis amat, quia etiam malè habita majus beneficium rependit. Vindictam capere nequit vel ipſa Chriſti figura, niſi illam, quam vel ab amiciſſimo vix exigas. Leo hic divinus ùt ùt ab hoſtibus ſuis cæſus, nihil aliud propinabit, quàm mellis dulcedines, prout expertus Samſon. Judic. 14 v. 8. ùt ùt rubus pungat ingratus, ac diſſipet beneficas ſibi, atque ſplendorem conciliantes flammas, non tamen iſtæ per dumetum incendia ſpargent, ſed beneficia, coronando rubum lucido diademate, & purpureis radiis exornando ejus ſqualorem, quo fiat in prodigium, & viſionem magnam, qui merebatur in pulveram redigi, & cinerem: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Exod. 3. v. 3. Et an non idem cum ingenti hominum ingratitudine præſtitit bonitas Servatoris? humilitatem excelſam, qua Dei Majeſtas ad piſcatorum pedes abjecta in ultima cæna comparuit impertinens obſtinatio Petri non parùm offendit. Charitatem immenſam in Dominici corporis, ac ſanguinis traditione intimè vulnerat excommunicata traditoris Judæ impudentia. Ea ipſa nocte, *qua tradebatur*, qua Judaica impietas laqueos, catenas, flagra, ſpinas, opprobria, contumelias, clavos, crucem, & mortem innocuo huic Agno parabat; quando vindictam, & cæli iras merebatur

batur humana nequitia, hominem, quem eousque tantùm dilexerat, in finem dilexit, in Sacramento Eucharistico, velut in pignus æterni amoris, totum se ipsum offerendo. An possibilis dilectio major, eóque tempore exhibita, quo nullus videbatur nisi ultionis locus. Sed sumnum beneficium ingratis impensum est summa Divini pectoris ultio. *Hæc est hora vestra.* Luc. 22. v. 53. Nempe hora iniquitatis, malitiæ, ac impiæ tyrannidis, hora, qua initium sumpsit impietas, ut insectaretur justum, & eum ad extrema deduceret, hanc Jesus vocat horam suam: *quia venit hora ejus.* Joan. 13. v. 1. Hora, quam in dulcisono ejus corde signabat horologium charitatis ejus aureæ, ut profunderet thesauros immensorum beneficiorum; quando pulsabat horologium inimicorum ejus, ut extremis suppliciis illum afficerent. Tunc *in finem dilexit eos*, quando ultra modum odio habebatur ab illis. Hæc est Lux Divina, quæ in humanis tenebris lucet, hæc est vindicta Dei summè benefacere, quámque minimè merebantur omnimodam offensarum remissionem maximi amoris prodigio ingratissimis mortalium tribuere.

Idea XXXVIII.

Si vindicanda injuria, beneficiis vindicetur.

195. FUria vindictæ ultrà tendere nequit, quàm ut mundo eliminetur is, contra quem furere occepit. Sed nullum telum, licèt omnem hauriat sanguinem, ignis nullus, ùt ùt in favillas orbem redigat, & in cineres, in nihilum hominem, qui intulit injuriam, unquam efficere poterit, ut hæc penitùs deleatur, ut dici nequeat, præcessisse offensam, nisi ista beneficiis aboleatur, nisi vindicta fuerit, quæ est Deo propria, quæ in bono vincit malum. Christicolis erubescendum paradigma, quod gentilis olim dedit, quod in Græcia orbis stupuit. Temerarius adolescens Lycurgo viro gravissimo ê vultu oculum excusserat. Justitia tanti sceleris vindex reum captum offenso sistit, ut pro lubitu vindictam capiat. Quid hîc aget Lycurgus? occidet nebulonem indignum lucis usurâ, qui sibi lucis dimidium abstulit? in frusta concídet frustum hominis? aut minimùm oculos eruat pro oculo, ne porrò videat, quem possit gratis exoculare? nihil horum læsus, sed lædentem accipit in domum suam, donis, & beneficiis cumulat, moni-

monitis, & exemplis velut filium inſtruit, donec efferum hominem in manſuetum, & cupiditatibus ſuis imperantem verteret: hanc vindictam de hoſte ſuo Lycurgus ſumpſit omnium admiratione maxima. Et verò digna erat ſumma admiratione, nam ita abolevit ſibi irrogatam offenſam, ut nec veſtigium toto orbe extaret juvenis temerarii, iracundi, aliis mala irrogantis. Inimicum ſuum peſſimum Lycurgus invidenda metamorphoſi in amicum optimum commutavit. Plutarchus in Lycurgo. *Quid glorioſius*, inquit ſeneca, *quam iram amicitiâ mutare, quos populus Romanus habet fideliores ſocios, quàm quos habuit pertinaciſſimos hoſtes.* L. 2. de ira. cap. 34. Non eſt nobilior de hoſte victoria, quàm beneficiis obtenta, nec lætior triumphus, ac clementiâ partus. Quò major eſt adverſarii pertinacia, eò magis eluceſcet tua in illo demulcendo, & emolliendo longanimitas. *Iraſcitur aliquis, tu contra beneficiis provoca.* ibid. Si quis te conſtituat velut ſcopum ſuæ maledicentiæ, tu ei verbum molle oppone, quod frangat hominis intemperiem: ſi ipſe maleficiis tecum certet, tu benefactis eum tibi devinci: credeſis, in hac arena denique palmam referes, & ex jurato hoſte habebis tibi ex aſſe addictum clientem. Stomachatus vitiferi rami otioſam luxuriem ſedulus agricola, quòd adhærentes trunco vitis pampinos ſuffocârit, cultrum arripit, ac ſarmentum noxium ocyùs amputat; ſed quid eo fiet, an in ignem mittetur præciſum â reliqua vite germen? aut minutatim concidetur, vel ſuo humi abjectum otio putreſcet? minimè gentium! quam ergo injuriæ vindictam capiet vinicola? non aliam, quàm ut transplantet pampiferam ſtirpem & in eo vitem ſubin habeat uvarum, utì cæteræ, ſuo tempore feracem. Beneficiis palmitem ad dandum fructum compellit, quem ille antè in vite eliſit.

Hæc quæ erat Romanæ, & Græcæ 196.
Reipublicæ Politica, ſocios efficere ex hoſtibus, Ratio Statûs nuncupari poteſt curiæ cæleſtis. Videt Deus Saulum ſpirantem minarum, & cædis, ac ructantem blaſphemias in Jeſum, & diſcipulos ejus. In arenam cum homine furente deſcendit Chriſtus ipſe, & lumine fulguris inſtar evibrato adverſarii ſui oculos excæcat, equo delapſum humi ſternit, ut beneficiis ſubin erigeret, ac ſuæ miſericordiæ trophæum ſtatueret. Eja Domine! en proſtratum ad tonitrua vocis tuæ infenſiſſimum ſponſæ tuæ Eccleſiæ hoſtem! etiam fulmen juſtiſſimæ vindictæ in perſecutorem hunc gregis tui excute, vitámque jacenti jam cum anima elide, prout ipſe meretur, & jus victoriæ exigit. *Lex belli, & ejus victoriæ, eſt, ut fortior de hoſte victo ſeſe vindicet.* Rupertus de opere Spir. ſanct. L. 4. Cap. 19. Ita eſt, id petit lex mundi cæca inſtar Sauli, non autem petit nobilior Dei vindicta, quæ non vult mortem, ſed vitam peccatoris. Nempe miranda hæc contra Saulum victoria: *Dei gratia is reſervatus, ut viveret,*

ret, vivens serviret, cùm funditùs occidi potuisset. En insigne trophæum idque vivens victoriæ â Christo de Saulo relatæ! si de terra viventium fuisset exciſus, hostem Dominus perdidisset, amicum non habuisset. Benefactis potiùs debuerat mactari Saulus, ut in Christo meliùs viveret Paulus, vel in ipso Christus. Pereat qui Dei Filium persequitur, vivat qui sanctissimum Jesu nomen glorificet? frangatur vas iræ, ut servetur vas electionis! nihil porrò superſit de Saulo peccatore, & sibi gratuletur recens erecta Ecclesia de Paulo egregio doctore! *miranda victoria*, præclarissimæ vindictæ genus! quam vel ipsa invideat pietas, ita nempe secum Dominus: si Saulum occido, apud inferos jugiter vivet Saulus, ut blasphemet nomen meum, & æternas reddat injurias meas. Si Paulum beneficiis meis reservo, vivet æternùm Paulus, ut me glorificet, & gloriam meam in perpetuas æternitates exaltet, vicit ergò invicta Dei clementia! vixit Paulus, *ut vivens serviret! quid glorioſiùs, quàm iram amicitiâ mutare.* Ecce hîc quantò utiliùs ulciſcatur misericordia, quàm justitia. Multò meliùs hostem destruit, qui ex inimico facit amicum, quàm qui solum hostem perdit; qui posterius hoc facit, id facit, quod etiam efficere potest bellua, telum, ensis, virus, carnifex. Prius qui facit simul destruit, & conſervat, amittit, & lucratur, perimit, & in vivis retinet, nempe destruit, amittit, perimit inimicum, & conſervat, lucratur, ac vivum retinet amicum. Proin majus quid egit Deus faciendo ex Saulo Paulum, quàm si omninò perdidisset Saulum. Igitur cùm vindicta etiam maxima plùs præstare nequeat, quàm occidere, & perdere adverſarium: glorioſiùs ille ultionem sumet, qui beneficio inimicum in amicum commutat, quàm qui ferro inimicum sternit; sic enim occidis quidem corpus, animam non occidis, quæ æternùm tibi inimica manebit: si verò beneficio tibi obstringis adverſarium, non solùm totaliter inimicum perdis, sed etiam in ipso perennem amicum lucraris.

Quis ibit inficias nobilius fuisse vin- 197.
dictæ genus, quo Christus in cruce pendens uti voluit cum latrone bono, quàm cum malo. Hunc, prout merebatur, præcipuè ob blasphemias in confinio vitæ ructatas, æterno addicit igni, sed ibi nec finit, neque unquam suas blasphemias posthac finiet: illum in gratiam recepit, & prædonem convertit in sui præconem, dúmq; Paradisum in cruce dedit, sibi amicum, ac Dei gloriæ cultorem æternum effecit. Hac ratione Prophetiæ Jonæ veritas pateſcit. Dixerat Deus per os Prophetæ: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* cap. 3. v. 4. Sed anne subverſa Ninive? dico esse, & non esse subverſam: non fuit subverſa ad litteram, subverſa est ad finem, quem intenderat Deus. Ninive, quæ ante erat, periit, Ninive ùt post intentatas minas fuit, semper remansit, antea profana erat, & facta est pietati addicta, lasciva erat, & evasit pudica

pecca-

peccatrix erat, & pœnitens, & ſancta emerſit: hoc eſt deſinere eſſe, quod antè fuerat, hoc eſt favoribus deſtruere omnem rationem offenſæ. Id ipſum in Magdalena Sanctus Chryſologus notavit: *Venit Maria, & altera Maria.* Matth. 28. v. 1. *Venit ipſa, ſed altera: altera ſed ipſa: ut mulier mutaretur vitâ, non nomine.* Serm. 74. v. 6. nempe venit Maria, quæ fuerat *in civitate peccatrix.* Luc. 7. v. 37. Sed ſubin venit altera Maria jam Sancta, pœnitens, Chriſti amore languens, virtutis mirandæ exemplar: hanc de Magdalena ultionem ſumpſit Dominus. Deſtruxit peccatricem, conſervavit pœnitentem, ut converſi haberent in ea glorioſam melioris vitæ Ideam, Deus verò omnis converſionis veræ auctor pietatis ſuæ haberet gloriam.

198. Addit inſuper Job aliud quid, quod poſt ſe trahit nobilis hæc vindicta, injuriæ venia. Non ſolùm inimicum deſtruit, & amicum facit, ſed etiam inimicitiæ cauſam ſeu offenſam redigit in nihilum. *Peccavi,* dicit patientiſſimus hic virorum cap. 7. v. 20. poſteà cap. 17. v. 2. dicit: *non peccavi.* Si peccavit, cur dicit, ſe non peccâſſe? ſi verò non peccavit, quare ſe dicit peccâſſe? eſſe videtur in verbis contradictio, in re nihil aliud eſt, quàm myſterium. Peccavit Job, vindicta peccati perfecta fuit venia Dei. Hac ſublatum eſt omne peccatum, ac planè redactum in nihilum, ut dici ſubin verè potuerit: *Non peccavit Job.* Confirmat id Deus per os Iſaiæ de populo ſuo idololatra dicens: *Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.* cap. 1. v. 26. Id eſt flammis charitatis ita comburam noxas tuas, ut nec veſtigium malitiæ porrò ſuperſit. Hinc proſequitur: *Poſthæc vocaberis civitas juſti, urbs fidelis.* En hîc triumphum veniæ, ita vindicat illum, qui injuriam intulit, ut nec offenſoris, nec offenſæ poſtea ſignum extet. Catonem balneantem injuriâ affecerat homo crudus, vel caſu, vel ſtudio: ſubin tamen in ſe reverſus offenſæ veniam â Catone petiit; reſpondit Cato: cujus tibi veniam dabo, non memini unquam me â te offenſum, nempe, ùt concludit Seneca: *Meliùs putavit non agnoſcere, quàm vindicare.* L. 2. de ira. cap. 32. & addit: *magni animi eſt, injurias deſpicere, contumelioſiſſimum genus ultionis non eſſe viſum dignum, â quo peteretur ultio.* Hinc conſilium dabat Pythagoras: *ollæ veſtigium cinere turbatæ,* ne ſcilicet vel memoria ſuperſit offenſæ. Hæc eſt vindicta hominem decens, imò Deum, qui culpas noſtras ita delet, ut earum ſubin nec recordetur: *Iniquitatum eorum non recordabor ampliùs.* Hebr. 10. v. 17.

Ita ergò & vos vindictam parate, 199.
ut omninò deleatis offenſam, & offenſorem; quodſi id efficere nequeatis, in id ſaltem connitemini, ut vos ipſos in ſtatu alio ponatis maximæ vobis gloriæ futuro. Sic Veſpaſianus, ubi imperii habenas ſuſcepit regendas, ſuo olim inimico obviam factus

dixit: ego jam nihil porrò inimicitiæ, aut averſionis tecum habeo, quippe qui jam Imperii Romani diadema gero. Vide proin & tu, ut condonatione injuriæ ſtatum, & conditionem immigres filiorum Dei, hæredum regni cœleſtis, qui mille mundorum imperia tenentibus potiores ſunt, & illicò intelliges, non decere filium Dei meminiſſe injuriarum, ſibi quà homini antè illatarum; ſic fecit Servator Jeſus. Is jam morti proximus poſt exantlatas crudeliſſimas pœnas, ac innumera opprobria, memor tamen ſe eſſe Filium Dei, Patrem inclamat, ut inimicis ſuis ignoſcat, & loco vindictæ petit veniam, loco fulminum in tam impia capita adhuc in ludibrium morientis commota implorat miſericordiam: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Luc. 23. v. 34. Non enim decere ſciebat ſupremum ſtatum Filii Dei aliam vindictam, quàm veniam poſcere: *dimitte illis.* Non conveniunt duo hæc, Deum Patrem invocare, & juſtitiam inclamare. Hæc prodigia Divini amoris, portenta iſta Charitatis Servatoris ipſimet Judæi vocârunt magnalia Dei. Cænaculo egreſſi Apoſtoli igne amoris Divini, quo ipſi erant ſuccenſi mundum inflammare cæperant, illi, qui homines evangelizantes perceperant, ſtupore attoniti exclamabant: *Audivimus eos loquentes magnalia Dei.* Act. 2. v. 11. quid autem eo tempore prædicabant concionatores iſti Apoſtolici? En concionem paucis his verbis contextam â Sancto Luca: *Baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti.* ibid. v. 22. Vindictam nimirum Dei filii palàm faciebant, qui mortem ſuam ulciſcebatur donô Spiritus Sancti. Obtulerat Abraham Creatori ſuo id petenti ſacrificium unici filii ſui, & voluntatis promptæ ampliſſimum recipit præmium generis ſui miram propagationem: *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Gen. 22. v. 17. Sacrificant Judæi unigenitum Dei Filium ſuo furori, invidiæ, ac iræ innocuam victimam immolantes, & aſperſione modicæ baptismatis undæ ipſum recipiunt Conditorem ſiderum: *& accipietis donum Spiritus Sancti.* Quid hoc mi Deus? & iſta eſt tantæ injuriæ ultio? ita hæc vindicta magnitudinem æquat cordis Divini, hæc eſt Deum ipſum decens ultio, maximam offenſam penſare maximo beneficio. Eja Mortales! *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. v. 48. In hoc ſpeculo contemplamini magnalia Dei. Exemplar, quod hic vobis monſtratum, tam nobile, & excelſum pro viribus ſequimini, & cùm ametis, ac in Deo ſuſpiciatis vindictas adeò beneficas, has ipſas fratribus veſtris amandas in vobismet ipſis præbete, atque tales vos illis exhibete, qualem Deum erga vos cupitis; nam ut dicit Seneca: *Optimè hoc exemplum Principi conſtitutum, ad quod formetur, & ſe talem eſſe civibus, quales ſibi Deos velit,* 1, de Clem. cap. 7.

Idea

Idea XXXIX.

Nunquam ſcopum vindicta, venia ſemper tangit.

200. GAlaadites hoſtes ſuos ultus erat Saul, ſed cum opprobrio de iis triumphavit. 1. Reg. 11. v. 13. Contrà bis Sauli ignovit David, ſemel, cùm ei præcidit oram chlamidis, & poterat amputare inimicum ſibi caput. 1. Reg. 24. v. 8. Iterum quando intacta Saulis cervice lanceam ſuſtulit â cervicali. 1. Reg. 26. v. 12. Quid inde ſequitur? id, quòd eo ipſo loco, ubi vindictæ trophæum Saul appendit, ſeptem filii ejus ſuſpenſi ſint in patibulis: *Dentur nobis ſeptem viri de filiis ejus, & crucifigamus eos in Gabaa Saul.* 2. Reg. 21. v. 6. Quid autem venia David profuit? hoſtis ipſe Saul dicet: *Nunc ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis.* 1. Reg. 24. v. 21. & hujus rationem reddit: *Tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* v. 18. Ecce vindictam ſumit Saul de Galaaditis, & poſteritatem ſuam cum ignominia tumulat, condonat David Sauli altera vice, & in domo ſua diadema confirmat. Inſequitur vindictæ cupidus Saul Davidem per deſerta, David contra miſericordiam geminam facit cum jurato ſuo hoſte itidem in deſertis; & primus ex ſpelunca in perniciem ruit, ſceptrum in gladium vertens quo ſe transfodiat. *Arripuit Saul gladium ſuum, & irruit ſuper eum.* 1. Reg. 21. v. 4. Alter itidem ex ſpelunca ferro armatus prodit, & illud in ſceptrum convertit, quo ſupra Iſraël regnet: *Scio, quòd regnaturus ſis.* Saul quia ultionis appetens, diadema regni, & vitam amittit, David quia veniam tribuit, & vitam conſervat, & coronam lucratur: *Egreſſus eſt David de ſpelunca cum coronato capite, eò quòd hoſtem dimiſerit, & nactus occidendi poteſtatem pepercit.* Sanctus Chryſoſt. homil. de David, & Saule.

Sic veritas patet promiſſi Divini â 201.
Deo Rebeccæ facti: *Duo populi ex utero tuo dividentur, populúsque populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Gen. 25. v. 23. Collidebantur in matris ventre duo parvuli, & ex eorum quolibet originem diſtincta natio habitura erat, & major natu Eſau minori Jacobo olim erat ſerviturus: hoc non obſtante in ſacris paginis nihil invenitur ſervitutis ab Eſau Jacobo præſtitæ; ſed hoc inveniri dicit Sanctus Auguſtinus: *illo utique ordine, quo mali ſerviunt bonis, non obſequendo, ſed perſequendo.* apud Lipoman. in caten. An non Eſau odio habebat Jacob? an non ad mortem ipſum inſectebatur? quænam iſtâ ſervitus

vitus major? quisnam mancipatus hôc abjectior? an meliùs frater major poterat minori inservire, quàm persecutione sua illi procurando tot ovium, boum, & camelorum greges? deprimere volebat Esau Jacobum, & ipsum erexit, durè habebat velut inferiorem origine, & vindictæ æstro in ipsum ferebatur velut injustum primogenituræ raptorem, & nihil effecit aliud, quàm ut in omnibus sibi superiorem constitueret, adeóque major serviit minori *non obsequendo, sed persequendo.* Cainus vindictæ desiderium in fratrem Abelem perfectè explevit, cùm ad campos eductum interfecit. Gen. 4. v. 8. Sed peracto fratricidio, quando is se felicem putabat de ultione capta, miserrimum se vidit; tunc velut agmine facto terrores, & angustiæ hominem undique comprehendêre: vitam cæpit vivere quavis morte duriorem, Deo invisus, sibi gravis, furiis desperationis, & inferni jugiter agitatus, & maledictionis stigmate frontem inustus cogitur dicere: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear, abscondar, & ero vagus, & profugus in terra.* ibid. Condemnatus denique ad violentam mortem post diuturnam vitam inter angores inferni productam. En lucra vindictæ! en quàm malè scopum feriat animus ultionis cupidus!

202. Totum hoc cernitur in Josepho, & fratribus ejus. Isti propter somniatam adorationem tanto odio in puerum ferebantur, ut illi non possent aliquid pacificè loqui. In Dotain tandem erumpit totus vindictæ ignis, & habitis sus deque de ultionis modo nefariis consiliis resolvunt Josephum primò in puteum, dein Ismaëlitis venditum instar mancipii in Ægyptum dimittere: & quorsum hæc tragœdia? quam mercedem enormis in fratrem vindictæ nefarii illi sunt consecuti! huc denique recidit, ut post varios casus adversos tandem urgente fame se ad Josephi pedes prostratos viderint: *Cúmque adorâssent fratres sui,* Genes. 42. v. 6. Ac ipsi malorum suorum fabri, dum vindictæ studio credidêre se mortalem fabam cudisse innocuo fratri, coacti sunt fateri: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum ... idcircò venit super nos ista tribulatio.* v. 21. v. 22. En fructum ultionis, sinamus eos offam exedere, quam sibi intrivêre, & vertamur ad Josephum: an ipse in puteum projectus, in mancipium venditus nuper â fratribus, etiam Ægypti Proregis dominium adeptus, parricidium attentatum vindicabit? nihil minùs, nisi beneficiis, & favoribus. Succurrit abundanter fratrum necessitatibus, in Ægyptum eos transtulit, pinguedinem terræ, & opima illius assignavit: *Joseph verò Patri, & fratribus dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, & alebat eos.* Gen. 47. v. 11. & 12. Et quî Josepho generosa hæc injuriarum venia cessit? quàm optimè vita felici ad centum, & decem vitæ annos protelata inter continuos cœli favores, & mille prosperitates in omnibus factus est *filius accrescens*

Joseph.

Joſeph. Gen. 49. v. 22. Et quid illum manebat niſi bonorum cornucopia, qui tam luculentis benefactis fratrum maleficia vincere potuit. Sancti Vincentii Ferrerii aucta eſt, ac in ſacro textu fundata ponderatio. In Jeſu â planta pedis usque ad verticem capitis nulla fuit ſanitas, quando cruci ſuffixus litrum noſtræ redemptionis Juſtitiæ Divinæ perſolvit, ſola lingua adhuc eximia erat rabidorum carnificum furore, quia iſtâ voluit crucifixoribus apertè veniam dare, neque juſtum erat, dolor eam corporis partem ligaret, qua exceſſus amoris omnibus debuerat fieri manifeſtus: *Ita*, inquit vir Sanctus, *miſerabiliter flagellabatur, quòd â planta pedis usque ad verticem nihil manebat illæſum, niſi ſolùm lingua, quæ pro peccatoribus, & latrone oraret in cruce.*

203. Niſi experientia doceret quotidiana, nullus crederet rabidi canis ſtultitiam, quando lapide ictus, vel gladio ſaucius furorem ſuum in has ſui mali cauſas exerit, & incaſsùm furendo plura ſibi ipſi damna accerſit. Tam ſtolidus ordinariè eſt vindicandi ardor, ut longè plùs ſibi, quàm adverſario noceat. Quid enim petis homo in vindictam pruriens? an reddere malum pro malo, & injuriam inferre illi, qui intulit? an putas te id omni tuo conatu obtenturum? non conceſſerim. Malum quidem ſemper reddes, non tamen tuo id reddes adverſario, in tuum reſiliet caput malè vibratum telum. Quot vindictam ſpirantes vitæ jacturam fecêre, dum alios vivis ibant exturbatum? in foveam incidêre, quam inimicis ſtruxerant! victimæ ſui furoris cecidêre, dum cruore alieno litare ſitiebant: *Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum ſuum.* Pſalm. 36. v. 14. & quid evenit? *gladius eorum*, inquit Regius Pſaltes, *intret in corda ipſorum.* v. 15. Nempe enſis, quo alios impetebant, aggreſſores ipſos confixit. In arenam deſcendit Goliathus, ut Davidem ſterneret, & in arena David occidit Goliathum, illíque ipſius Gigantis proprio enſe blasphemum caput præcidit. 1. Reg. 17. v. 51. Ita ùt plurimùm contingere videmus, ut duello ille pereat, qui alterum ad duellum provocavit: & quid mirum, cùm id ſit oraculum æternæ Veritatis: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth. 26. v. 52. quod exemplis probat à Lapide in Deuteron. cap. 21. v. 3.

Incertum eſt malum, quod adver- 204.
ſario tuo paras, id certum, quod inde tibi nunquam non obvenit. Minimùm perit veniæ gloria facientis te filium Dei, & oritur vindictæ ignominia poſt ſe jugiter trahens diaboli paternitatem. Hinc monebat Divus Chryſoſtomus: *Ne igitur putemus, cùm beneſacimus aliis, quòd magnum quidquam beneficium apud illum deponamus, nam ipſi ſumus, qui beneficio fruimur.* hom. 27. in Gen. advertítque Sanctus Doctor ab Apoſtolo dici: *Donantes vobis metipſis.* Coloſſ. 3. v. 13. Lex enim iſta non tam in favorem injuriam inferentis, quàm illam patientis,

veniamque largientis est posita. Hinc etiam Chrysologus: *qui vis totum dimitti tibi, totum dimitte: intellige, ò homo, quia remittendo aliis, tu tibi veniam dedisti.* Serm. 67. v. 11. Hoc ipsum, quod inculcavit Christus: *Dimittite, & dimittemini.* Luc. 6. v. 37. Sanctus Marianus: *firma*, inquit, *& indubitata spes gratiæ, & fruitio iis, qui per patientiam expectant.* Serm. 42. Ignoscis homini, & ocyùs tibi ignoscit Deus; nam venia data homini ab homine est velut possessio veniæ datæ homini â Deo; qui verò veniam negat, hæreditate glorioſa cœli se privat: nam scriptum est: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Matth. 5. v. 4. id est, *terram illam*, ùt notat Augustinus, *de qua in Psalmo dicitur, spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* Sermon. 1. de Sermon. Dei.

205. Addit Chrysostomus: *Qui lætus inimico parcit, jam gloriæ coronam habet in capite.* hom. de Davide, & Saul. *Ultionis momentanea delectatio est, misericordiæ sempiterna. Fac tu hodie, quo perpetuò delecteris.* Petrarcha Dial. de vindicta. Quo olim furore corripieris, ubi videris, quod ipsi tibi clauseris Misericordiæ Divinæ januam, qui enim veniam petit, non autem dat, is se ipsum condemnat; qui sic petit: *dimitte nobis debita nostra.* Matth. 6. v. 12. Et debita aliena non relaxat, iste se etiam per quod orat, accusat: cùm judicatur, exeat condemnatus; non quòd oratio ei fiat in peccatum, sed quia suomet ore jam se damnat ante judicium. Portæ cœli margaritis constant, quos alio nomine uniones dicunt: ita Sanctus Joannes in Apocal. *Duodecim portæ, duodecim margaritæ.* cap. 21. v. 21. Quia sine vinculo unionis nunquam obtinebitur ingressus beatæ Sionis. Justitia sine misericordia pro illis, qui non fecerint misericordiam, & totus judicii rigor incumbet homini, qui se inflectere non est passus, ut alteri parceret homini: hinc Ecclesiastes: *Qui vindicari vult, â Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* cap. 28. v. 1. Id fixum, qui non ignoscit, sed in vindictam ruit, ille longè majus sibi, quàm inimico suo malum creat; licèt enim huic vitam auferat momentaneam, at sibi æternam accersit pœnam, & caminum succendit semper arsurum. *Si hoc non fecerimus*, inquit Chrysostomus, id est, si non fecerimus, quod Christus jussit: *Ignoscite inimicis vestris, nihil eos lædere poterimus, nobis autem ipsis intolerabilem gehennæ pœnam paramus.* Homil. 27. in Genes. In venia adversario data sacrificium Deo paramus Martyrio par, imò sublimius. Proin Nazianzenus: *Stephanus cùm lapidaretur, pro lapidantibus orabat, majus aliquid morte Christo offerens.* orat. 19. Binis vicibus martyrii palmam adeptus est Sanctus Stephanus, semel quando in glorioſa Jesu confessione emisit spiritum â Judæis lapidatus, vice altera, quando cœlum

pro

pro lapidantibus se est deprecatus, obtulítque Deo sacrificium grandius in condonatione injuriæ, quàm obtulerit in exhalatione suæ animæ; atque hac de causa adhuc in terris positus vir hic plenus gratiâ & Spiritu Sancto vidit cœlos apertos, & Jesum sedentem â dextris Dei, imò stantem, ut athletam suum coronaret adventantem. Act. 7. v. 56. non solùm, quia videbat Stephanum tam gloriosè pugnantem pro nominis sui honore, quàm quòd pro illis oraret, qui lapidum grandine beatum Diaconum pergebant obruere. Tam bellè scopum suum tangit venia, tam malè â scopo ab errat vindicta.

Idea XL.

Si volumus, possumus.

206. LArvam detrahamus illusioni, in aprico stet veritas. Cæcus nostri amor millies obgannit, fieri haud posse, quæ Deus præcipit: dicimus, id agere nequeo, illud ferre non possum, impossibile æquo animo istud, vel aliud tolerare: mala isthæc, & merissima deceptio est, jam mundi primordio reprobata à Deo. Primum Evæ peccatum Satanæ præluſit victoriis; at vicit serpens astutiâ, non fortitudine. *Sed & serpens erat callidior omnibus animantibus terræ* Gen. 3. v. 1. Succubuit Eva, quia voluit, minimè quia hostem superare non potuit: quæ enim vis mendacii, ut etiam resistere volentem pervertat? imbecillis fuit viventium mater, quia esse voluit; imò quòd esset imbecillis solùm fecit, velle esse. Porrò licèt haud facilè quis inficietur, quod fides docet, quod ratio dictat, obviandum tamen vanis prætextibus, pessimis excusationibus eorum, qui suavi Dei jugo subtrahunt humeros, gravissimo mundi haud gravatè subjiciunt. Et quid non agitur pro vili hoc mundo, & prono animo agitur, & cum delectatione agitur, certè nihil simile pro Deo agitur. Vulgat mundus edictum, totus describatur orbis, ex illicò teste Hagiographo: *Ibant omnes, ut profiterentur singuli, in suam civitatem.* Luc. 2. v. 3. *Ecce omnes* arduo sanè parent mandato, nullus hîc se excusat, nemo ire detrectat, nec dives, nec pauper, non nobilis, non plebejus, neque vir, neque mulier, quò citantur, omnes eunt, grandis licèt restet via, eáque multis ac magnis obsepta molestiis. *Ibant omnes,* nempe sic mundus dictat, parendum mandato ùt ùt difficili, singuli exequi debent, quod præcipitur, quantovis impendio stet præcepti executio. Estne in tota Dei lege mandatum, quamvis

vis obſervatu facillimum, quod univerſi trahat obſervantiam? nihil minùs, unus excuſationes, difficultates alter, interpretationes prætendit tertius. Cæca ubique obedientia præſtatur mundo, vix alicubi oculata Deo.

207. Circumciſionis legem olim filiis Iſraël præſcripſerat Dominus; quò vel ipſe credentium pater Abraham præcipienti Deo auſcultet, quot ſponſionibus? quot promiſſis opus? ut fieret in gentem magnam; ut ſemen haberet quaſi arenam maris, quaſi ſtellas cœli. Gen. 17. Quò Ductor populi electi Moyſes, denique in animum inducat circumcidere carnem filii ſui, ſtricto acinace urgeri debet, ipſa mortis intentatur pœna. Exod. 4. Arduum ſit, oportet, quod hîc jubetur; ubi tantis illiciis, tot minis opus? nihil minùs. En quàm facilè iſtiusmodi mandatum! formâ Dinæ capitur Sichemi Princeps, præputii reſectionem imperat puella, dicto citiùs impetrat non tantùm ab amaſio, ſed à viris Sichimitis omnibus. *Aſſenſique ſunt omnes circumciſis cunctis maribus.* Gen. 24. v. 24. Circumciditur Princeps, cultrum ſubeunt cives, populus, ipſe Rex excepto nullo, *circumciſis cunctis.* Quænam hæc metamorphoſis? an circumciſio tam nuper aſpera, jam converſa eſt in planam? minimè gentium, eadem modò, quæ priùs: ſed antè illam præſcribebat Deus, nunc jubet Dina. Lex mundi eſt, parendum ocyùs domicellæ placitis, licèt vitæ quandoque æternæ diſpendio. Domini præceptum, ut quid valeat, præmiis, promiſſis comminationibus firmandum. Quot laudibus obedientiam Abrahæ extulit ſupremum Numen? quot donis cælicis munerari voluit promptum Patriarchæ obſequium, immolare parati filium unicum? *quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli.* Gen. 22. v. 16. Tantum autem holocauſtum petebat ab Abrahamo Deus, qui quod dedit, etiam auferre potuit, imò iteratò poterat dare, vivis reddendo Iſaacum ad aras mactatum, vel ſi id nollet, beatæ tranſcribendo æternitati. Enim verò heroicum id & excellens, quod Pater Abraham parabat facinus, maximum illud obſequentis animi pignus, quod Deo ſuo exhibuit vir ſanctus, an non improbi multi præſtitêre dæmoni, & utinam non hodiedum ſæpiſſimè præſtent? aſſerti vadem habemus Vatem Regium. *Et immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Pſalm. 145. v. 57. En complura filiorum, atque filiarum ſacrificia, ab ipſis parentibus non ſola voluntate, ſed ipſo opere diabolis oblata, ídque vultu hilari, ore exporrecto, & inſuper ita oblata, ut orco æternùm tranſcriberentur! quid agitis mortales? veſtrarum prolium jugulum petitis, ut ſtygii alaſtoris genio litetis? Attendeſis incaute parens! via illa, quam ſoboles tua decurrit, lata nimis, aleis, choreis, poculis, ganeis undique ſcatet, rectà ducit ad perditionem. Ita eſt, reponis, video peri-

periculi, imò certæ ruinæ plenam: hâc tamen eundum, quia hanc solam mundus digito monstrat. Præeant nati, sequar ego pater, omnes ducamus in bonis dies nostros, omnes in puncto ad inferna descendamus! hoc sanè stupendum facinus! imò mundus toties pro se factum haud amplùs stupet! *quia fecisti hanc rem.* Excusationi porrò locum haud prætendat Abrahamus, nec viri manus concidat, ubi fatalis ictus Dei jussu vibrandus in illum, qui erat dimidium cordis sui. En convictum Herodis exemplo! hic non unum, sed quatuor filios suos imperterritus ambitioni victimas immolat. Ordinatione Dei, qua omnia accidunt, aliis præficitur ineptus regimini, homo insulsus, durus, & asper stipitis instar: reclamant omnes, non ferendum dedecus! quid pejus velit mundus, etiam trunco obedietur, thura lignis ardebunt. *Et servierunt sculptilibus eorum.* Ps. 105. v. 36. Jubet Legislator summus, ferias indicamus stomacho, illicò prætenditur virium debilitas. Petat id ipsum mundus, ne desimus aulæ, conventiculis, forensibus litibus, omnes jejunia producent. *Ecce ad lites, & contentiones jejunatis.* Isai 58. v. 4. Si in sui cultum, aut obsequium populo suo præciperet Deus, cimmelia omnia, quà aurea, quà argentea in unum conferrent, quàm paucos inveniret, qui hîc se non excusatos vellent? hi ob decentiam, aut generis dignitatem, alii ob rem domi suæ angustam, curtámque supellectilem, ipsi carcere detenti excubarent pro his aris, & focis. Poscat id ipsum Aaron, & in eum finem poscat, ut profanæ solennitati, lusibus, saltibus, symposiis, diabolico idolo dona aurea cedant, nulla prætexetur necessitas, nihil oberit dominûs nobilitas, summi æquè ac infimi stabunt prompti ad nutus. *Fecitque populus, quæ jusserat.* Exod. 32. v. 3. Ad cœnam magnam convivas evocat cœlestis Pater familias, nullus venire potest; ille villam emit, hic boum juga probat, alter uxorem duxit, omnes se excusatos volunt, reponunt singuli, *non possum venire.* Luc. 14. v. 20. Invitat Herodes, quàm primùm comparent omnes, nec occupatio detinet, nec retrahit impossibilitas. Quoties Rex Regum per Samuelem præceperat Saul Regi, hariolos, magos, Deorum sacrificulos perderet! nihil minùs, quàm ex Saule perditio hæc. Impossibilis ea censetur, contraria statûs, ùt vocant, rationi, bono regni, publicæ tranquillitati è diametro opposita. Vivant, necesse est, infames poppæ, dum vitæ arbiter devoras has libitinæ poscit victimas. Moritur Samuel, & en nulla mora, cum populi Propheram defluentis lachrymis, noxius Saulis jussu miscetur cruor magorum, & mystarum idolotitis sagitinatorum. *Et Saul abstulit magos, & hariolos de terra, & interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.* 1 Reg. 28. v. 3. Quis hariolaretur, id denique fatis defuncto Samuele facturum Saulem, quod vivente illo à se

fieri non posse jurabat? ambitio scilicet id subin Sauli dictavit; sciret populus, Israëlitico Regi neque mystis, neque alio porrò opus sacerdotio, quàm regali, toto jam regno posse exulare flagitia, modò etiam Saul sit inter Prophetas. En illicò ac punctum honoris, ac mundi lex præcipit, jugulati concidunt harioli, plana sunt omnia, nullum malum exoritur, evanescit *adynaton*. Solius Dei, qui omnia potest, insonet præceptum, en omnia apud homines impossibilia censentur!

1108. Quid ais homo vindictæ appetentior cui manus, & pedes in duella pruriunt! qui meum, inquis, tangit honorem, pupillam oculi tangit! oculum scilicet petis pro oculo, dentem pro dente! alienum quid ab homine putas veniam injuriæ! impossibile dicis velle illi bene, qui tibi fecit malè! itáne impossibile tu hoc dicis? dico & ego: id non potes, quando vult Deus, fac ut ipsus illud velis, & confestim idem poteris. Attendesis, Amnon Regiæ Davidicæ stirpis decus enormiter læserat forore Tamere incesto, ac belluino violatâ stupro Deum. Mandat Deus ad rigorem justitiæ plecti infandum crimen. Rex tamen David atrocem injuriam concoquit immoto non solùm stomacho, sed etiam vultu, neque minimum filio tam atrociter in se peccanti dissplicentiæ ostendit signum, nempe ut sacer textus innuit: *Noluit contristari spiritum Amnon filii sui.* Et cur non, ubi pro indulgentia pœnam ipse præscribit Deus? nempe Davidi, licèt aliàs viro secundum cor Dei potius est beneplacitum suum, & nati amor, mandatô Divino: offendere maluit Deum, quam contristare dilectam prolem. *Quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* 2. Reg. 13. v. 21. Ostendere voluit, quòd etiam sit veniæ locus, quantavis præcesserit injuria, modò subsit voluntas propria, sicque illi lubeat, qui tulit offensam. Paradigma alterum præbet Adonias Davidis filius alter, in oculis curiæ Jerosolymeæ actum. Tricuspidali ferro Absalonis fratris præcordia confoderat Joabus; idque contra expressum Regis patris vetitum. Justa videbatur parricidii vindicta. Deus tamen veniam dictat. Replicat Adonias, majus esse delictum, ac ut indulgentiam mereatur, fraternam cædem sine ultione relinqui non posse. Id ipsum subin suadeat, quam vocant, ratio statûs, suggerat ista scandendo regni solio utilem fore Joabi operam, & en etiam injuriæ memoria abolebitur, quidcunque justi doloris leges obsistant, quantumvis clamet contra fas effusus germanus sanguis, Joabo amicus fit Adonias, *& sermo ei cum Joab.* 3. Reg. 1. v. 5. Ecce hîc rursus fieri non potest, quod vult Deus; ocyùs id ipsum perficitur, quàm primùm id velit homo. Irâ æstuant in Jacobum Esau, in Ammonem Absalon. Unus, & alter, quod antea fieri à se posse negabant, prompti exequuntur restinctis in corde iracundiæ flammis. Nec Absalon audet

audet quid in fratrem suum, præsentiâ Davidis Regis continente hominem in officio. Palatinis ædibus in paganas pelliciendus Amnon, ut furori Absalonico cadat victima. 2.Reg. 13. v. 28. Nec Esau audacia manum extendit in Jacob vivo adhuc patre. Sed exspecta sis ait, *veniet dies luctûs patris mei, & occidam Jacob.* Gen. 27. v.42. Habes iterum gemina in vindictam obfirmata pectora, in his nec sana ratio, nec Domini lex vindicandi ardorem mitigat: ambo tamen mitescunt ad mundanæ politicæ dictamina, & unà fateri coguntur hæreditatis, & successionis cupidini cedere vindictæ pruritum, atque spe lucri & iras premi, & manus ligari, ne ruant in vulnera & cædes. Evæ insitum à natura fuisse serpentis, ac dæmonis odium testatur Abulensis, & ita quidem, ut sine horrore intueri illum nequiret. Sed ùt adulantem sibi, & placentia loquentem percepit, *eritis sicut dii.* Gen 3.v.5. Jam meliori oculo hostem suum dignatur, suadentem audit, fatalis pomi delectatur encomio, eò se patitur induci familiaritatis, ut Deus hasce rescisurus minas rursus intentet serpenti: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* ibid. v. 15. Quid hoc? quorsum abiit congenitus ille horror? quem anteà videre non poterat, ei subin abblanditur? nempe tamdiu antipathia durat, quousque Evæ lubet. Aliter sibi videatur, viperam quoque & draconem sinu fovebit. O quàm justa est causa Domini! quanta æquitas Judiciis ejus! dicis, te ferre non posse hanc ignominiam, istam injuriam, illum agendi modum, & tamen Deus, ut isthæc æquanimiter feras, suæ offert gratiæ auxilia, præsentaneam spondet opem, inferni pœnas remittit, gaudia promittit æterna. Nihil horum sufficit, ut agas, quod vult Deus. Ne quæso dicas, te non posse, dic, te id non velle. Etenim sine his subsidiis, sine præmiis, quæ te alliciant, sine pœnis, quæ te deterreant, ubi illud aut tuis commodis cesserit, aut salivam moveat propriis appetitionibus, aut mundus, aut ipse dæmon petat, illicò poteris, illicò voles. Erubesce, ac confundere, quod pro Deo nolis facere, quod ipse vult, & præcipit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Matth. 5.v.43. Pro tuis autem, & Dei inimicis id ipsum, & scis, & vis perficere. Quis sibi persuaserit, Evam debuisse palmam extendere ad carpendum pomum oblatum à serpente, nequisse manu prehensum non delibare, admorsum non offerre Adamo, húncque non potuisse obtrusum ab uxore malum ejicere paradisi confiniis? sola mala voluntàs conjugem utrumque perdidit, nulla pereundi necessitas. Neminem cogit cupiditas, nisi qui sponte eidem cedit, fixum est, si volumus, possumus.

Idea XLI.

Sibi omnia in malum vertit, qui aliis malè dicit.

209. DE Mida fingebant, vertisse in aurum, quæcunque manu tetigisset; figmentum id erat: verissimum hoc est, quòd maledici lingua inficiat omne purum, obtenebret omne lucidum, in virus convertat omne sanum. Eidem flori insidet apis, & aranea, ambæ rorem cœli è Floræ concha pleno ore hauriunt, sed diversa ratione haustum nectar digerunt: apicula ventre mellis pleno ad alveare suum revolat, aranea virulento humore turgens ad pertexendam telam properat: nempe succum unum eundémque & oris apini dulcedo dulcorat, & gutturis araneæ amarulenti virus contaminat. Notâsse hoc videtur David, cùm dixit: *Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur.* Ps. 40. v. 7. De homine maledico ibi loquitur Psaltes Regius. Ingressus est, ut facta Davidis arbitraretur. Quid autem faciebat David? dixit: *Domine miserere mei.* v. 5. Pœnitentiam agebat, lachrymis, austeritatibus, virtutum exercitio satis faciebat Deo pro peccatis: vidit iste maledicus, & vanitates esse dicit, cùm tamen fuerint virtutes solidæ; unde tanta perversitas! nempe: *Cor ejus congregavit iniquitatem sibi.* ibid. In maledici corde nil stabulatur, nisi malitiæ virus. Unus idémque defluus stellarum, ùt vulgò creditur, sudor est venenum aconitis, qui medicinæ locô servit in rosis, in conchiliis producit margaritas, in arenis reducitur ad nihilum, spinis conciliat duritiem, floribus illecebras addit, liquor ubique in se idem diversa agit pro diversitate subjecti, quo recipitur. Ita actio eadem in ore maledici evadit vituperium, quæ in justi faucibus sonabat encomium. Dicit de Christo Domino Lucas Evangelista: *Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum.* cap. 15. v. 1. Hæc est veritas sacræ historiæ. Audite jam figmenta Scribarum, & Pharisæorum, seu frusta attendite hominum ex maledicentia concretorum. *Et murmurabant Scribæ, & Pharisæi dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* v. 2. Quid dicitis mendacissimi nebulones? anne concio Christi ad publicanos, & peccatores vobis videtur convivium? voces Servatoris apparent patinæ, & dicentis cathedra vobis est instar convivalis mensæ? sed quid de illis dicemus nos: homines erant maledici, homines, qui *murmurabant*, & proin dicebant etiam

etiam de optimis ea, quæ malitia iis in os ingerebat. Dixerat Chriſtus: *Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.* Joan. 8. v. 56. vix iſta dixerat, cùm ecce, reponunt ſtatim linguæ maledicæ! *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* v. 57. nil minùs, quàm hoc dixerat Jeſus, quòd ipſe Abrahamum viderit, ſed quòd Abrahamus diem ſuum viderit, cur ergò peſſimi vitiligatores dicunt, *& Abraham vidiſti.* Nempe nodum in ſcirpo quærunt; ſi murmuratores hi id ipſum dicerent, quod dixit Chriſtus, ſublata eſſet lis omnis, & quæſtio; ut ipſum in verbo capiant, & dicta ejus ſaltem ad ſpeciem poſſint calumniari, aliud quid dicere debent, ac dixit Chriſtus.

210. Miſera terra promiſſionis, ſi talis eſt, qualem te pingunt exploratores ad te miſſi, licèt aliud ad oculum oſtendat uva à Joſue, & Catebo allata felicitatis tuæ maximæ luculenta teſtis: quæ monſtua non alis, quos gigantes ſuſtines, quot muſcæ in Elephantes verſæ ſunt ſub labiis ablegatorum? Num. 13. à v. 26. Nempe ita fieri ſolet, ſi quis mittitur ad referendum, non ea ipſe refert, quæ vidit, aut facta ſunt, ſed quæ voluiſſet videre, aut facta eſſe. Felicem eum patremfamilias Evangelicum, qui vel unum habuit ſervulum, *qui ſcapham ſcapham* diceret. Miſſus iſte á domino ſuo, ut hoſpites ad cœnam invitaret, reſponſa ſingulorum hero ſuo recenſuit, prout data ſunt: *Reverſus nuntiavit hæc domino ſuo.* Luc. 14. v. 12. Ita *hæc*, prout audierat, non prout ſibi ipſe finxerat, nec verbum fidelis ſervus addidit, nec etiam detraxit, unicè id, quod erat, dixit, *nunciavit hæc*, & non alia. O quàm aliis coloribus pinguntur res nuntiatæ, quàm in ſe ipſis fuerint factæ! Amnonem inceſtum jugulaverat Abſalon, & ecce jam medio ore muſſitant nonnulli Palatini: *Percuſſit Abſalon omnes filios Regis, & non remanſit ex eis ſaltem unus.* 2. Reg. 13. v. 30. Unus perierat ex omnibus, & illi omnes periiſſe dicunt, nec uno ſuperſtite. Notus eſt Thamaris lapſus, quæ filiorum deſiderio ex Jacobæa domo perſonatam ſe ſocero Judæ proſtituit: dicítque ſacra pagina: *Ad unum igitur coitum mulier concepit.* Gen. 38. v. 18. En rem totam! ſed ecce quomodo ea referatur â nonnullis: ad ipſum Judam hi accedunt, dicúntque: *Formicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumeſcere.* v. 24. vel ùt habet lectio Hebraica: *Ecce eſt gravida de fornicationibus.* Pro certo ſpargunt delictum, in dubio relinquunt delicti judicium uteri tumorem, ex judicio iſto culpam deducunt, ſed ſi dubium illud, quomodò certa iſta? ſi ſolùm *videtur intumeſcere*, cur ſimpliciter dicitur: *Fornicata eſt*, & quidem repetitis vicibus defertur fornicata: *Eſt gravida de fornicationibus*, cùm veritas ſcripturaria expreſſè dicat, *ad unum igitur coitum mulier concepit.* Quid vultis hæc eſt maledici natura, falſa affirmare pro veris, & dubia pro certis, quò malè fiat illi, cui dicunt malè.

211. Quòd si raro casu ejusmodi furfuris homines boni quidpiam de aliis dicant, tot illud vestient circumstantiis malis, ut vix retineat speciem boni. Dicunt Pharisæi de Jesu, *quia hic homo multa signa facit.* Joan 11.v.47. En laudare volunt, dum de Christo prodigia referunt, vel volunt videri, quòd laudent! sed cur Jesum proprio Nomine non appellant contenti dixisse, *hic homo.* Virtuperare nempe intendunt, dum in ipsa, quam dant laude, contemptum personæ, cui encomium videntur deferre, sua locutione præseferunt. Vident vim divinam in tot à Domino patratis miraculis, quæ Deum potiùs, ac hominem probet, & tamen maledici isti relicto Dei nomine contemptim *hominem* vocant. Personam carpere incipiunt, cùm ejus opera nequeant, imò hæc patrantis contemptu etiam ipsa præclarè acta suspecta reddere attentant, ut scilicet miracula vel pro phantasticis, vel pro dæmoniacis habeantur. *Operatus est Deus, ut pictores in formatione rerum: hi dealbatum antè parietem colorum floribus arte expoliunt, ita Creator ad ornatum mundi properans luce primùm mundi, parietem dealbat.* Ita Sanctus Basilius Seleuciensis: non ita operantur, ut plurimùm homines, sculptores sunt, non pictores, Primò præcisæ arboris ramos putant, truncum undique decorticant, obliqua circumquaque complanant, frustula hinc inde abscindunt, & per repetitos ictus suum denique Mercurium exsculpunt. Nimirùm maledici, cùm etiam quid boni de altero loqui, statuámque ei erigere parant: primò mille malis verbis hominem lacerant, antequam vel unicum bonum suo ore proferant; quod asperum, rusticum, obliquum, & ineptum est, dicunt tolli debere, & unà honorem non tam imminuunt, quàm penitùs infringunt, & amputatis sexcentis ad malum inclinationibus, denique eo loco suam statuam relinquunt, ut suis ipsa pedibus non ampliùs consistere valeat, nec illam porrò radix agnosceret, unde pullulârat; hoc non est beneficium, sed pessimum aliis præstare officium: effundunt ejusmodi nequam encomiastes, primò opprobriorum acervum, ut vel in semine nascitura postea gloria suffocetur: dicunt verbis ad commiserationem nequiter compositis; nisi foret homo hic tam superbus, tam avarus, tam sui Judicii tenax, quàm magnus foret iste homo! En tectam malitiam, qua pejorem haud facilè invenias! Assentiuntur Judæi, ut Christo in crucem suffixo nomen Regis detur, ea tamen conditione, ne scribatur: *Rex Judæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* Joan.19.v.21. Quare id? ideò sanè ut laudem scriberent, non quæ ipsorum ore procederet, sed quam Christus sibi arrogaret, atque adeò encomii loco jactantiæ notam Servatori impingerent. Ita maledici nostri dicere solent: nisi iste, vel ille voluptati nimiùm litaret, dudum sanctus esset; nisi alter impatientiis ubique erum-

erumpentibus se ipsum prostitueret, videri poterat magnis animi dotibus præcellere; isthæc mulier foret, cui vix par alia, nisi ùt plurimùm leviculam se probaret. Nempe, primò utique dicitur: *hic homo*, subin, & serò dicitur: *multa signa facit.*

212. Probè hanc intellexerat David hominum pestem, ideò curiâ sua eliminatam volebat, *detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Psal. 100. v. 5. Et verò in aulis præprimis noxii hi detractores, non solùm, qui secreto, sed etiam, qui dissimulanter de aliis murmurant, quod murmurationis genus est nequissimi artificii. Laudant isti, ut vituperent, ungunt, ut mordeant. Omnia relinquent misello, quem volunt opprimere, nisi quod ipse justè prætendit, vel quo ad ministerium suum opus habet: de milite monachum facient, & de monacho militem. Agatur de uno in Consilium adsumendo, móxque os malum dicet, hominem esse blandiloquum, ac secretorum minùs tenacem, de reliquo rerum intelligentem, nobilem animo, ac egregiis factis clarum, atque laudatum plurimis; sed quid hæc decora memoras, cùm consiliarii propriam viro dotem denegas? quid erat opus laudare à pietate leonem, quia occisi à se Prophetæ corpus non voravit, nec mali quidpiam vivo jumento intulit? *Non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum.* 3. Reg. 13. v. 28. An non crudelis cum Samsone Dalila, quia amasio non præcidit manus tot hostium cædibus inclytas, si abscidit capillos roboris omnis, & heroici valoris fontem? Quid refert, licèt non profundè ferrum corpus penetret, si ipsum cor transeat? talis est lingua maledici, quamvis videatur intra dentes hærere. *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum.* Psal. 18. v. 8. Ita isti loquuntur, ac si nemo eos intelligeret, & tamen locutio hæc occulta, vox subdolè demissa est gladius in labiis eorum pertingens usque ad divisionem animæ. Ludovicus Sanctus Galliarum Rex dicere erat solitus, nunquam sine suspicione loqui, qui velut clauso ore loquuntur, idque fieri dicebat præcipuè in Principum aulis: huic proin malo obviandum, quod maximè putabat, ne fieret immedicabile, nam *venenum aspidum sub labiis istorum.*

213. Rarò credunt, Reges se à suis decipi, cùm audiunt loquentes de aliis, & tamen multùm decipiuntur, si putent, nunquam se decipi; & pejùs foret, si, ne deberent fateri, se deceptos, neque veritatem sustinerent audire: etiam David in hac navi fluctuavit sæpiùs. Retulerat ei Siba de Miphibosetho, quod Hierosolymis remanserit, ut inter Absalonis rebellionem sibi assereret regnum Saulis avi sui. Nuncio credens David bonis suis ocyùs delatum mulctat, eorúmque dominium transfert in delatorem. *Et ait Rex Sibæ: tua sint omnia, quæ fuerunt Miphibosethi.* 2. Reg. 16. v. 4. An possibile à Rege tam justo talem ferri sententiam! ita est.

est. En Abulensis rationem: *Concipere non potuit David, quòd mendacium sibi dicere auderet:* inde quoque id provenire potuit, quia humanæ naturæ congenitum videtur, citò credere defectus proximi, tardè virtutes. Unum Thomas de Divino Magistro credidit, alterum dubitavit. Credidit fuisse plagis & morte affectum, dubitavit fuisse à morte suscitatum. Imperterritè dicit: *Nisi videro fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Joan. 20. v. 25. Unde rescivit Thomas de plagis Domini, & præcipuè de plaga lateris, quia Joannes vidit, earúmque testimonium perhibuit; quare ergò discipulis omnibus asserentibus, se vidisse Dominum à morte resurgentem, non credit idem Thomas? ratio est, quia plagas habere, est nota infirmitatis, huic ut fides habeatur, haud magnô opus: at resurgere à mortuis signum est gloriæ; id licet à plurimis assertum, vix fidem invenit, neque suis oculis hoc credit Thomas, manibus opus, ut denique palpatum credatur. Nempe si sine palpo quivis se ipsum inspiciat, videbit, quòd simus facillimi in credendis aliorum nævis, difficillimi, ubi fides haberi debet eorum gloriis.

Idea XLII.

Puncterium jactum in auras pungit æternùm.

214. MUltùm Apostolus dixit, quando conversationem suam dixit persecutionem. *Audistis conversationem meam in Judaismo, quoniam suprà modum persequebar Ecclesiam Dei.* Galat. 1. v. 13. Tam raræ sunt diuturnæ conversationes, quin fiant innocui cujuspiam insectationes. Dicunt se in conversando terere tempus, non dicunt alienam famam unà conteri. Dicunt se nihil agere, non dicunt, horum dicteriis honorem aliorum pati plurimùm. Frivola excusatio! joci causâ à te prolatum dicis verbulum, & ecce ridendo crudeliter læsisti proximum. *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris.* Psal. 49. v. 20. Anne possibile, quòd nihil agendo alterum perimas, non è venis hauriendo cruorem, sed è genis eliciendo ruborem: rides, & mactas: quietus sedes, & conturbas: ludis, & illudis: jocaris, & in frusta concidis: sedi tuæ inhæres, & contra aliorum honorem insurgis: quis unquam vidit talia? nec tygrides quietæ consistunt, quando suffocant, neque leones, ubi feruciunt. Lancea vibrari debet, si quem

quem transfodiat: fulmen decidit, quando ferit: ipse carnifex insistit pedibus, si cui demetat caput: tu solus sedens in fratrem tuum insurgis, & ense in vagina relicto, oris gladio non advertentem transverberas. Optimè factum à natura, quod rubro colore tinxerit labia, nam circa linguam nil nisi cruentum. Hinc Ecclesia dirum canit mucronem, qui cor Jesu transfixit. *Mucrone diro lanceæ*, licèt cantet *dulce ferrum, dulce lignum*, quia miles lanceam velut jocando, & ut suam in ea tractanda peritiem monstraret, in Christi corpus vibravit. Huic Oliva tom. 2. strom. L. 8. pag. 161. ait, *ut ostenderet, quàm scitè collimaret, hastam in cor Jesu infixit.* O quot vicibus præcordia fratris transfigimus eo solùm fine, ut alii videant nostram in aliis argutè, atque acutè fodicandis dexteritatem. Si crudele quid est, & dici debet, corpus mortuum ferire duntaxat animi gratiâ, quid feritatis illi vulneri inerit, quo alterius cor ad vivum parte honoris sensibilissima perfoditur? David certè à crudelitate tanta liberari petiit inquiendo: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Psalm. 119. v. 2. Ita est, anima excipit sensu doloris maximo vibratas ore maledico sagittas. Ignis consumens est, & quidem avernalis dolosa hæc lingua; omnium tamen pessimam Regius vates dicit, quæ sola pungendi libidine ferit. *Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.* v. 7. Homines ejusmodi simillimi sunt exsuccis, & macilentis spicis Pharaoni per somnium visis, quæ succi plenas exhauriebant, ut se ipsas replerent, *devorantes omnem priorum pulchritudinem.* Genes. 41. v. 7. Nec ignis quidpiam corripit, cujus nullum vestigium relinquit, minimùm cineres, vel carbones remanent. Fulmine ictæ turres, vel castra hostilibus combusta flammis lapidum, vel murorum rudera adhuc ostentant, solus maledicentiæ ignis omnia consumit, devorat *omnem pulchritudinem:* oculum quantumvis venusta facie excutis, & totam, quanta est fœdam relinquis. Regalis aquilæ si vel unguem teneas volatui ineptam reddis, ac captivam tenes. Si ab alterius fama pretiosum separas, quid supererit, nisi vile? Abominabilis est hujus vitii malignitas, quod abscondita, & oblivionis, vel ignorantiæ tenebris sepulta in apricum producit. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Psal. 5. v. 11. Quod non revelat, nisi ossa mortua, & cadaverum tabe infectorum vapores abominabiles.

Res hæc non videtur posse exag- 215.
gerari magis, nisi adducto supplicio, quod Deus intentavit Caino fratricidæ. *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* Gen. 4. v. 7. à malo hominem deterrere volebat Dominus, quò peccati horrorem incuteret maximum, non pœnas æternas, sed id solùm ei præ oculis ponit, patratùm malum occultum non fore, sed in ipsis foribus ocyùs revelandum. Hanc revelationem delicti, atque infamiam inde secuturam etiam tunc, quando pauciſſimi

mortalium terraquam incolebant, Deus credidit efficaciſſimum medium abſterrendi Cainum à ſcelere : & tu maledice cenſebis, nil te in fratrem peccare, quando pudenda ejus revelas, quando per fora, & compita famam illius nequiſſimè traducis. Dei Filius inter ſexcentos hoſtes ſuos duntaxat à Cane liberari petit. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu Canis unicam meam.* Pſal. 21. v. 21. Et à leonibus, tauris, unicornibus, & ejusmodi efferis belluis non magìs ſit timendum, quàm à Cane? non, quia licèt minùs virium iſte habeat, priores tamen malitiâ ſuppleat. Aliæ beſtiæ, ubi furunt, hominem quidem, ſed quævis ſola ferociter aggreditur, at canis, quando latrat, etiam canes reliquos in rabiem concitat, & ad invadendum provocat, & quem ſuis non ſatìs poteſt, alienis conficit telis, latratu ſuo idem præſtat, quod in ſeditione homo unus, qui ſublato ſigno, mille ad arma ciet. Feræ aliæ corpus ſolùm invadunt, qui canino ſunt dente, etiam animos admordent, hinc citato locô dicitur, *& de manu canis unicam meam.* Illæ, ſi feriunt, vulnus haud dubiè infligunt; canis ſi latrat, occidit, ſi non latrat, pejus quid facit; prædam enim extento ungue monſtrat, & nonnunquam ſilentio ſuo emphaſi pleno indicat plura, quàm ſi mille evomeret injurias; à tali canino homine *erue me.* Nil aliud agere videtur, quàm ſufflare, & quidem tranſeunter; ſed halitûs hujus malignitatem loquuntur vel ipſæ arbores ramis ſuis ſpoliatæ, vel radicibus evulſæ: citò nimbus tranſiit, ſed in ſeros annos damnum manebit.

Spiritus Divinus, cùm de illis loquitur. Proverb. 26. v. 22. dixit: *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia*, Hebræi, *quaſi blanda, & ipſa perveniunt ad intima ventris*, Septuaginta legunt, *& percutiunt ad penetralia viſcerum.* Videntur murmuratorum dicteria innocuè prolata, ſed venena ſunt, eáque lethalia, vix aërem feriunt, & animam totam tranſeunt, ludicra apparent ſpectacula, dum fatales hinc inde ictus infligunt. Naturæ vel maximè malignantis experimur jocularia agnomina, dicto enim citiùs per omnia ora currunt, nec ſemel impreſſa menti, unquam ampliùs oblitterantur. Hinc curam habuit Deus, ut homo antequam tenebris ignorantiæ peccando involveretur, rebus præſertim animatis imponeret nomina. *Omne, quod vocavit Adam anima viventis, ipſum eſt nomen ejus.* Geneſ. 2. v. 19. Nomen enim ſemel inditum ſemper remanet, & dicterium agnominis joculariter impoſitum rarò abjicitur, ſi primitùs leonem vocâſſet aſinum homo primus, leo jugiter aſininum habuiſſet nomen, & leonino gloriatum eſſet vile jumentum, ſi Leo audiſſet in prima vocum ſortitione. Adam ergo, qui animantium merita agnovit, etiam nomina volente Deo iisdem impoſuit. Necdum planè natus erat Jacob, cùm ei *tendentis inſidias* vel *ſupplantatoris* nomen obſtetrix dedit: *appellavit eum Jacob.* Gen. 25. 216.

25. v. 26. Nomen istud neque tunc amisit Patriarcha, quando ipse Deus in Israëlis nomen id vertit, *nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Genes. 32. v. 28. Nam ad mortem usque Jacobum vocare perrexerunt, ùt videre est. Genes. cap. 49, v. 1. Atque etiam hodiedum Jacobi nomen frequentiùs auditur, quàm Israëlis. Sic Zaræ frater etiam patribus appositus *Phares* dicebatur: istud necdum nato, quòd inter germanos prior ex utero prodiisset, nomen impositum fuerat ab obstetrice, *& ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares.* Genes. 38. v. 29. Isboseth Saulis nepos nactus erat proprium sibi, ac decens nomen, ùt verò à lapsu quinquennis puer claudicare cæpit *Miphiboſethum* nutrix appellavit. 2. Reg. cap. 4. Nec alio posteà, quàm isto; nomine vocari est auditus. Davidem Filium Isai ignominiosè nuncupaverat Saul, ídque audientibus aulicis. 1. Reg. 22. v. 7. Et illicò primus Saulis Minister Doëg, eo ipso nomine Davidem appellavit: v. g. dicens; *vidi filium Isai.* Lapsis inde annis multis rebellans populus Roboamo Davidis nepoti insultavit, *aut quæ hæreditas in Filio Isai.* 3. Reg. 12. v. 16. Sed reducatur iterum Doëg, qui sicut primatum habuit inter Saulis proceres, ita nulli maledicentiâ concessit. Vafer hic homo satis perspexerat aversum Regis sui à Davide animum, & omnibus iis, qui Davidi faverent, quos inter erat Achimelech: quò ergo hunc perderet, sibíque majorem gratiæ locum pararet, vias omnes excogitabat. Viderat fors ille Davidem in templo Nobe, & confestim nunciavit Sauli: *vidi Filium Isai in Nobe apud Achimelech, qui consuluit pro eo Dominum.* 1. Reg. 22. v. 9. *Nequam homo*, dicit Hugo Cardinalis, *idfinxit, ut majorem iram Sauli contra David, & Achimelech concitaret: nec enim consuluit Deum pro David.* A lapide ibi: maledicæ linguæ ocyùs detulit Saul, mandátque cultro sacrilego mactari octoginta quinque sacerdotes Domini: audiit hominem Saul, credidit illi, & locò pœnæ impio ori præmia decrevit: at subin vitâ, atque etiam animâ stetit misero Regi putidum Doëgi mendacium, & servi ori nequam adhibitæ fidei luit supplicium.

Idea XLIII.

Lingua, quæ omnia inficit, veneno ſolo ſe nutrit.

217. TErribiliúsne an mirabiliùs videatur, quod pleraque trahantur in ſequiorem partem ab hominibus. Vident miraculum à Chriſto patratum, cúmque effectum per ſe patentem in ratione portentoſi inficiari non poſſint, cauſam criminantur, atque dæmonis ope factum blaterant. *in Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Luc. 11. v. 15. Dæmonium mutum energumeni corpore expulerat Servator, quod ipſi à malo ſpiritu jam poſſeſſi nequierant expellere; & en, cùm negare non valerent factum prodigium, ope dæmonis factum confingunt! *in principe dæmoniorum ejicit.* In admirationem Doctrina Chriſti omnes rapit, faſſíque ipſi hanc non fuiſſe in terris comparatam: *quomodò hic literas ſcit, cùm non didicerit.* Joan. 7. v. 15. Cùm ad cœlos recurrere debuiſſent, ad avernum ſe conferunt, eáque è ſchola Magiſtrum hunc ſuam traxiſſe eruditionem blasphemant. *Dæmonium habes.* v. 20. Idem Salvator viſum reſtituit cæco, miraculum ſpectantibus iis ipſis, qui omnia Domini opera carpebant, cúmque factum non poſſent abnuere, condemnant circumſtantiam facti, & ipſum factorem: *non eſt hic homo à Deo, quia Sabbathum non cuſtodit.* Joan. 9. v. 116. Paraliticum ſanat jam triginta octo annos in ſua infirmitate habentem, ac repente ſanat; & licèt videant manifeſtum prodigium, non tamen ſacrum quid in eo vident, ſed potiùs tanquam profanum inſectantur patratorem prodigii, eò quòd ſabbatho fuerit patratum. *Propterea perſequebantur Judæi Jeſum, quia hæc faciebat in ſabbatho.* Joan. 5. v. 16. Ecce ad ejusmodi ſigna dæmones agnoſcere Chriſtum Filium Dei! *quia tu es Filius Dei.* Luc. 4. v. 41. Ad quæ homines eundem arguunt filium diaboli! an malitiâ hac major concipi poſſit, ſi diabolicam ſuperat? videamus id adhuc clariùs. *Venit Princeps hujus mundi*, dicit Chriſtus, & quocunque invidiæ oculo me, & omnia mea inſpexerit, nihil tamen invenit, quod carperet: *& in me non habet quidquam.* Joan. 14 v. 30. Homines verò nefarii, & hos inter Principes ſacerdotum non ſolùm aliquid, ſed multa invenerunt, quæ non tantùm carperent, ſed etiam ad Præſidem Romanum deferrent. *Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis.* Marci 15. v. 3. Nempe contingere poteſt, ut ſanctus quis ſit, & valde ſanctus, ut mira-

miracula faciat, eáque tam luculenta, quibus nil deſit, quin pro miraculis haberi debeant etiam ab impiis, nunquam tamen deerit virulenta lingua, quin aliquid contra ogganniat, quin dicat, *in Beelzebub ejicit dæmonia.*

218. Quidcunque moliâre, murmurantem linguam non amoliêre. Manifeſtum hoc fecit Chriſtus Jeſus apud Sanctum Lucam. Venit Joannes Baptiſta nec comedens, nec bibens, *& dicitis*, inquit Dominus, *dæmonium habet.* c.7.v.33. Venit ipſe Chriſtus comedens, & bibens licèt juxta omnes temperantiæ leges, & dicitis, *ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum.* v.34. Quid ergò his linguis facias, quòd dicant, rectè factum: ſi comedis, murmurant, ſi non comedas, rurſus murmurant, nullus immunis eſt eorum telis, nec qui vacat jejuniis, nec qui non vacat: nullus ſatisfacit, nec qui ſequitur rigorem auſteritatis in deſertis, nec qui affabilitatem oris exhibet in urbium compitis: nec placet Joannes Baptiſta innocuus pœnitens, nec Jeſus Paſtor optimus pro ovibus ſuis animam ponens. Murmurandum eſt, non quia adeſt murmurationis cauſa, ſed quia nunquam deeſt vitioſa murmurantis lingua. Inhæret Magdalena vanitati, deliciis, indecoræ converſationi, & dicunt: *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix* Lucæ 7.v.37. Plorat vitam ſcandaloſam proſtrata ad pedes Chriſti, hos ungit, oſculatur, lachrymis rigat, & tamen eidem inſultatur jam converſæ, *quia peccatrix eſt.* v.39. Sive cœlum, ſive terram ſapias teſte David, neutro modo caninum dentem mitiges. *Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua ejus tranſivit in terra.* Pſalm.72.v.9. Homines iſti Ægyptiacis muſcis ſunt ſimillimi, quæ è menſa regia ad ſterquilinium, hinc rurſus ad regales dapes ſe transferunt: lingua eorum culter eſt, qui palmas æquè, ac lolia reſecat, vel gladius dici poteſt iræ Divinæ qui ſanguinem & cœlicum, & terrenum, haurit: *Inebriatus eſt in cœlo gladius meus, ecce deſcendet in Idumæam.* Iſ. 34.15. Aut aquilæ illam comparabis, *quæ tulit medullam cedri, & ſummitatem frondium ejus evulſit.* Ezech. 17. v. 4. Ignis eſt, *qui comedit ſpecioſa deſerti, & ſuccendit omnia ligna.* Joël.1.v.19. Tam virentia, quàm arida, tam florentes arbores, quàm exſuccos truncos flamma iſta devorat, *comedit ſpecioſa, ſuccendit omnia.* Videtur aliqua ſtimulante fame abſumere alia æſtu iræ demetere. Flammea hæc lingua omnia inficit, omnia virulento ſuo halitu afflat: ſi autem in omnia venenum ſpargit, ſibi ipſi quoque virus affricabit. Quando ex montis culmine evulſus grandior lapis præcipiti lapſu deorſum ruit, primò pinos, & abjetes proceras ſubin humiles in valle ſpicas, & gramina ſternit, nullo alio emolumento, quàm ut iſthæc, & ſe cum illis perdat. Sic os maledicum antea excelſa impetit, dein etiam humilia aggreditur, & flores, & ſpinas ſine diſcrimine peſſumdat; eſt inſtar plagæ Ægyptiacæ, quæ

homines invaſit, ſubin & pecudes, graſſatáque *eſt ab homine usque ad pecus.* Pſ. 134. v. 8. Tinea eſt, quæ poſtquam arroſit purpuram, & byſſum, pannos quoque viles conſumit. In Magdalenis pœnitentiæ balneo jam dilutas maculas adhuc notant, unguenti prodigalitatem carpunt, vel quietis otium, quo vacat ad pedes Chriſti loquentis. Publicanos, & aliena reddentes, & ſua erogantes in pauperum manus, & Chriſti hoſpitatores benevolos, nec non Dominum iis ſe ſe, dum ad meliora aſpirant, benignè indulgentem criminantur. *Omnes murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet.* Luc. 19. v. 7. Si Apoſtoli panem manducent, eos id manibus illotis facere, piaculo vertunt. Dei filium ſigna, & prodigia edentem deceptorem vocant: ſi nulla edat, ut in patria factum ſuorum curæ oblitum dicunt. *Medice cura te ipſum.* Lucæ 4. v. 23. Iidem radii ſolis etiam auro affricabunt ſcoriam: *ſub ipſo erunt radii ſolis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum.* Job. 41. v. 21. Ut nihil ſubterfugiant mali oris peſſimos morſus, nec quod lucet in cælis, nec quod eſt alicujus pretii in terris, ùt ùt ex aſſe bona fuerint omnia, malum iſtud effugiet.

219. Tanta eſt hæc peſtis, ut nulla præ ipſa in ſacris paginis vapulet. Eccleſiaſticus magis plectendam cenſet, ac ipſos latrones. *Super furem eſt confuſio, & pœnitentia, & devoratio peſſima ſupra bilinguem; ſuſurratori autem & inimicitia, & contumelia.* Capit. 5. v. 15. Et ratio eſt, quia prædones bona aufferunt, aliquando, velimus, nolimus, certò relinquenda, & ea quidem recuperabilia, ſed murmuratio honorem adimit ex genere ſuo æternum quid, quódque ſemel amiſſum redintegrari nequit: fur inſuper alteri rapit, ut ſibi proſpiciat, maledicus famam carpit alienam, quin ſuæ conſulat. Uti ergò magis odimus ſerpentem, quòd veneno hominem è medio tollat, quin ejus ſe carnibus paſcat, quàm leonem, qui occidit, ut devoret, ſic majori odio dignus eſt homo maledicus, quàm fur, quia nihil illi prodeſt bonum nomen ademptum alteri, utì iſti pecunia commodat ab alio rapta. Alia vice de maledicente locutus idem Eccleſiaſticus dicit, *mors illius, mors peſſima, & utilis potiùs infernus quàm illa.* Cap. 28. v. 25. Pulchra ponderatio? an quid ipſo inferno pejus? ita pejor eſt mors linguæ: infernus enim peccatorem duntaxat cruciat commerita morte, lingua verò innocuum pariter ac reum mactat, nullis attentis meritis, ſed ſola maledicendi libidine. At denique ſibi ipſi lingua hæc erit ſupplicium quando in ſe inveniet ſummum opprobrium.

Et verò quale vitium turpius, & infamiæ obnoxium magis, quàm eſſe ita infamem, ut ex abundantia cordis etiam in os effundatur, atque inde in famam aliorum effluat. *At ſuſurratori odium & inimicitia, & contumelia.* Eccleſiaſt. 5. v. 17. Id certum, vitium hoc eſſe viliſſimum, & 220.

non

non niſi abjectæ ſortis hominibus commune, *ortum eſt murmur populi.* Habet ſacer textus. Numer. 11. v. 1. Ita eſt, vilis plebeculæ proprium eſſe debebat murmurationis delictum: inter tot tamen murmurantes credibile eſt cenſos eſſe nobiles aliquot murmuratores, cauſâ deliciarum ſiquidem exortum eſt id murmuris, iſtásque vehementiùs ſolent appetere plebeis magnates. Nihilo-ſeciùs docet ſacra pagina, vulgare id fuiſſe vitium. *Vulgus quippe promiſcuum*, & nil aliud in hanc ſcenam deſcendit. v. 4. *& accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam caſtrorum partem.* ibid. Sed cur crimen non etiam nobiles luunt? an hîc quoque contigit, quod aliàs ſolet accidere, ut illis impunè peccantibus ſoli ex vili gleba homines plectantur? minimè, alius eſt ſtylus curiæ cœleſtis, ac terreſtris, ùt patuit, cùm Iſraëlitæ adhæſêre filiabus Moab, & initiati ſunt Belphegor, tum enim præcepit Deus Moyſi: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* Numer. 25. v. 4. Et licèt non ſolus Balthaſar Rex vaſa ſacra templi profanârit, ſolus tamen condemnationis ſuæ tulit ſententiam, & ſacrilegii dedit pœnam. Dan. 5. Sed quare contra murmuratores duntaxat plebejos, in caſu noſtro Domini juſtus furor deſæviit! ratio eſt; quia ſummi quoque ad imum vilitatis murmurando depreſſi ſunt, & nobilis etiam animus in maximam vilitatem degenerat, ubi maledicentiæ linguam mancipat. Ipſe dæmonis ſuperbiæ maledici character videtur contemptibilior, quàm qui aſſumi queat, etiam tunc, quando homini peſſimè facere poſſit, hinc in viliſſimum animal ſe transformavit, ſeu in ſerpentem Adamo ſubditum: nôrat enim nullas eſſe linguas magis venales, quàm mancipiorum, præſertim ut heris ſuis adulentur. Serpens ſolus tantùm veneni generat, quantùm ſubin maledicus evomit. Hinc David: *acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Pſalm. 139. v. 4. ídque jam priùs Pſaltes Regius explicaverat addendo tamen, quòd *acuere linguas* id ipſum ſonaret, ac doloſè agere. *Linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Pſ. 13. v. 3. Ita eſt linguarum iſtarum totum acumen mentiri, & aliorum lacerare famam.

Contra haſce viperas iſtam Philippi- 221.
cam habuit Demoſthenes. *Viperam cum conſpexeritis, mox interficitis; ſic item, cùm delatorem videritis, viperinam habere naturam, ne exſpectate, donec aliquem veſtrûm mordeat, ſed cùm primùm occurrerit, puniatur.* oratione 1. contra Acriſtogiton. Si foret amentiæ, morſum excipere ſerpentis, quò illum ferias, quid dementiæ ſit, malam linguam non opprimere, niſi ubi omne virus vomuerit. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar.* Pſalm. 100. v. 5. Dicebat Vates Regius, velut diceret; ſuſtinebo iniquos, atque avaros, neque etiam à ſuperbis

vel

vel malignantibus omninò cor avertam; at verò detractorem nunquam innoxium abire permittam, quin ferro, & igni illum insecter. *Hunc persequebar:* in istum iræ, & justitiæ rigorem omnem effundam. Si istud exemplar Principes omnes imitarentur, quàm paucos in aulis reperiemus Doëges, quàm rari magnates, Saulis instar, in perniciem ipsi ruerent! Vespasianus hujusmodi farinæ homines ad flagella, & amphitheatra ablegabat, omni saturandos infamia. Audiant Principes, ac Potentes hujus mundi, quomodò supremus Dominus in murmuratores olim animadverterit. Murmurabant Israëlitæ dicentes contra Moysen, vel potiùs contra Deum: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ, anima nostra jam nauseat super cibo hoc levissimo.* Num. 21. v. 4. Et quid querelis, hisce indicare volunt nequissimi homines? an quòd Deus in fortitudine digiti sui eos exemerit Pharaonis miserrima servitute, in qua diurnis, ac nocturnis gravati laboribus, nec quod roderent, habebant? an quòd eos tot prodigiis inde liberaverit, aperuerit iter per mare, dux fuerit in columna ignis, quod manna ipsis pluerit in deserto, & similia sexcenta beneficentiæ paternæ dederit signa? ita est, hæc omnia innuunt. Sed ista omnia in ipsorum ore nil sunt aliud, quàm famis, & mortis notæ, hæc vocatur eductio, quam consequatur ineluctabile fatum in solitudine. Gentem sanè perversam supra modum! malitiam sine exemplo! sed audite, quid ad pessima hæc dicta justè iratus Dominus. *Quàm ob rem misit Dominus in populum ignitos serpentes.* ibid. v. 5. Ut scilicet ostenderet serpentinas hasce linguas, quæ virulentiâ sua alios afflant, ipsas serpentibus igneis devorandas esse. Hîc ipse Dominus de sceleslis vindictam sumit, nec ministris suis murmurationis pœnas infligendas committit. *Misit Dominus.* lascivos pugioni Phinees configendos tradet, vituli adoratores ministrorum suorum manu iræ divinæ cadent victimæ: Senacheribi exercitum sternet Angelus. At verò murmuratores sibi plectendos reservat Deus, ipse in sceleslta capita fulmen vibrat: non evocat propterea è montibus ursos, ex silvis leopardos, sed nova monstra in hunc finem creat, *ignitos serpentes*, quorum mortale virus icti sentiebant, quin eorum naturam nôssent: viperæ erant serpentes isti ob vim veneni, ignei erant ob vehementiam ardoris. Res notatu digna! quo Deus ostendet doloris magnitudinem in morte unigeniti sui Filii, neutiquam creaturas novas omnipotenti sua manu producit: id tantùm imperat; petræ scindantur, montes tremant, tellus motibus concutiatur, solis jubar atro obducatur peplo, & squallidum quid fœdet cœli terræque faciem. At verò, ut commonstret iram in murmurantes conceptam, monstrosos recèns colubros creat, ac plagas perillos hominibus infert, nunquam antea visas.

viſas. Trepiditate mortales hoc vitio infecti, quia ſi humanam vindictam effugitis, Divina aderit, licèt vel hydram infernalem evocare debeat, quæ venenatis ignibus vivos comburat: vel ſi id non præſtet avernus, venenum ſuum linguis inſtillans maledicis, ipſæ hæ toxico undique turgentes non minùs alios, quàm ſe ipſas occident. Vanè ſibi peſſimi hi murmuratores perſuadent, infectis cæteris malitiam ſuam mirabili metamorphoſi verſum iri in ipſam bonitatem. Sed nunquam minùs Regis nomen baſiliſco aptatur, quàm quando vel maximè tyrannidem oſtendit in mactando innocuo pecore, quando ſolus campis, & agris dominatur: nam ſi ſolus, quomodò, vel cujus erit Rex? & quis ſibi perſuaſerit, quòd, qui tanto veneno abundat, ut omnes cæteros è vivis eliminat, nil porrò reſidui habeat, quo & ipſe pereat? qui tot in aliorum oculis feſtucas notat in ſe ipſo habebit trabem, quam alii advertent, quantumvis linguam ſuam contra alios acuat.

222. Cum magnatibus terræ Eccleſiaſticus loqui videtur, quando dixit: *Sepi aures tuas ſpinis.* cap. 28. v. 28. Moloſſis contra lupos emiſſis collum armant annulo ferreo, cuſpidibus undequaque horrente, ne voracium brutorum fiant prædæ, quin & ipſa hinc inde vulnerentur. Ita inquit ſacer Encomiaſtes, ne tecum loquantur maledici, ne propicis accedant, & ad aures tuas peſtilentes hi ſoni allabantur, muni auditum tuum ſpinis: non ſufficit ab iis fugere, fodere iſtiusmodi oportet; non tantùm opus eſt diſſentiri eorum dicteriis, ſed pungi debent, ut ſentiant, quàm malè pupugerint ipſi, vel pungere meditentur. Audet tellus malignos vapores attollere, cœlúmque inficere, & aſtrorum vel tollere, vel hebetare ſpecioſum lumen. Quid ſtellarum Princeps ſol hîc agit? immodici coloris radiis vapores iſtos ferit, atque eos vel omnino diſſipat, vel tempeſtates ex iis efformat, & miſerè tellurem affligit grandinibus, tonitruis, pluviis, ac fulminibus in eam demiſſis: inundantur inde campi, opprimuntur ſegetes, eradicantur vites, & arbores, ipſa ædificia non rarò corruunt, ut terraqua ſentiat in ſupplicio audaciam, & ſciat cauſam ſe mali ſui unicam fuiſſe; ſic te quoque leonem exhibe, cum vulpibus iſtis, ne te porrò laceſſant. Scito ſuavibus aromatis minimè fugari viperas. Sapientiſſima illa cœli Regina pedi ſuo tendiculas proditorias tendenti aſtutiſſimo ſerpenti eo ipſo pede caput elidit, ne virus ſuum evomat, *ipſa conteret caput tuum.* Geneſ. 3. v. 15.

Idea XLIV.

Qui murmurationes non vult audire, neque loqui debet.

223. ETiam Jesu mansuetudo novit retorquere, ubi opus est, tela in se vibrata. Impetunt illam Pharisæi dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum; non enim lavant manus cùm panem manducant.* Matth. 15. v. 2. Christus, qui videri non vult Magister discipulorum suorum defectus connivens, illicò calumniam retundit hoc objecto adversariis bolo: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.* ibid. v. 3. Pharisæi carpunt in discipulis Christi confictam malitiosè labis umbram, Christus veritatis Doctor manifestat legis notoriam transgressionem; tam aptè jactum altiùs penetrat spiculum. Id malesuadi meruêre, lapides jaciendo in tectum alienum, cùm scirent vitreum esse tectum proprium. Ex puro auro debent esse emunctoria in Salomonico templo, ut muccos ibidem ardentium luminum ritè detergant. Hinc Rex Idumæus inter reliquum ornatum fieri jussit, & *forcipes aureos.* 3. Reg. 7. v. 49. Aurei etiam sint ii, qui emungendi officium sibi arrogant, sciántque, neque hîc futuros omni labe puros, cùm plerumque nævos ab aliis absterso sibi ipsis affricent, haudquaquam emunctæ naris homines. Non multùm irascitur Amnonis incesto David jam factus adulter; neque etiam severiùs plectit Absolonis parricidium memor Uriæ necis à se imperatæ. Samuel lentè procedit in justificanda sua in populo judicando ratione, nec priùs quiescit, ac omnes fateantur, non passum se unquam corrumpi donis, quæ frequentior est judicum, & magis detestanda labes: sed cùm in hoc genere Samuelem nemo accusat, cur ipse se tam solicitè excusat? respondet à Lapide: *suæ integritatis testimonium posuit à populo, ut liberiùs eum de suis sceleribus redarguat.* 1. Reg. 12. v. 3. Timebat siquidem, ne corriperetur ipse, dum alios corriperet. Oculi pulvere sordidi, ac trabem ferentes in ciliis, ne præsumant notare paleas in oculis alienis. Manus inquinatæ sanguine, ne luteas emaculare audeant, néve nigræ dicat, discede hinc cacabus ollæ. Ille solus, qui in veritate asserere valet: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Joan. 8. v. 49. lapidem impunè in alios mittet.

Sed ùt plurimùm fieri solet ab iis 224.
acriùs murmurari, qui in se habent amplam, ut de ipsis alii jure murmurent,

murent, materiam. Luna referta maculis ſolem, quem eclipſat, velut maculare intendit, & pomum, putridum reliqua vitii antè immunia non multò poſt putrefacit. Nil magis oppoſitum luci, ac tenebræ, nec diei claritati, quàm nox atra: ſed quid tenebræ, & nox ſplendida obſcurare prætendunt, cùm ipſæ ſint obſcuritate ipſa vix non obſcuriores? Nullus Apoſtolorum peccatricem dixit Magdalenam, ſolus Phariſæus, qui erat totus in peccatis, auſus eſt dicere: *quia peccatrix eſt.* Luc. 7. v. 39. Cúmque innocui eſſe debuerint, qui mulierem in adulterio deprehenſam lapidare erant permiſſi, nullus ſuarum conſcius culparum lapidem ſuſtulit: dixerat delatoribus adulteræ Chriſtus, *qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8. v. 7. At illi ad hominem hæc dicta *audientes unus poſt unum exibant.* v. 9. Solus ille, qui in oculo geſtabat trabem, in fratre ſuo notavit feſtucam, & hypocriſis notam idcircò tulit. *Vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.* Matth. 7. v. 3. *Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo.* v. 4. E contra nullus hoſpitum regias ad nuptias vocatorum, quia eorum quilibet veſte charitatis ornatus erat, advertit nuditatem mali illius ſervi, qui ejectus ſubin eſt in tenebras exteriores, ſolus, cui id ex officio incumbebat, defectum illum prodidit: *Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali.* Matth. 22. v. 11. Jam quatriduanus Lazarus jacebat intumulo, nec tamen malè olet Chriſto, ſed Marthæ defuncti ſorori, quæ idcircò ei dicit: *Domine jam fœtet.* Joan. 11. v. 39. Et fortè ipſa culinæ fuligine inuncta, hujus omninò gratum odorem ſpirabat. Vilis vermiculus hæderam arroſit unicum umbraculum, ac ſolatium Jonæ. capit. 4. v. 7. Donec Moyſes & Aaron omni culpa vacârint, blandè delicta populi corripient. *Audi Iſraël.* Deutron. 6. v. 3. Sed poſtquam ipſi in fide titubârint apud aquas contradictionis, ſubditos ſuos durè excipient, *audite rebelles, & increduli: num de petra hac aquam vobis poterimus elicere?* Num. 20. v. 10. Quis credat, mulierculam Samaritanam, quæ viros quinque jam habuerat, non ſuos, & ſextum actu habebat, virum, ſed amaſium, in Chriſto notaturam Judaiſmum, quæ in ſe ipſa mæchiam tam enormem non notabat? *quomodò tu, Judæus, cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana!* Joan 4. v. 9. An quid inſulſiùs dici queat? ſed ita eſt, illi plùs de aliis dicunt, qui, quod de ipſis dicatur, plùs habent.

Crede ſis, majus eſſe rotæ, quàm 225
oneris, quod defertur, vitium, ſtridor in curru moto editus: neque calori tribuendus potiùs ac cicadæ ipſius naturæ, querulus ſonus. Oculi, qui omnia vident, ſe ipſos non vident, & dum reliqua ſemper aſpiciunt, ſemet nunquam conſpiciunt. Quivis vigilare debet ſuper gregem ſuum. Felices paſtores, qui cum Bethleemiticis vocari merentur ad cunas Agni!

quibus dici queat: *cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum!* Luc. 2. v. 8. Ita felices, ſi ſenſus, potentias, & actiones ſuas ritè cuſtodiant, qui vigilant ſuper *gregem ſuum.* Hi ideò curam gerunt rerum ſuarum, quia alienas non curant, & vice verſa, qui de his non ſunt ſoliciti, ideò de illis omnem habent ſolicitudinem. Et hoc procul dubio opus eſt. En Paſtor bonus, qui utique maximopere oves ſuas curavit, non tamen omnes in officio continere potuit; unam per avia, & devia aberrantem poſtliminiò humeris ſuis ad caulam deferre debuit: *invadit ad illam, quæ perierat.* Luc. 15. v. 4. Altera lupi avernalis faucibus ceſſit, dum *laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 25. v. 5. Tertia aliquamdiu à ſuo Paſtore receſſit, quando ad ancillæ vocem cæpit deteſtari, & jurare, *quia non noviſſet hominem* Matth. 26. v. 74. Denique diſperſæ ſunt omnes, & ſingulæ, cùm percuſſus eſt Paſtor, prout ipſe prædixerat: *& diſpergentur oves gregis.* Matth. 26. v. 31. Licèt poſtea redierint, Juda excepto ſingulæ Paſtoris amore attractæ. Et volet homo miſer ſui gregis tam modicam gerere curam, ut totum ſe impendat alieno curando! id certò non fiet citra maximum ipſius diſpendium. Tu defers identidem defectus aliorum, & tuos nunquam ad tribunal vocas, neque attendis, quòd plurima in te ipſo ſint, quæ ab aliis deferantur. Quoties contra alios murmuras, quòd illi contra te jure murmurare poſſent? audi Iſaiam: *væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* Cap. 33. v. 1. Qui venatur errata aliena, ut delicias paret harum venationum famelicis, videat, ne alii ſuas feras conficiant publicæ abominationi ſubin futurus: infamiæ denique convincetur, qui diu in aliorum famam graſſari eſt auſus.

Sunt & ii non pauci, qui lucere ap- 226.
petunt aliorum umbris nequiter à ſe detectis: quaſi verò domus propria non poſſet aſſurgere, niſi deprimeretur aliena, aut veſtiri nequiret eorum pauperies niſi centonibus veſtium, quas aliorum detraxêre humeris; *Induit maledictionem ſicut veſtimentum, dicit David.* Pſ. 107. v. 17. Velut diceret, homo impius ſe ipſum operuit vitiis, quæ aliis detraxit, maledictio aliorum fuit veſtimentum ſuum: ſed inde non glorietur, quia per hoc non fit bonus, quod appareat peſſimo aliquantò minùs malus. *Et intravit ſicut aqua in interiora ejus.* ibid. Homo hic veſte aliena velut pavonis plumis cornicula ſuperbire voluit, & interea vitioſi habitus, quos in aliis detexit à calce ad caput contexêre totum, & iniquitatem bibit velut aquam. Hinc idem Pſaltes Regius, *vana loquebatur, & cor ejus congregavit iniquitatem.* Pſ. 40. v. 7. Alembicum non ſtillat, niſi liquorem hauſtum ex herbis vaſi injectis: ſi roſas, vel cariophillos inferas, aquam extrahes, quam *roſaceam* vocant, *& angelicam*; venenum colliges in eodem vaſe ex aconithis. Hoc Phariſæo accidit jactabundo. Ut ſe bonum homo malus faceret, malitiæ notam

notam hominibus aliis impegit; eum verò, quem præsentem viderat, acriùs notabat. *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, veluti etiam hic Publicanus.* Lucæ. 18. v. 11. Sed tam carò stetit superbo Pharisæo perversa criminatio, ut se publicano ipsi postpositum audierit justo Dei Judicio. *Descendit hic justificatus ab illo* v. 14. En, inquit Gilbertus, qualis fuerit hic in bonitate crescendi, & justitia præposterus Pharisæi modus: se ipsum vult extollere deprimendo alios, gloriatúrque rebus suis, dum alienas despicit, & cæcus iste non videt, quòd gloria hæc in maximam confusionem cedat. *Ipse redolet, non tamen super aromata, sed super sulphura aliorum.* Sermon. 38. in Cantic. Laborabat Dæmon, ut asseclas Christi totis viribus exagitaret: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Lucæ. 22. v. 31. Sed quid inde lucri maligno obveniet hosti, nisi ut eos purget à paleis, & loliis. Non est hoc effundere iram in discipulos Christi, sed quærere suæ perversitatis Societatem, dicit Theophilactus. *Validè urget, si possit nos proditores ostendere, ut tales forent, qualis ipse in Juda factus fuerat Diabolus proditor.* Furibunda hæc Luciferi in aliorum ruinis sese attollendi ratio tertiam stellarum cæli partem ad inferos traxit. Gloriam Filii Dei ille Christo offert, si de pinnaculo templi se præcipitem agat, eidémque offert omnia mundi regna, si ad suos pedes se se prosternat. Matth. 4. v. 6. & 9. Ut scilicet utroque casu conscendat Thronum Altissimi, dejecto illinc vero Dei Filio: *Se Deum studebat profiteri, quasi cunctorum esset Creator*, inquit Chrysostomus. ibid. Notat etiam Rupertus, dæmonem his artibus crevisse, sed ita, ut ex serpente fieret Draco, qui enim ante serpens dici solebat usque ad Pharaonis tempora, subin Draco dici cæpit (sic Ezechiel. c. 29. v. 3. Ps. 103. v. 26. Apoc. 12. v. 7. Et alibi) & quare hoc? ob eam scilicet rationem, propter quam Pharao ipse vocari meruit Draco magnus, quia nempe populum suum, ac regnum augere is voluit depopulatione iniqua Populi Dei, dum filios Israëlitarum aquis suffocari jussit. vide Rupertum de victoria verbi in 1. Cap. Lucæ. Cap. 6. & 7. Sic crescit Dæmon: ita de venenato serpente transit ad virulentiorem Draconem: ita etiam incrementatur tinea domum suam dilatando ex purpuræ spoliis, verùm hîc & ipsa detegitur facilius, detectáque ne porrò noceat, perimitur citiùs.

Idea XLV.

Charitas si cæca non est, ne videat, muta sit, ne dicat de proximo malum.

227. NEmo dicat, se proximum ex corde amare, qui undique est oculus, ut videat, & longè magis, si totus sit lingua, ut prodat alienos defectus. Homo ejusmodi Angelus quidem esse poterit, sed non Seraphim, seu amoris spiritus, nisi præcordia habeat alis instructa, quibus fratri sui errata obtegat. Duo illi, quos Isaias vidit, binis alis Dei vultum tegebant. *Duabus velabant faciem ejus.* cap. 6. v. 2. Quid hoc flagrantissimæ igne Divini amoris mentes æthereæ? anne vultum illum videre non flagratis, qui est vestræ charitatis incentivum & attractivum maximum? Respondet pro ipsis divus Hieronymus: *Tegunt Judicis vultum, ne scelera videat, quæ puniat.* Id nempe agit amor Seraphicus, ut non solùm ipse non discooperiat aliorum culpas, sed etiam curat, ne aliis patescant. Hic est amor purissimus velum ex plumis texere, ne revelentur pudenda aliena, & non alas conficere, quibus instructa lingua quaqua versùs evolet ad ea detegenda, vel in calamos aptare, ut non revelanda æternitati transcribant: Seraphin humanus jure dici meretur magnus Samuel, Deo enim serviebat, atque jugiter divino conspectui erat præsens. *Ministrabat ante faciem Domini.* 2. Reg. v. 18. Servus hic Dei licèt coràm videret nequitias filiorum Heli, quibus & ministerium, & templum Domini profanabant, nunquam tamen aliis delinquentium scelera propalavit, adeò ut neque constet matri suæ fuisse revelata, licèt tantæ taciturnitatis fœminæ, ut etiam preces fundens non loqueretur. Pharisæus conviva Christi mensæ assidebat oculis tam apertis, ut etiam ea videret, quæ ibi non aderant. *Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: hic, si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc 7. v. 39. Nempe videbatur sibi videre Magistri ignorantiam, & Magdalenæ jam plenè conversæ, & tum sanctæ peccatricem vitam. Ita accidit in Pharisæorum conviviis, qui juxta nominis sui ethymologiam malitiæ divisionem profitentur, non unionem charitatis (*Pharisæi* enim iidem, ac *divisi*) at verò in mensa Domini etiam reus condiscipulus haud detegetur: neque facta etiam proditionis mentione scietur ipse proditor. *Hoc autem nemo scivit discumbentium.* Joan. 14. v. 28.

Citiùs

Citiùs delictum quivis de se ipso suspicabitur dicens: *Nunquid ego sum Domine.* Matth. 26. v. 22. Quàm ut vel ipsius Judæ levissima suspicione tangatur. Si Joannes denique id rescivit, dormiens in pectore Christi oculos, & multò magis clausit: *Erat ergo recumbens unus ex discipulis in sinu Jesu.* Joan. 14. v. 23. Diligebat, & diligebatur Joannes, indéque clarum est, secretum hoc fuisse ipsi revelatum: proditionem, & proditorem novit à Magistro sibi patefactum, sed ita novit, ut tamen nemo alius in ejus notitiam venerit, & verè dici potuerit: *nemo scivit discumbentium.*

228. Quàm paucos hodie Samueles, & Joannes mundus videt! quàm multi se in hoc ostendunt Chami similes, qui neque ad dormientis patris defectum oculos claudunt, neque linguam continent, ne aliis revelentur quæ velari quàm maximè debuissent. *Quod cùm vidisset Cham - - - nunciavit duobus fratribus suis foras.* Genes. 9. v. 22. Os impudens! factum silendum omnibus dum Germanis duobus revelat, toti tunc in virili sexu superstiti hominum universitati velut amplissimæ in foro revelat: Magna utique in felicitas, quòd neque domi suæ à filiorum linguis tutus sit pater, si quid negligenter, ac insscius per imprudentiam agat! Et faxit Deus id solùm dicatur, quod revera contigit, & non etiam illud, quod nequam oculus sibi confingit, ut habeat, quod dicat. Si hæc audet amor filialis, quid audebit hostile odium? atque adeò, ùt multi sunt Chami maledicentes, etiam multi inveniuntur, ùt ipse Cham maledicti, & quia tam rari os suum comprimunt, uti Propheta Samuel, ideò tam pauci hodiè occurrent, quibus revelatus sit Sermo Domini. Bene velle Thamar noverat, atque etiam tacere meliùs. Conceperat ex socero Juda, & licèt idcircò ad supplicium raperetur, ùt rea delicti non clamat, non voces edit, neque manifestat sui conceptus authorem, ne infamet, quem amat Jacobæi sanguinis Principem. Jam rogo proxima ita secum discurrit, si porrò taceo, vitâ luo silentium, si denique loquor, soceri fama patitur naufragium: quid ergo agam? infamare præcipuè tanta inunctum affinitate vel maximè contrarium est charitati, me ubi possum non tueri, pugnat contra vitæ propriæ leges: id agam, & ita loquar, ut solus ille sic loquentem intelligat. *Misit ad socerum suum dicens: de viro cujus hæc sunt, concepi.* Genes. 38. v. 25. Misit nempe annulum, armillam, & baculum cum addito, filius meorum viscerum est filius domini horum munerum, vos jam examinate, cujus sint ista? Ita Thamar de eo loquitur, qui se ad mortem condemnat. Ita nurus agit cum socero præeligens ardere in flammis, quàm notam infamiæ inurere illi quem amare tenebatur. Rarum in sequiori sexu facinus, filialis in parentem amoris symbolum! uno verbulo mulier poterat redimere vitam, hanc potiùs vult amittere, quàm debitam nurûs in socerum observantiam dimittere, cremari

mari mavult ipsa, ne igne infamiæ consumptus pereat ille. Et erunt, qui non vitæ, non rei, nec parvæ, nec magnæ amore, sed solùm loquendi libidine de aliis malè loquantur, & ignitos serpentinæ linguæ carbones in proximi honorem evomant, licèt majores atque etiam parentes sint. Quid hi Deo reponent, cùm in Judicio Thamaris exemplum iis objiciet? vel si factum Agaris coràm sistat?

229. Mulier hæc ab hera sua malè habita, Abrahami domo excesserat: in itinere ab Angelo rogata, unde veniret, & quò pergeret? simpliciter respondit: *A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.* Genes. 16. v. 8. Non dicit à facie Leænæ, vel alterius belluæ ego fugio: non queritur de ejus duritie, de sævitia, de asperitate, non dicit: præopto extorris esse domo Abrahami, & semel miseræ vitæ dies claudere in deserto isto, quàm diutiùs ferre prolixum martyrium. Nil horum dicit Agar, sed solùm fugere se à facie heræ suæ. Ita loquitur mancipium, mulier gentilis in fervore iræ, dum actu se elongat à persequente domina, dum molestias suffert itineris, quando nec pauxillum aquæ habet, ut suam, & filii sitim sublevet, & cum Angelo ita loquitur in deserto, ubi à nullo alio exaudiri poterat, quando benignè ex illa causam fugæ indagat, ut eidem esse queat & auxilio, & solatio. Quis in iisdem circumstantiis etiam fortium virorum tanta æquanimitate, & pari moderatione loquetur? quod communiter accidit, id est, ut homines sint virgæ Mosaicæ similes. Dum istam dux populi manu tenet, baculus est, cui innitatur, ejus ope regat, atque etiam corrigat commissum sibi gregem, eúmque tueatur contra Pharaonis tyrannidem: at verò ubi illam Moyses contemptim à se abjicit, statim ac manumissa est, & in terram projecta, veluti sui juris facta fuit, *versa est in colubrum.* Exod. 4. v. 3. Et sibilare incipit serpentum instar, ac pestilenti halitu inficere aliorum præsertim dominorum famam. Inter ejusmodi homines censeri non debet Josephus, & ipse aliis famulatus in Ægypto, qui etiam turpissimè læsus à domina sua, & domino fidem, & heræ de se non meritæ tueri novit honorem: injustissimè enim accusatus flagitii, quod illa intentaverat, ipse etiam relicto pallio declinaverat, neque in justam innocentiæ suæ defensionem, vel verbulum adducit contra Dominæ famam, præoptans duro carcere innocuus ipse macerari, quàm uxoris Domini sui vel minimùm honorem violare. Fortè etiam id apud se cogitans, quod impudicæ heræ, dum castissimum juvenem sollicitaret, antè dixerat: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum.* Genes. 39. v. 9. Et tu neque sacratioribus liliis parces? veneno linguæ tuæ inficies candorem illorum, nulla habita ratione æquitatis, & charitatis proximo tuo debitæ, licèt germanus fuerit frater, licèt superior, licèt parens ipse, aut alius vinculo sanguinis junctus? neque attendes exemplo, aut doctrinæ

doctrinæ Christi, qui non nisi bona de inimicis locutus est, & voluit, ut tu quoque loquerêre. Castitas Josephum retraxit ab adulterio, charitas cohibuit ab impudicæ etiam mulieris diffamatione. Idem & tu faceres, si lilium fores, at quia rubus es spinis horridus, omnes pungis, bonorum æquè, ac malorum famam saucias.

230. Ovicula coram tondente se obmutescit, ac interim lanam præbet, quò etiam fæda omnia tegantur: hinc in Judicio olim ovibus similes ad dexteram supremi Judicis stabunt: *Et statuet quidem oves à dexteris suis.* Matth. 25. v. 33. Sed reprobos capros: *Hædos autem à sinistris.* ibid. Hi enim, quas linguâ tetigerint teniores plantas, suos olim daturas fructus, omnino arefaciunt. Ita nempe ex locis immundis vapores elevantur, ut subin telluris matris ingratitudinem prodant, atque etiam in fulmina versi plectant. Nomen dives Epulo æquè, ac pauper Lazarus habebat, & nomen Servatori notissimum. Sed quod exaltari meretur, mundo patefit, quod infamari, à nemine sciri oportet. Hinc historiam vitæ, & mortis utriusque referens Christus ita incipit. *Homo quidam erat dives.* Luc. 16. v. 19. Et erat quidam *mendicus nomine Lazarus.* v. 20. Dicitur prioris delictum, atque etiam supplicium ad terrorem aliorum, sed non dicitur, cujus sit mala ea vita; mors pejor, & malum maximum, quod post mortem reo incubuit. *Homo quidem inter omnes* homines, est unus aliquis, quem neque nasutissimus quisque vel à longè sub odoret. Idem cernere licet in reliquis Domini parabolis de aliquo damnatorum tractantibus; nempe charitas Christi nec reproborum famam ulla infamiæ notâ afflari permittit. Sic divus Lucas, cùm fœminam peccatricem mysterii ergò cap. 7. induceret, simpliciter *mulierem* vocat omni charactere abstinens, quo individua illius persona dignosci valeret: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* v. 37. At verò cùm idem Evangelista refert, quòd servierit Christo, ac eum fuerit secuta proprio nomine illam appellat, Mariam Magdalenam nuncupat, cúmque referre deberet ejus à septem dæmonibus liberationem, nil de peccatis tunc meminit, solùm dicit: *Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant.* Luc. 8 v. 2. Divinum illud optimi patris Paradigma, quod expertus est filius prodigus, huc facit; viderat à longè parens hic reducem natum, ubi in regionem longinquam profectus, gravissimè ipse patrem offenderat: videt pauperrimum, quem divitem dimiserat, macilentum, ac plenè nudum, ita toto corpore affectum, ut illicò apparuerit, quod solarium ei rependerit Dominus, cui suapte sponte inservire voluit. Misericordiâ motus homini occurrit, antequam limen domûs attingeret, ne misero eo statu ab alio quopiam conspiceretur, & donec à servis stola asferatur, ipse injectis brachiis nudum pallio suo cooperuit. Huc nempe de-

labitur paternus amor, filiorum scit velare, non revelare nuditatem. Addo, quamvis omnium sint involvendæ silentio defectuum maculæ, id tamen strictiùs adhuc servandum cum personis Deo sacratis.

231. Verosimile videtur, quod notavit quispiam, etiam discipulis reliquis notam fuisse Judæ proditionem tum ex avaritia ejus, & subdola agendi ratione, tum ex buccella eidem proditori à Christo porrecta: nihilo seciùs, *caperunt quærere inter se, quis esset ex eis.* Luc. 22. v. 23. Et potiùs quisque de se ipso timuit, quàm de Juda judicium tulit, utpote quem sciebant sacerdotem, Dei Ministrum, & à Christo electum Apostolum, quos ne quidem suspicione mali contingere licet. *Nolite tangere Christos meos* 2. Paral. 16. v. 22. Gradus enim hi sacerrimi! quique illos tangunt, Deum ipsum tangunt! *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei!* Zachar. 2. v. 8. Dii sunt isti; aut saltem quidpiam humana conditione superius. Oleum in Exodo sacrari, jusserat Deus, atque Moysi præcepit: *Aaron, & filios ejus unges, sanctificabísque eos, ut sacerdotio fungantur mihi.* Cap. 30. v. 30. Subin autem addit. *Caro hominis non ungetur ex eo*, v. 32. Attendesis Dux populi, nequis audeat oleo hoc linire hominum quempiam: sed quomodo jubentur liquore hoc inungi Aaron & Filii ejus? ideò, quia Aaron, & ejus nati sacerdotio in obsequium Dei initiati majus quid sunt, quàm homines; Dii sunt, vel sunt saltem supra hominem. Interrogat Christus discipulos suos, *quem dicunt homines esse Filium hominis?* Matth. 16. v. 13. Et reponente Petro, id quod ab aliis dici audierat, subjunxit Dominus: *vos autem, quem me esse dicitis?* v. 15. quasi diceret: alii quodcunqne voluerint, dicant; vos verò non sicut illi duntaxat homines, sed Apostoli insuper mei, quid dicitis! en suos ipse Deus ministros censet majus quid, ac homines. Hinc fimbriæ vestitûs sacerdotalis in veteri Testamento apponi jussa purpura, & mala punica coronata: *deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpurâ.* Exod. 28. v. 33. Ut scilicet constaret, insignia mundi potissima, cujusmodi sunt purpura, & coronæ, vix locum habere in ornatu personarum divino cultui sacratarum, quódque se pedibus eorum prosternere debeant. Quamvis Deus sit, à quo procedit benedictio omnis juxta illud: *aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Vult tamen idem Deus, ut id ipsum sacerdotis ore pronuncietur, proin Numerorum 6. jussit! *sic benedicetis filiis Israël, & dicetis: benedicat tibi Dominus, & custodiat te.* v. 23. Quis ergo contra ipsos linguam extendere audeat? En suo Deus exemplo ostendit, quid viris hisce Altissimi ministris reverentiæ debeamus! murmurant contra Moysen Aaron frater, & una soror ejus Maria; cúmque unum sit utriusque peccatum, dispar tamen evadit amborum supplicium:

cium: Germanam Deus pænâ publica mulctat: *Maria apparuit candens leprâ sicut nix.* Numer. 12. v. 1. Aaron verò idem Deus in abscondito corripit, ne quisquam ex pæna culpam inferret. Mysta erat Dei obsequio mancipatus, hujusmodi neque contingere fas est.

Idea XLVI.

Occultum alterius vitium solùm detegendum ad medelam.

232. PRinceps Apostolorum id encomii charitati dedit: *operit multitudinem peccatorum.* 1. Petr. 4. v. 8. Quali ergò charitate, sine qua nulli patent cæli portæ, instructus sit ille, qui quotidie alienos defectus revelat, sint licèt occulti ac fortè tantùm imaginarii? & non solùm revelat, sed iis coloribus pingit, ut longè majores, ac fædiores appareant, ac re ipsa in se ipsis fuerint! In maritima ea tempestate, in qua ob decumanos fluctus discipulorum animi conciderant, teste Sancto Marco, Christus nil aliud egit, quàm quòd mari dixerit, *tace, obmutesce.* cap. 4. v. 39. Quid hoc mi Deus? ferociunt venti, nec imperas, ut ponant ferociam, sed iis solùm minaris; at quia murmurat mare suorum fluctuum velut linguas exerens, jubes id conticescere, ac muti instar obmutescere? nempe indicare voluit Dominus, cessante murmuratione omnia quieta fore; etiam venti silebunt, ubi maria non murmurent; neque Respublica turbabitur, neque regiminis navicula quassabitur, ubi detumuerint fluctus, murmurationum, ubi mare porrò nullas mordacibus velut linguis eructet suo sinu contentas fæces. *Dixit, tace, obmutesce, & cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna* ibid. Nil quietius charitate: hæc omnia unit, componit singula, brachiis suis, ac sinu fovet universa: etiam peccata operit, & tumulat amor, quæ odium innata malignitate detegit. Quot scelera, eáque enormia advertit in villico iniquitatis Dominus ille? & tamen locô criminum sagacitatem & prudentiam ejus manifestavit, ac laude est prosecutus. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset,* Luc. 16. v. 8. Tacuit ea, quæ commendari non poterant, digna laude, commendavit. Clarum inde fit, Dominum, de quo loco citato facta mentio, Deum fuisse, ex cujus amantissimo corde verbum aliud prodire nequit, nisi substant aliter bonum: *Eructavit cor meum verbum bonum.*

Pſal. 44. v. 1. Hoc Deus dixit, & æternùm dicet verbum bonum, atque adeò bonum, ut per id & cætera fiant bona, *quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Joan. 1. v. 4. Adeò bonum, ut ad reficiendos & exaltandos hos ſe ipſum depreſſerit, ac ferè ad nihilum redegerit : *Exinanivit ſemetipſum.* Philipp. 2 v. 7. Sanctus Hieronymus provocat ad omnes ſcripturæ peritos, ut vel uno loco oſtendant, quo ex Dei ore verbum malum, aut maledictio prodierit. *Audaci pede ad hoc procedo certamen, nullo loco ſcriptum, quemquam à Deo eſſe maledictum, & ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei Nomen adjungitur.* in Epiſt. ad Gal. c. 3. v. 13. Chriſtus prædixit in ſupremo Judicii die vocandos à ſe electos velut à Patre benedictos. *Venite benedicti Patris mei.* Matth. 25. v. 34. Non autem reprobos in ignem æternum mittendos, quaſi maledictos à Patre : *Diſcedite à me maledicti.* v. 42. ùt notavit Origenes Homil. in varios Evangel. locos. Nempe viſcera illa charitatis Paternæ, neque in malo obfirmatis malè poſſunt precari, cùm ſolùm benedicere velint. Ecce hîc ad quid obliget vera charitas, ut tegatur, vel detegatur culpa aliena.

233. Amiſerat mulier illa unam ex decem drachmis, quò rurſus inveniret, *accendit lucernam, & everſit domum, & quærit diligenter.* Luc. 15. v. 18. Quæri hîc poteſt, cur lucernam accenderit mulier? videtur enim de die eſſe amiſſam drachmam, ſi enim de nocte amiſiſſet, quid erat opus accendere lucernam, quam ante jam in cubiculo accenſam habuiſſet. Neque etiam veroſimile videtur inventa drachma de nocte, in vicos egreſſuram, ut amicos congregaret, quæ ea de re ipſi gratularentur : ſi autem de die facta eſt ea indagatio, an non ſufficiebat ſolis lumen, ut facem inſuper ardentem adhibere debuerit? Doctiſſimus Oliva dicit : *Ut vicinas fœminas drachmæ diſpendium lateret, feneſtras occluſit, & lucernam adhibuit.* tom. 3. ſtrom. L. 13. pag. 135. Amiſſa erat drachma defectus hic nullibi notus, niſi in domo mulieris : occludantur ergò feneſtræ, ne quis importunus ſcrutator rem detegat, ac in compita, & fora deferat : ea de cauſa nullam ex ancillis adhibet ſagax materfamilias, ut faciliùs amiſſum numum inveniat; ſed ipſa ſola operi ſe accingit, & defatigationem hic præoptat, ac ejus jacturæ manifeſtationem, Sed quid refert, inquies, defectum eum antea fuiſſe ignoratum, ſi poſtea toti penè urbi debebat fieri cognitus? multùm ſanè refert, nam ſubin in drachma inventa, omnis defectus jam erat abſterſus : qui antea perſeverabat. Parùm intereſt malum innoteſcere poſt remedium, & jacturam in reparato jam damno : ſciatur priùs *inveni drachmam* : dein ſciri citra notam poterit : *quam perdideram.* En hîc modum tegendi defectus proximi tui, feneſtris occluſis hos ſtude corrigere, neque innoteſcat damnum, niſi fortè poſtquam inventum ſit remedium. *Inveni drachmam, quam per-*

perdideram. Si malis gratulantes audire præ condolentibus, cura, ſciatur primò ſurrexiſſe alterum, dein lapſum eſſe. Quærit Alcuinus, cur Moyſes non recenſuerit malorum ſpirituum peccatum, uti recenſuit peccatum primorum hominum? & ſibi ipſi reſpondet, quia illorum non potuit referri emendatio, uti iſtorum. Illud malum erat ſine remedio, hoc redemptionem obtinuit: non vult Deus, ut hagiographi ſui plagas ſcribant incurabiles, ſed eas, quæ pœnitentiæ remedium obtinuêre, & ſalutari exemplo eſſe queant. Quia inquit. cit. Author. *Angelicum vulnus Deus non prædeſtinavit ſanare, hominis verò curare prædeſtinavit.* quæſt. 3. in Geneſ. Prima Magdalenæ pœnitentis actio fuit ploratus: primos paſſus fecit ad Chriſtum, unguentum habuit, quod quis autem ſupra Jeſum effudit? quòd oculis habuerit, ſcimus, quia flevit, quòd capillos, quia Chriſti pedes iis terſit, quòd labia, quia pedum plantas oſculata eſt; ſcimus denique, quòd fuerit Magdalena, quia ſcimus quòd multùm dilexerit Maria, quòd fuerit peccatrix, quia ſubin multùm pœnituit.

234 Quàm amans Pater Divinus filii prodigi! non enim contentus abſtinuiſſe quærimoniis, nec verbulo perſtrinxiſſe diſſipatum Patrimonium, & tot perperam acta, à longè venienti occurrit, expanſis brachiis cecidit ſuper collum ejus, & ſtolam primam afferri juſſit, ut filii nuditatem tegeret: ſubin convivium inſtruxit, nec non ſymphoniam, & chorum, quò iſtis lætitiæ ſignis omnes intelligerent, revixiſſe filium, & inventum eſſe, antequam mortuum eſſe, & periiſſe recordarentur. Sic etiam Paſtor bonus deperditam oviculam ſolus inſequitur, quin alii ſciant, quorſum, & quem in finem ierit, donec inventam potuerit reducere, & ab amicis idcirco gratulationis officia recipere; tunc enim ſine ovis infamia dicere poterat: *congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Luc. 15. v. 6. adhuc majorem curam Jeſus impendit Magdalenæ tuendo honorem, ubi Phariſæus contra illam murmurat. Luc. 7. v. 39. quando Martha de ea apud Dominum conqueritur Luc. 10. v. 40. corrigit quidem iſtam, & illum, ſed non reddit rationem, cur ſancta pœnitens ea egerit, quæ in iis caſibus carpebantur; at verò, cùm in convivio, cui etiam Lazarus interfuit Magdalena Dominum unxit, ac diſcipulorum ora in murmurationes ſolverentur, non ſolùm eam Jeſus defendit, ſed etiam pietatis contritæ mulieris allegat motivum atque inſigne idcirco eidem tribuit encomium. *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, in toto mundo dicetur, & quòd hæc fecit in memoriam ejus.* Matth. 26. v. 13. facítque emphaſin *hoc Evangelium*, in quo ſcilicet ſolus Magdalenæ amor elucet, non alter locus, ubi dicitur, eam defleviſſe peccata ſua, iſtud enim relationem habet ad culpas præteritas, à quibus præſcindit pedum unctio in memoriam Chriſti. Id ipſum Servator intendit, quando

dixit, *ſicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat: ſic & filius, quos vult, vivificat.* Joan. 5. v. 21. Cur non etiam de ſe dicit, *quod vivificet mortuos?* quia Charitas Chriſti non patitur fieri mortis mentionem, quando largitur vitam, nec agi de culpis, ubi ipſe dat gratiam. Hac quoque de cauſa, licèt in Lazaro inveteratum, ac omni vita carentem peccatorem exhibeat, mortem tamen tunc, quantùm poteſt, occultat, ac ſomni vocabulo appellatam minori honore repræſentat. *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, ut à ſomno excitem eum.* Joan. 11. v. 11. Remotóque ſepulchri lapide eidem non acclamat ùt mortuo, ſed ùt viventi, & jubet tumulo egredi. *Lazare veni foras.* v. 43. *nec dixit, ſurge, ſed veni foras, ùt viventi loquens* inquit Chryſoſtomus; quò ſcilicet beneficium vitæ, quod confert, non videatur effectus mortis miſeriæ, quam eliminat. Tanta circumſpectione in noſtro tuendo honore incedit dulciſſimus Jeſu amor.

235. At verò cùm etiam malorum remedia excogitet idem amor, neceſſe eſt, ut ea detegantur, ſed eatenus, & iis duntaxat, quatenus, & quibus opus eſt, ut ea mala tollantur. Eò collimant cautelæ in fraterna correctione facienda à Chriſto ſuis præſcriptæ. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Math. 18. v. 15. *Si te audierit res ſalva eſt, ſin minùs, adhuc unum, vel duos tecum adhibe, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* En nec tunc plures adhiberi permittit, quando pertinacia aliqua in malo detegitur, quàm præcisè ſufficiunt ad fidem in Judicio faciendam: ubi verò nec iſtis vincatur pervicax animus, Eccleſiæ quidem denunciari jubetur, quæ tamen eſt mater, ſuósque etiam graviùs peccantes, & ſponte ad cor non redeuntes, efficaciter quidem, ſed tamen ſuaviter ad officium compellit. Nunquam tamen conceditur peccans proclamari in foris, & compitis, quæ non eſſet fraterna correptio, ſed malitioſa infamatio. Bonam ſe ſororem probavit Martha, dum malè ſentiens de Magdalena, benè tamen circa ipſam operata eſt. Ut Magiſtro epulas in tempore pararet, de multis Martha erat ſolicita, cùm horum oblita Magdalena, ſederet ad pedes Servatoris monita capiens ſalutis: accuſat idcirco prior alteram, quòd ſe ſolam permittat miniſtrare, ſed ita accuſat, ut nil peccet in leges charitatis; nam ſororem defert ad Jeſum, qui poterat remedium afferre: dein id facit in accuſatæ præſentia, ut ipſa ſe poſſit purgare. *Domine non eſt tibi cura, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare, dic ergo illi ut me adjuvet* Luc. 10. v. 40. Hic Zelus fuit, non ille, qui ſe ad vicos, & urbis compita extendit, ubi nullum malo remedium paratur, ſed una ſequitur delati infamia. Non malè hoc in genere proceſſit Regulus, dum Capharnai filio ægro medicinam quærebat. Deſperata enim omni humana ope ad ſolum Jeſum ſe confert, qui Divinam conferre poterat. *Domine,* in-

inquit *deſcende priusquam moriatur filius meus.* Joan. 4. v. 49. Coram aliis tacuit, qui nihil juvare poterant, coram Jeſu locutus eſt, qui opem ferre potuit, atque etiam voluit, cùm dixit: *vade, filius tuus vivit.* v. 50. Prov. 10. Dicitur: *vena vitæ os juſti, & os impiorum operit iniquitatem.* v. 11. Pars prima textus claret, nam juſtus & modo, & tempore, & etiam loco debito loqui ſolet; at verò pars altera non tam videtur aperta. Conſtat enim impios potiùs diſcooperire, quàm aperire iniquitatem juxta illud Davidicum: *ſepulchrum patens eſt guttur eorum.* Pſ. 5. v. 11. Sed tamen etiam hoc fit liquidum: *os impiorum operit iniquitatem*, quia dum mala aliorum patefacit, murmurando hoc facit & non quærit ſalutem iniqua operantium, ſed ſuam in malè loquendo ſequitur libidinem. Non detegit plagam, quò curetur, ſed ut ejus fœditatem nullo fructu alius conſpicetur. Revelat malum multitudini, quæ mederi non poteſt, aperit medico qui medelam afferre poteſt, hinc dupliciter nocet & inferendo infamiam, & non afferendo medelam: adeò ut os impii æquè noceat, dum ſilet, quàm cùm loquitur. Miſerè periit Achitophel, adeo ut laqueo ſe ſuſpenderit. *& diſpoſita domo ſua ſuſpendio interiit.* 2. Reg. 17. v. 23. periit ille, quia eum perdidit Chuſai à Davide ad Achitophelem ut diſſlaret ejus conſilia miſſus. 2. Reg. 15. at cur David inter tot Duces, ac aulicos ſuos hunc, & non alium ejus negotii ergò miſit? reſpondet ſanctus Auguſtinus, myſterium detegendum, ſi ethimologiam nominis inſpexerimus. *Achitophel interpretatur ruina fratris; Chuſai verò ſonat ſilentium.* in Pſalm. 7. Ecce unde ultima ruina fratris oriatur, nempe ex ſilentio, quod alter frater obſervat, ubi non eſſet obſervandum. Vulnus nôſti alterius, & diſſimulas, illi non detegis, qui remedium parare valeret, ſilentio hoc tuo hominem perdis, tibi imputanda ruina, & perditio ejus. Si oculi decipiunt caput, ne pedem regat, oculi luent ſaltem lachrymis pedis corruentis offenſam.

Vice verſa, ſi vulnus medico manifeſtas, id eſt Superiori tanquam patri, lucratus es fratrem tuum, tibi ſalutem ſuam debet in acceptis referre. Volu.t Chriſtus Lazari ſuſcitationi à mortuis aſſiſtêrent ambæ ſorores; videri potuit fratri exhibitum officium, & fuit ingens myſterium. Dicit ſanctus Chryſologus, Mariam aſſiſtere debuiſſe, *quia ſine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari.* Serm. 64. Ubi vides Sanctum loqui de Maria Virgine, & ob identitatem nominis alludere ad Mariam pœnitentem: ſed nomen hoc non erat ambabus ſororibus commune, ut quid ergò & Martha adeſſe juſſa? videtur voluiſſe Chriſtum, ambæ eſſent participes gloriæ reſurrectionis, quia utraque ſolicita fuerat de remedio curationis. Quando enim infirmabatur Lazarus, *miſerunt ſorores ejus ad eum* (ſcilicet Medicum Divinum) dicentes: *ecce, quem amas infirmatur.* Joan. 10. v. 3. Aſſiſtant proin ſuſci- 236.

tando

tando â mortuis fratri non tantùm ùt teſtes, quorum plurimi alii aderant, ſed ut adjutrices, ut gloriari & ipſæ poſſint de obtenta germani ſalute, quæ ſimul laborârunt in obtinenda ejus à morbo liberatione. Sic Joſeph Ægyptius accuſando *fratres ſuos crimine peſſimo* apud patrem (nam matri rem detegere nil profuiſſet) meruit à Davide æquiparari ipſi patri ſuo Jacob, & velut fratrum ſuorum parens celebrari: Ita enim loquitur Regius Pſaltes, *redemiſti in brachio tuo populum tuum filios Jacob, & Joſeph.* Pſ. 76. v. 16. Id quoque hîc notatu dignum, quòd qui fratres Patri detulit, non tamen intentatum uxoris Putipharis adulterium Domino manifeſtârit, licèt delictum poſterius ſuâ pluris intereſſet patefieri quàm prius. Sed parenti dicit crimen fratrum, quia ſic emendandum ſperavit; meritò non dicit nefas uxoris, quia noverat eſſe ſine remedio: imò germanorum culpam ad patrem defert, ut quà pater illam corripiat; nequitiam mulieris ne quidem marito revelavit, quia in hujusmodi criminibus maritus nec pater, neque etiam æquus Judex eſſe poteſt. Delictum autem fruſtrà revelatum nunquam non præſtat fuiſſe ſilentio datum.

237. Abelis cruor fratricidio effuſus ad Deum appellat; ùt habetur Geneſ. 4. v. 10. *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, ſanguis autem Chriſti loquentis ad Patrem adhuc clamat validiùs, *& ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem, quàm Abel.* Hebr. 12. v. 24. Non ſolùm, quia Abelis cruor juſtitiam inclamabat, Chriſti verò clementiam: *ſanguis Abel expetiit vindictam, ſanguis Chriſti miſericordiam.* Anſelmus ibi. Sed etiam, quia Abelis ſanguis deferendo clamat, & ita clamat, ut etiam ab aliis exaudiri poſſit, ſanguis verò Chriſti duntaxat loquitur, ut à Patre ſolo, & à nullo alio intelligi valeat. Neque etiam in caſu Puthipharis ſilendum mirabile famulorum domeſticorum ſilentium, quorum numerus in domo, & nobili, & divite ſanè magnus eſſe debuerit: quamvis impudica Hera magnis clamoribus vim ſibi ab Hebræo juvene illatam mentiretur, & crimen fuerit tam deteſtabile, nullus tamen ſervorum rem Domino vel præmii ſpe retulit, multò minùs aliis extra domum vulgavit. Domi natum erat fictum delictum, domi etiam tumulari debuit. Si id reſciit Putiphar, ab uxore reſcire debuit: *pallium oſtendit marito revertenti domum.* Geneſ. 39. v. 16. dubito, an ævo noſtro res ita tranſigenda foret. Quid momenti alicujus contigit non dicam in palatio, ſed vel in taberna, quòd ſi vel una ancillula reſciat, non ſtatim per compita reſonet, & urbis fora; licèt ii, qui ſcire deberent, ac mederi poſſent, necdum intellexerint? & tamen in domo vaſta Principis falſorum Deorum mancipato cultui, inter famulorum, & mancipiorum greges, nec unus invenitur, qui vim, ut credebatur, Principis uxori illatam, vel ipſi Domino prodat, aut verbulo de ea muſſitet.

Idea

Idea XLVII.

Mala lingua dentem ferit, qui antè dolet.

238. SCribas, & Phariſæos confundere voluit Chriſtus, dum mulierem in adulterio prehenſam ipſi ſtiterunt, & allegata Moſis lege rogaverunt, quid ſentiret, ut vel immitem damnarent, ſi condemnaret, vel injuſtum, ſi abſolveret. At verò Jeſus, qui non venerat judicare, ſed ſalvare homines, adulteram neque damnavit, neque etiam abſolvit, ſed medio uſus ſua pietate digno, ac noſtræ apto inſtructioni in arena ſcribere cœpit: quid autem ſcripſit? quod captioſis hominibus dixit: *qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8. v. 7. & dictum, & ſcriptum omnes, & ſingulos ita affecit, ut unus poſt alterum templo exiret: en emplaſtrum univerſale ad obſtruenda ora loquentium iniqua. Vis ô homo tot, & tanta tibi diſſimulari, & tu nec paucula diſſimulare nôſti: clamas ſi alii in tuam trabem impingant, dum non ceſſas ipſorum feſtucas exagitare. Matth. 7. v. 3. Electrici videntur oculi tui, qui vel delicatiſſimas erratorum paleas ad ſe rapiunt, vel ſi mavis, lyncei ſunt ad diſcernendum malum, & ſimul oculis talparum hebetiores ſunt ad videndum bonum.

239. Guttula fellis integrum fluvium haud reddit amarum. Nec ſponſæ nigrædo derogat pulchritudini. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Cant. 1. v. 5. Facem lucentem in templo ſuo Deus candelabro non dejicit, quia inter ſplendores etiam fumi quidpiam emittit: id tamen curat, ne deſint emunctoriola neceſſaria tollendis ſuo tempore muccis, ne nimiùm lumini officiant. *Operient candelabrum cum lucernis, & forcipibus ſuis, & emunctoriis, & cunctis vaſis olei, quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt.* Numer. 4. v. 9. Non obſtante miſera hac terreſtris luminis conditione non dedignatur Jeſus conſiſtere *in medio ſeptem candelabrorum aureorum*, ùt Apocal. 1. oſtenſum fuit Joanni, quando ibidem hominem vidit ſimimilem Filio hominis v. 13. Qui iſta vaſa aurea contemplatur undique lucem ac ſplendorem emittentia, haud offenditur modico fumo, & elichnii aliquali fuligine. Chriſtus Petro ſupra fluctus maris fidei, & amoris ductu ad ſe venienti manus porrigit, licèt nonnihil titubantem increpet. *Modicæ fidei quare dubitâſti.* Matth. 14. v. 31. Non impedit palmitis fructus, quod ſuo tempore purgari debeat: quòd ſi purgatus licèt nihil fructûs afferat, neque à vite Jeſu vitam accipiet, *ſed omnem palmitem*, inquit ipſe, *in me non ferentem fructum, tollet eum.* Joan. 15. v. 2. Exſcindatur palmes

iſte, & in ignem mittatur. *At omnis, qui fert fructum*, non ſolùm vitam à Chriſto habebit, *ſed purgabit eum, ut fructum plùs afferat*, ibid. Imò putari debent plantæ, ut ampliùs floreant. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit.* Cant. 2. v. 12. Infelix vectigal eſt telluris noſtræ, ut inter flores etiam alicubi ſpinas germinet: jam ſcimus nos homines eſſe ſupra terram gradientes, nec alienum à nobis putamus, quòd pulviſculi adhæreant pedibus noſtris. Etiam in ſelectis à ſe id Chriſtus ſupponit, cùm diſcipulos juſſit illos abjicere. *Quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Marc. 6. v. 11. Quin tamen propterea eſſe deſinant miniſtri Dei, & Evangelici operarii à Chriſto in omnem terram miſſi. *Deſignavit Dominus, & alios.* Luc. 10. v. 1. Si Deus vaccas ab una ad alteram urbem in triumphum trahentes arcam teſtamenti non illico punit, licèt quandoque recalcitrent, & à verò tramite tantillùm deflectant, uti notavit Rupertus in 2. Reg. 1. v. 28. Quare tu oculos tuos defigas in diſtorta veſtigia evangelizantium pacem, dum ſpecioſos eorum pedes videre poſſes in gloria Domini ubique divulgata, & Evangelica meſſe inter tot ſudores collecta: Caveſis, ne linguam tuam Deus puniat, uti olim puniit Ozæ temeritatem. 2. Reg. 6. v 7. Quamvis Sponſæ vultum nigrum viderit Sponſus, illam tamen hoc encomio decoravit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. v. 7. Tibi ob congenitam eam nigredinem videretur deformis; at Dei oculis idcirco formoſa undique apparet. Arbor aſpectu, & cortice fœdior meliores fructus profert, quàm ſi ramis luxuriet, & tereti ſit ſtipite. Ne ſis mali augurii coryus, & pejus crocites, ac peſſimè olfacias ad unam, ùt dici ſolet, leucam, putridum agnum è grege mille vivorum ſine ulla ſcabie ibidem paſcentium, an ob unius defectum ovis caulam integram tuo crocitatu infamabis?

Mali quidpiam deteges in magno 240.
cumulo boni: num tantilla malitia officere debeat tam grandi bonitati. Quot decora exornabant Nabuchodonoſoris ſtatuam; caput erat ex ſelectiſſimo auro: pectus, & brachia ex puro argento: venter, & femora ex ære: tibiæ ferreæ: pedes denique ſolùm ex una parte fictiles, ex altera verò itidem ferreæ: & tamen relictis pretioſis partibus lapis in vilem impingit, *& percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos: tum contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ.* Dan. 2. v. 34. Quàm elegantes quotidie ſtatuas in utroque foro tam civili, quàm Eccleſiaſtico cernimus: ſi prudentiam ſpectes ex auro optimo, ſi candorem animi ex argento, ſi fortitudinem ex ære, ſi doctrinæ ſoliditatem ex ferro, & tamen æſtimandam adeò molem ob pauxillum luti admixti uno ictu murmuratio proſternit,

ac

ac in pulveres redigit, & parùm illud fictilis glebæ, quod inaurabant tanti pretii metalla, & totum operiebant, à maledica lingua ita extenditur, ut velut massa testacea penitùs dispereat, nec relicto totius statuæ frustillo æstimationis, aut boni nominis. Si Cinicum tuum dentem in lutum vis defigere, pedes admorde luteos; quid caput arrodis aureum, & pectus argenteum? & cùm velis lutum reputare lutum, etiam anro, & argento relinque valorem suum. Neutiquam, inquis bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu: terreum quid inest statuæ, in terram & pulveres tota redigi debet? minimùm aliquid boni respice, ubi tot bona concurrunt, cùm nec aliquid mali pati velis: si manus vel pes statuæ scandalizat te, illum abscinde, illam fac, ut exarescat, uti Jeroboam contigit in virum Dei dexteram impiè extendenti. *Et emarcuit manus ejus, quam extenderat contra eum.* 3. Reg. 13. v. 4. Stulti est, vitem putare, quia pampini nimiùm luxuriant? istos amputa, & illam sanabis. Paleas excute, triticum verò, ne cum illis comburas. Cùm balbutit Moyses nihil erit, erit abs re, si taceat. Loquatur Aaron, virgam tamen regat populi ductor validis brachiis, mundísque instructus manibus. Si non potest armatus incedere David, non idcirco pugnæ, & victoriæ ineptus erit: sine armis prosternet hostem, & de Goliath aget triumphum; si lancea, vel telo uti nequit, sine fundâ lapidem vibret in fatalem gigantis ictum. Sic etiam sine suo loco consistere statuam, licèt fictilibus pedibus innixam, ex his enim humilibus basibus moles assurgit aurea, argentea, & ænea. Sed pessima lingua, & os murmurans non discernit pretiosum à vili, atque ferire debet pedem, aut dentem ante jam malè habentem. Pro qualicunque malo, etsi plurima adsint bona, omnia & singula detorqueri debent in malam partem. Pessima hæc lingua similis est corvo Noëticæ Arcæ. Inde enim ille emissus putrido cadaveri vel ad centum leucas distanti inhærebit, reliquis omnibus sus déque habitis. Non sic columba, quæ fædioribus hisce missis, primum quem vidit Noëmo in Arcam retulit *ramum olivæ virentibus foliis* velut pacis lætissimum nuncium. Genes. 8. v. 11.

Idea XLVIII.

Dantur linguæ aliorum erratum ita augentes, ùt vitra optica objectum.

241. IN Exodo legimus de Moyſe: *fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum.* Exod. 38. v. 8. textum explicant Lyra, & alii quod labrum illud non fuerit conſtructum ex materia ſpeculorum, ſed quod circum circa ſpecula appoſita ſint non ad ornatum, ſed ad detegendas myſtarum labes: ita enim loquitur: *aliter exponunt Doctores aliqui, quòd circa labrum æneum erant ſpecula affixa, ut ſacerdotes viderent maculas abluendas.* ibid. Sed quid opus tot ſpeculis, ut unam in vultu maculam ipſi Myſtæ diſcernerent? ut unam videant, haud dubiè ſpeculum unum ſuffeciſſet; ſed ut plures apparerent maculæ, etiam pluribus vas illud indiguit ſpeculis. Quod labrum æneum præſtabat cum multiplicatis ſpeculis hoc maledicum labium per ſe ipſum efficit, ut ſcilicet defectum unicum proximi mirè multiplicet, ex uno mille eruat, & ex actu ſemel viſo, neſcio quos habitus colligat. Mali Philoſophi ſunt hi maledici cum canonis illius in omni Philoſophia recepti, *ex repetitis actibus fit habitus*, neque notitiam ſe habere oſtendunt, dum ex una ſpecie genus integrum, & ex parte totum inferunt. Levi jam ad meliora reductus aliquando Dominum convivio, ut & diſcipulos illius exceperat; cùm illico peſſimorum Scribarum, ac Phariſæorum lingua frivolum illud *quare* in ſcenam producit: *quare* inquiunt, *diſcipuli Joannis jejunant frequenter? tui autem edunt, & bibunt?* Luc. 5. v. 33. En ſemel lautiori non nihil menſæ accumbere, Scribis, & Phariſæis dicitur idem eſſe, ac ſemper commedere, ac bibere! Et licet una fortè vel altera duntaxat vice jejunantes, & orantes illi ipſi viderint Joannis diſcipulos, non ſimpliciter dicent, quòd jejunent, & orent, id eſt, quòd ſemper id faciant, ſed quòd frequenter jejunent, & orent. Nempe hoc ultimum cadebat in laudem, prius in vituperium diſcipulorum. Utì autem parcè admodùm alienas laudes linguæ hæ maledicæ proferunt, ita aliorum probra ubique pleno ore eructant. Hæc eſt malorum loquendi methodus, hæc eſt Phariſaica murmurandi ratio. *Et murmurabant Phariſæi.* ibid. v. 30. vice alia iidem Scribæ Chriſtum adeunt rurſus murmurantes, & ex actu uno ipſum habitum peſſimè concludentes. *quare diſcipuli tui non lavant manus, cùm panem manducant?* Matth. 15. v. 1. Iſtos ipſos homines cæcus natus ſemel validè

dè ſtringebat in ſynagoga, cúmque in forma non poſſent reſpondere ſyllogiſmis ejus, irâ correpti informem hanc propoſitionem efformant: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos.* Joan. 9. v. 34. Unum originis peccatum, uti alii homines, & ipſi quoque Phariſæi (niſi fortè non fuerint, ſicut ille, qui non erat ùt cæteri hominum) cæcus iſte contraxerat, cúmque illud peccatum ſolam animam afficeret, homines iſti ex murmurationibus concreti, ad totum hominem extendunt, ídque quod unicum erat peccatum, plurali numero efferunt: ſed quid mirum, ſi Phariſæi ita loquuntur, cùm vix aliter locuta ſit de fratre ſuo Martha. Juſſerat Jeſus, lapidem tollerent monumenti, quo ſepultus erat Lazarus. Reponit Martha: *Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Joan. 11. v. 39. Solum cadaver jacebat in ſepulchro, non Lazarus jam mortuus: proin illud ſolum fœtebat, non etiam totus Lazarus, ſed quia vitium hoc erat, licèt ſolius corporis, etiam in animam adeóque in totum Lazarum perverſo multorum loquendi more redundare debuit. Neque etiam frater à fratre hîc ſibi meliora promittat. Binis vicibus ſomnia ſua Joſeph fratribus retulerat, & ex his duobus ſomniis illi ſomniatoris officium, vel vitium in Joſepho infecerunt: *Mutuò loquebantur, ecce ſomniator venit.* Gen. 37. v. 19.

242. Res mira eſt, ea tamen certa, famam eundo creſcere. Vix dictum aliquod ab uno ad alterum os tranſibit ſine augmento. Etiam in ſacra pagina, ubi veritas omni ſuſpicione falſi vacat, ubi ſinguli apices myſteria claudunt, res una eadémque diverſimodè refertur, ſine tamen ullo, ùt per ſe liquet, diſpendio veri. Recenſet Joſue miraculum in ſole ſpectatum, ac lunâ, ídque ita exhibet: *Steterúntque ſol, & luna.* cap 10. v. 13. atque immediatè ſubjungit: *Stetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei.* ibid. De luna autem nihil hoc altero textu additur. Hoc ipſum prodigium adducit Eccleſiaſticus, dicítque *impeditus eſt ſol,* nulla facta lunæ mentione. cap. 46. v. 5. & hoc ipſum explicans textus Hebræus dicit, ſolem regreſſum eſſe operâ Joſue. Omnia hæc vera ſunt, & myſterii plena, ſed tamen relatio una collata alteri, augmentum videtur continere, aut diminutionem.

Simonem leproſum hominem illum communiter vocabant, in cujus domo Chriſtus Bethaniam delatus voluit divertere. *Cùm Jeſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi.* Matth. 26. v. 6. Certum videtur ídque ſuo comprobant ſuffragio ſacræ ſcripturæ Interpretes, jam à lepra hunc ſeniorem mundaverat Jeſus: attamen malæ hominum linguæ nihili habent ſtatum hominis præſentem, quem ſuis ipſis oculis vident, ut bene de homine loquantur, ſed id ſolùm curant, ut adhuc reminiſcantur eorum, quæ fuerunt in homine, ut de illis poſſint malè loqui. Myſterii plenum prodigium contigerat, quo cæcus à nati- 243.

vitate visum receperat, & Pharisæi, ut criminentur jam præteritam cæcitatem adhuc pergunt eum vocare cæcum: *Dicunt ergo cæco iterum.* Joan. 9. v. 17. nempe ipsi sunt cæci, qui jam benè videntem vel non possunt, vel nolunt videre. Dicit Archangelus Gabriel ad Virginem de Elisabetha prægnante, *& hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.* Luc. 1. v. 36. sed qua ratione dicitur sterilis, quæ jam ante sex menses conceperat? non id dicit Nuncius ad Mariam è cœlo missus, sed solùm dicit, quòd ita communiter dicatur: *quæ vocatur sterilis.* Ita loquantur ùt plurimùm homines; iste est mos linguæ malè loquentis, ut dicat præsens adhuc esse vitium, quod semel fuit, & pridem sublatum est. Plorabat Magdalena culpas suas, amore Christi ardebat primis pœnitentis animi fervoribus dedita: & licèt lachrymis suis innatantem Pharisæus conspicetur, audacter enunciabit: *quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. si diceret, *fuit*, esset tolerabile, at dicere *peccatrix est*, cùm pridem esse desierit, ut ore Christi ei remissa sunt peccata, hæc verò palmaris injuria est. Ita maledicus loquitur, ita Pharisæus murmurat, etsi alios non habeat, qui ita loquentem tensa aure excipiant, minimùm ita apud se dicet: *ait intra se dicens.* ibid. & licèt suis ipse oculis pœnitentem mulierem videat, non tamen dicet pœnitentem, *sed quia peccatrix est.*

Non sic Deus, qui rebus dat nomina, & mutat pro diversitate status eorum. Creaverat Deus lucem, & lucem vocavit. *Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. v. 3. *Erant etiam tenebræ supra faciem abyssi, & divisit lucem à tenebris.* Cúmque lux terram perambularet singulis diebus oriens, & occidens, suo luco persistentibus tenebris, appellavit Deus *lucem diem, & tenebras noctem.* v. 5. Cœlum revera erat cœlum, sicque à Deo vocatum est: *Creavit Deus cœlum.* v. 1. illicò ac cœlum officio fungi cœpit dividendi diem à nocte, firmamenti nomen obtinuit. *Vocavitque Deus firmamentum cœlum.* v. 8. Cur tanta in Deo nominum rebus mutandorum solicitudo? nempe ille de rebus loquitur, prout in se ipsis sunt, non autem prout fuerunt, & primordiô mundi nos jam instruere voluit, etiam nos ita debere loqui: sic Deus mutavit nomen *Abram* in *Abraham*, *Jacob* in *Israël*, Christus *Simonem* vocavit *Petrum*, *Joannem*, & *Jacobum*, *filios tonitrui*, Saulum verò Paulum dixit; cùm enim res innotescere debeant per nomina, non vult Deus, ut de illis constet, quidnam fuerunt, sed quidnam sint. 244.

Idea

Idea XLIX.

In omnibus vivat solicitè, qui in facto nullo carpi vult mordaciter.

245. OMnia in sequiorem partem trahit, qui in loquendo sectatur malitiam: ubi excusare deberet intentionem, si opus non potest, ipse in malum detorquet intentionem, ubi actionem videt bonam. Arduum vivere inter homines, si velis ita vivere, ut non mordearis; etiam selecta virtus, etiam miraculum patens ad oculum suo dente non caret. Conspicantur Pharisæi Energumenum Christi ope à malo hospite liberatum: *erat Jesus ejiciens dæmonium.* Luc. 11. v. 14. optimè nôrunt prodigium id fuisse sola Dei virtute patratum, aut ipso connivente diabolo patrabile; fieri enim non poterat, ut obsessi domus infesto hoste purgaretur, nisi sponte hostis cederet, vel vi altiore compulsus; cúm que repugnantiam scirent dæmonis in domo relinquenda, quam semel occupaverat, jure alterum inferre debuissent, ejectum Dei jussu. At murmurantes hi Pharisæi jam conjurârant in eo, ut omnia Christi opera in pessimam partem acciperent, hinc sine hæsitatione prodigio viso enunciant: *in Beelzebub ejicit dæmonia.* ibid. Id ipsum aliàs sæpiùs accidit. Cæcum à nativitate illuminaverat Dominus; res erat sole meridiano clarior, uti & virtus Christi omni humana vi superior, adeò ut ipse, qui visum recepit doctores legis admoneret veritatis jam notissimæ: *scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Joan. 9. v. 31. sed ne à more suo improbi recederent, cùm opus nequeant, auctorem operis criminantur velut Decalogo injurium, qui præscripta festa non sanctificet: *non est hic homo à Deo, quia Sabbathum non custodit.* v. 16. Sanaverat idem Jesus paraliticum, & sano præceperat, *tolle grabatum tuum, & ambula:* Joan. 3. v. 8. ad tanti prodigii aspectum invidiâ ringitur synagoga, & homini cum grabato jam ambulanti acclamat: *non licet tibi tollere grabatum tuum*, velo religionis nequitiam maledicentiæ obtegentes. Respondet homo perfectæ restitutus sanitati, meum non est jam de legis ad hunc quoque casum extensione differere, cum illo transigite. *qui me sanum fecit. Ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula.* Jam chorum ingreditur malitia. Et quis est ille, qui dixit tibi: *Tolle grabatum tuum?* Ecce quid nequissimi isti dicunt. Paraliticus dixerat, eum, qui se sanaverat præcepisse sibi, ut grabatum tolleret, Pharisæi malitiosè omittunt illud, *qui me sanum fecit*, ne scilicet referrent,

&

& veluti laudarent miraculum, ac solum criminarentur eo opere violatum esse præceptum. Virtute sua meritorum cumulum in domo Putiphari collegerat Josephus, sed irata Ægyptia, quòd turpissimis suis votis se delusam viderat, arrepto Juvenis castissimi pallio, exclamat: *en introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis.* Gen. 39 v. 14. nunquid nomen suum habet vir iste Hebræus, nunquid non vocatur Joseph? cur ergo nomine suo illum non vocas. Vel si bonum nomen utpote *incrementum Domini* Josepho invides, minimùm de Josepho dicere poteras, quòd domui tuæ benè prospexerit, quòd reditus illius multùm auxerit, quòd in omnibus Deus ipsi benedixerit, quòd sit non solùm antiqui moris, utpote qui fidem in omnibus domino suo servârit, sed illibatæ omnino vitæ homo, ut tute ipsa testis es irrefragabilis? ita totum hoc dici poterat, atque etiam, si vera dicere placuisset, dici debebat. Sed ea non exspectes à lingua maledica, quæ in quacunque affluentia boni solùm præstare intendit vadimonium mali. Multa suppetebant Sauli decora animum Regis exornantia: statura procera, corporis animíque robur, taciturnitas ubi opus dissimulatione, denique manifesta Dei ad solium Israël electio. Sed horum nihil attingunt filii Belial, id solùm repetunt, *num salvare nos poterit iste?* 1. Reg. 10. v. 27. velut dicerent: quomodo Dux, & Rex Israëlitici populi erit ille, qui nuperrime fuerat asinarum sui patris custos, quid Regno tali cum pauperculo filio Cis? *iste* quid aget, ut nos eruat à manu hostium per circuitum?

Res est miserrima, ea tamen in orbe verissima, quam dudum Regius Psaltes detexit: *non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Psalm. 13. v. 2. in quem locum ita ratiocinatur Chrysostomus. Mundi pars media murmurat de parte hominum altera dimidia: ergò harum partium una vel verum dicit, vel falsum: si verum igitur omnes tales sumus, quales murmuramur, scilicet mali omnes, vel dicit falsum: ergo perhibendo testimonium falsum relinquit, adeóque iterum mala est. In tanta ergò maledicendi libidine, quæ cura adhibenda erit, ne communi malo involvâre? modico opus fomite, ubi proximus ignis ad excitandum grande incendium murmurationis ferè perpetuæ. Una vice comedit Christus in domo Matthæi: & comestionem hanc nunquam digerere potuerunt adversarii ejus, semper in hos ructus erumpunt: *quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester.* Marc. 2. v. 26. semel Dominus cum muliere loquitur, de Deo loquitur, in loco omnibus pervio, & pleno meridie, & ubi puteus interest inter ipsum, & fœminam, loquitur ab itinere fatigatus, fame, & siti oppressus loquitur, & tamen *mirabantur discipuli, quia cum muliere loquebatur.* Joan. 4. v. 27. quid dixissent Pharisæi, si cum muliere vidissent loquentem? Et volet alter, nullus suspicione tan- 246.

gatur,

gatur, ſi crebrô loquatur cum muliere formoſa, juvene, vanâ, non viâ publicâ, ſed in angulo, vel ſub umbra *Schini* aut *Prini*. Nullus contra muſitet, ſed potiùs ſibi perſuadeat, inſtitui hîc colloquia ſpiritualia, aut globulos volvi Marianos. Certè aliter cenſuit Booz, cùm monuit Ruth. *cave, ne quis noverit, quòd huc veneris.* capit. 3. v. 14. quid autem refert, ſi etiam id noverint, an non Ruth conſanguinea Boozi? *nec abnuo me propinquum.* v. 12. an non fœmina notæ pietatis? *ſcit enim omnis populus, mulierem te eſſe virtutis.* v. 11. an non Booz jam grandævus, & inter tribules ſuos magni nominis? nihilominus cave, quia licèt Ruth eleemoſinæ ergò ſe ad Booz contulerit, mulier eſt, eáque liberali forma, Noëmi ſocrus, conſilio inſuper lota, uncta, ac cultioribus veſtimentis induta: cap. eod. v. 3. Et in hoc genere converſationum teſte ſancto Athanaſio, *omne quodfingi poteſt, tanquam poſſe credi, caveamus, nec tantùm nobis fides facti, ſed poſſibilitas relegenda mendacii eſt.* Exhortat. ad Monach. Sic intelliges optimè ea, quæ Chriſtus ſuis dixit ad annunciandum Evangelium miſſis: *nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram.* Luc. 9. v. 3. & cur hoc? quia non ſolùm vetuit Servator Diſcipulos ſuos aurum poſſidere, ſed etiam loculos illis ademit, ubi pecunias reponerent, ut vel omnem ſpem lucri temporalis ſic præſcinderet. Si vel modicum in pariete utcunque denſo foramen aperias, illicò lux ingreditur. Aurifaber coronam auream non dimittit è manibus ſuis, donec undique jam confectam expolierit, novit enim eam præcipuum Regis inſigne, in quod omnium oculi defiguntur, nihil occurrere ibi debet, quod vel tantillo etiam delicatiorem viſum pungat, niſi velit invidorum ora illico inſurgant in diadematis ſtructorem.

In ſublimi reponenda virtus, eáque 247.
ſit ex aſſe perfecta, ne murmurationi ſubjaceat; vix ſufficiet, ſi in medio conſiſtat, ex integro, opus eſt, complectatur legis perfectionem. Haud perfectum dices, qui unam virtutem poſſidet, ſi alterâ careat. Qui cibo abſtinet, etiam habendi cupiditate abſtemium ſe probet: aliàs jejunium cibi cenſebitur fames auri. Multi videntur calcare vanitates, quia nempe ſuperbiæ fluctibus eriguntur. Caſtos aliqui ſe exhibent, ſed uſuras ſectantur, alii liberales ſunt, ſed etiam laſcivi: hinc fit, ut rarò deſit, in quo dentem maledicus figat: nempe vix hominem invenias, qui non claudicet in aliquam partem: illuc faciliùs impellitur in lapſum, quo eſt pronior. Prærogativa hæc fuit parentum Præcurſoris, Cinico ore non allatrari: virtus eorum ſine querela, juſtitia ſine dicterio, vita omnis murmurationis expers. Cur hoc! quia etiam minimum legis apicem implevêre, de quibus ſanctus Lucas ſcripſit, quod ambo *fuerint incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela,* cap. 1. v. 6.

Hoc idem Rex Medus in Daniele ſtupebat, quòd Deo ſuo jugiter examuſſim deſervierit: *quem ſemper colis, cui tu ſervis ſemper.* cap. 6. v. 16. & 20. *ſemper* tam eo tempore, quo habitas in deſerto, quàm in foro, tam quando verſaris domi tuæ, quàm quando Palatium incolis, cùm templum frequentas, & compita luſtras, ſive tibi applaudant in throno, & purpurâ, ſive te inſectentur in lacu, & igne. Iſte Deus, *ipſe liberabit te* ab ore Leonum, à voracitate flammarum, à linguis ſerpentum, ab omni eo, quod obeſſe poſſit. En etiam Propheta hic tam illibatis moribus, tam Dei legi in omnibus addictus immunis eſt ſerpentinis murmurantium ictibus. Nullus unquam luci obtrectavit, quia ubique conſervat ſplendorem ſuum, ubique lucere novit. De ſole aſtrorum Principe notat Serarius in cap. 10. Joſue quod tam in Hebræo, quàm chaldaico idiomate à radice profluat, quæ idem ſonat, ac *ſervire.* Ita eſt, omnibus eadem facie ſol deſervit: ſi jubetur ſtare, immotus conſiſtit. Joſ. 10. ſi reverti, retrorſum ibit. Iſai 38. ſi lucere, lucet. Geneſ. 1. ſi lumen abſcondere, etiam ipſo meridie non dabit lumen ſuum. Cimeriis tenebris obductus totus. Matth. 27. ſi oriendum, oritur, & occumbit, ubi eſt occumbendum totius globi terraquei commodo, ídque quotidie, licèt hac de cauſa immenſa itineris ſpatia ſine ulla quiete emetiri debeat. Hoc eſt ſolem eſſe, & omnium quantumvis maledicarum linguarum ſuperiorem, imò vel una virtus, ſi ſibi jugiter conſtiterit, os obſtruet malignantium. Divus Hieronymus extollit armatam manum inclytæ Judithæ, quæ Holofernis caput, licèt exercitu integro cuſtoditum, demetere valuit, & magnis celebrat encomiis mulierem victricem Ducis, ad cujus aſpectum ipſa trepidabant regna. Id verò, quod majori eſt admirationi, illud habetur, quòd poſt tantam victoriam reverti voluerit ad priſtinas tenebras: *manſit autem in domo viri ſui.* Judith. 16. v. 28. Lege Hieron. Epiſt. ad Furian. *Habitúque,* inquit ſanctus Doctor, *repente mutato ad victrices ſordes redit.*

Utique bos non fuiſſet meritus 248.
jungi currui magni Dei, ſi adſcitis elatus alis vitulinos ſuos pedes ſuperbè deſpexiſſet, *Planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli.* Ezech. 1. v. 7. ſi alio quàm congenito ſibi paſſu animal iſtud incederet, haud dubiè caderet, non ſolùm riſum, ſed & dicteria referret. At ſuo jugiter pede progrediens, *& animalia ibant.* v. 14. gloriæ, & ſplendoris in circuitu currus undique relucentis meruit fieri particeps. Chriſtus diſcipulos ſuos jam terræ, cœlíque conſtitutos Judices, ac Magnates vult adhuc videri, & eſſe humiles. Hinc cùm ſublimia legis Evangelicæ myſteria iis explanabat, Patri ſuo gratias agit, quòd illa manifeſtaverit parvulis. *Revelâſti ea parvulis.* Matth. 11. v. 25. nec potuit Salomon Diſcipulos hos altiùs extollere

tollere, quàm eos præfigurando in columnis porticus templi, quæ significabant, teste Beda de templo. cap. 18. *Apostolos fortes nimirùm fide, & opere.* Id tamen notatu dignum, quòd capitella, *quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant.* 3. Reg. 7. v. 19. *& quasi in modum retis.* v. 17. Sed quare reti innitebantur candidi illi flores, & non potiùs in canistris sunt collocati? ideò, ut Apostoli jugiter memores essent, olim se fuisse piscatores, & floridas suas coronas ab humilibus retium principiis texi cæptas, ut sic humilitatem servarent in exaltatione, ac Iidem in virtute permanerent, qui dignitate jam alii evaserant. Etiam homo gentilis Abrahamo assistentem Deum agnoscet in operibus ejus: sic enim ad eum Abimelech: *Deus tecum est in universis, quæ agis.* Genes. 21. v. 22. Nempe sibi ipsi semper similis vir iste sanctus: tam manè, quàm noctu uni Deo, ac ministris ejus serviendo intentus, tam celeriter surrexit de nocte ad præceptum sacrificium filii: *igitur Abraham de nocte consurgens:* Gen. 22. v. 3. quàm in meridie descendit in occursum Angelorum ad se missorum; eadémque serenitate vultûs acinacem stringere voluit in collum unigeniti sui, qua desistere jussus ensem removit. Ubi etiam admiranda tanti Patris dignæ sobolis tranquilitas, dum eodem animo victimam se ad sacrificium duci, ac inde Numinis favore indemni vita abduci permisit. Virtutes hæ constantes, solidæ, excelsæ unicus Triumphus haberi debent murmurationis, uti sunt Deo gratissimæ, ita nec pessimis adeò displicere possunt, ut saltem obloquendi libidinem non reprimant. Cæterùm in suo genere, ut hoc evincant, debent esse perfectæ. Ita jussit Dominus, cùm Abrahæ dixit: *ambula coram me, & esto perfectus*, vel ut oleaster vertit, & esto integer. Genes. 17. v. 1. Manca enim sacrificia non placent Deo. Quod idem Christus omnibus commendavit: *estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 5. v. 48.

249. Non vult Deus, ut à primo in via virtutis fervore vel latum unguem discedas, hinc à tepidis magìs abhorret, quàm ab ipsis frigidis: *utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere.* Apocal. 3. v. 15. tepidus enim frigoris & caloris aliquid habet. Potius Deus alterutrum extremum patietur, quàm mixtum ex ambobus mediis. Tenebris involvi mundum permisit: *& tenebræ erant super faciem abyssi.* Genes. 1. v. 2. sed non permittet lucem confundi cum tenebris. *Et divisit lucem à tenebris.* ibid. v 4 Præcordia cerea nequaquam sunt grata Deo, si jam Angelum, aliàs dæmonem referant. Hinc Jesus admisit potum in cruce sibi porrectum, de quo S. Joannes non admisit illum, quem divus Matthæus describit. En cur calicem unum acceperit, alterum repudiaverit: priorem ebibit, quia simplici aceto constabat, *cùm accepisset Jesus*

ſus acetum, dixit, conſummatum eſt. Joann. 18. 38. alterum cum labiis admotum ſenſiſſet vino & felle conſtare, mixturam hanc neque in cathedra crucis ferre voluit: *dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cùm guſtâſſet noluit bibere.* Matth. 27. v. 34. videbatur potus hic poſterior eſſe vinum, & partim etiam erat, at cùm felle mixtum eſſet, deterius viſum eſt Chriſto, ac ſi fel merum porrexiſſent: adeóque ferre non potuit, etiam tunc, quando noſtri cauſâ tanta tolleravit: ſi itaque Domino mixtura hæc diſplicet, filia inconſtantiæ quomodo maledicentia illam feret? dicto citiùs evomet in alienas aures ad tui infamiam, ſi boni, ac mali conſortium ſinu tuo foveris.

250. Cenſeo Providentiam Dei, quæ facit de tenebris ſplendeſcere lumen, etiam ex malitia linguarum malarum ſolere bonum elicere: Non omne frœnum cuivis regendo equo aptum, nec gloria Domini omnes in officio continet. *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Iſai. 48. v. 9. Hoc frœnum dulce, ac molle eſt pro filiis morigeris tam boni patris, ſed pro Magnatibus nullum eſt frœnum efficacius ac propriæ famæ; nôrunt enim quàm optimè magnam eam fore ſive in bonum, ſive in malum vergat. En itaque cur permittat Deus, frænum laxent malæ linguæ, ut ſcilicet maledictis ſuis coërceant pronos ad malum. Qui non habet, quod timeat, utpote extra teli jactum poſitus, manus populares, timere ſaltem debet linguas eorum, quocunque celſitudinis gradu conſtiterit, memor dicti Davidici: *poſuerunt in cælum os ſuum.* Pſalm. 72. v. 9. Hinc tantùm debemus Hiſtoriæ, quia teſte Diodoro Siculo in præfat. *improbos timor infamiæ à malis facinoribus deterret.* Paginæ ejusmodi ſcriptorum theatra ſunt infamiæ aliorum, hîc diſcant Ulyſſes non defuturos Homeros, qui eorum canant errores: quocunque ipſi ierint, iſti preſſo veſtigio ſequentur. Ibi fideliter adminiſtratur juſtitia, ubi judicem nulla vis major coërcet, hinc optimè Tacitus. *ſocordiam eorum irridere libet, qui præſumenti potentia credunt, extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam.* Annal. 6. nullus, qui in hoc mundo fatis concedit, famam ac nomen ſuum tumulo infert. Reges ipſi in humeris ſcripta circumferent errata ſua, ùt dixit in fine Reipublicæ ſuæ Plato. Cuicunque tergum obvertit Majeſtas in illo habebit vituperii præconem. Lex erat in Ægypto, liberam cuique facultatem cedens accuſandi regium cadaver, & ſi delationes ſibi conſtabant, Rex defunctus perennem ſubibat infamiam, atque exuviæ illius pabulum dabantur feris. Diodor. L. 1. p. 2. cap. 9. In Ægyptiacis plagis hæc vigebat lex; in plagis orbis cæteris ſaltem conſuetudo vim legis obtinuit liberè ſentiendi, & dicendi etiam de Regibus funere ſublatis. Timeat famæ ſortem jam mortuus, qui vivus neminem timuit. Cor vile ſit illi, qui nihil movetur infamiæ minis.

minis. In Urbe regnante Priſco Tarquinio multi ſibi manus inferebant, ne eas laboribus publicis cogerentur præbere. Nullum aliud malo remedium, niſi publica infamia cadaveribus, videlicet ſuicidarum ex infami arbore appenſis; ſic mortuorum dedecus viventibus adhuc ruborem excuſſit audiendi, quòd ipſi fuerant auſi, vel ut loquitur Plinius: *cùm puderet vivos tanquam puditurum eſſet extinctos.* lib. 36. cap. 15. Infelices illi, qui hanc januam ſibi in bonum paratam occludunt, & eam, quæ vitiorum eſt bipatentibus foribus pandunt, certè experientur inde ruituros ſe præcipites in omne dedecus. Ex Theatro orbis Româ deceſſerat Tiberius, ut eò liberiùs habenas laxaret abominandis cupiditatibus, ſtultè nempe præſumpſit enormia crimina ex Inſula, cui ſe nequiſſimus ganeo incluſerat, non enatatura uſque ad oppoſitum littus. Hinc in ea probra denique ruit, ut ſine horrore vix legi queant, nempe ùt ſcribit Tacitus, *in ſcelera ſimul, ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore, & metu ſuo tantùm ingenio utebatur.* lib. 6. Attende ſis, res eſt fama, quæ non tantum ævum fert, ſed in plurima etiam ſæcula durat.

Idea L.

E nube murmurationis ſplendidior emicabit Innocentia.

251. PUlchrè dixit Regius Vates: *qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.* Pſalm. 146. v. 18. & quale in his verbis myſterium? hoc, quòd cœlum ipſum vel pati debeat nubes tenebris ſe obvolventes, vel amittere gloriam beneficia ſua cum pluviis in tellurem depluendi: non enim pluit cœlum, niſi ante obſcuretur, & telluris caligine abſorbeatur Phæbi lumen: ecce hîc terræ ingratitudinem! ſoli fuliginem ſuam inſpergit, & cœlo vapores; ſed ſi radios lucis ſiſtat terraquea, non tamen favorum radios cohibebit æther, & ſubinnitebit magis *poſt nubila Phœbus.* Ridet ſol diſſipatam nubium audaciam, & diſſlatis vaporibus clariùs ſpargit invictos lucis ſuæ ſplendores. *Nubila deridet.* Ecce hîc, quid cæcum murmur agat, dum virtutem nititur inficere, magis perficit, & ignis inſtar aurum à ſcoria purgat. Tenebris ſuis credit obfuſcare candorem probitatis, ſed illuſtrat meliùs, idque efficit, ut ex umbraculis hiſce pulchriùs eluceſcant piæ imaginis vivi colores. In tenebris illis, *quæ erant ſuper faciem abyſſi.* Geneſ. 1. v. 2. Origenes detexit invidiam dæmonum afflatu peſtilenti

vitæ fontes corrumpere molientium. *Quæ eſt abyſſus?* inquit: *illa nimirum, in qua erat diabolus, & angeli ejus.* ibid. ſed quomodo ex inimicis his tenebris exſiliunt aquæ? *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* v. 2. eatenus in quantum honor ipſis contigit deferendi velut in curru cryſtallino ſpiritum Domini, ùt loquitur Tertullianus. *Solus liquor dignum Deo receptaculum ſubjiciebat.* lib. de Baptiſm. Sunt aquæ hæ velut omnium viventium matrices, tam quæ natant infra aquas, quàm quæ in aëre volitant. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram.* v. 2. ex iis etiam cœli formantur: *fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* v. 6. denique ſupra cœlos eriguntur ad gloriam & laudem Deo enuntiandam. *Aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent Nomen Domini.* Pſ. 140. v. 4. Liquet jam, quomodo ex invidiæ tenebris victrices exſurgant aquæ. Ecce hîc aquis congenitæ puritatis inclyta præmia! Ecce ſupra reliquas creaturas à Deo extolluntur, quia ſupra ſe tenebras paſſæ ſunt, è quarum tumulo vegetiores prodiêre! Patienter ferent candelabra etiam templi emunctoriola audacula, quæ temeraria mordacitate videntur velle diem dicere etiam ſplendidiùs relucentibus hujus mundi faculis. Nil enim aliud hæ forcipulæ efficient, quàm ut mucum ſplendoris inimicum removeant, & ipſas faces copioſiori lumine inſtruant.

252. Non ſine myſterio diſpoſuit Deus, ut cruci Filii ſui appenderetur gloriæ ex ſuperatis hoſtibus relatæ titulus, *& impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam: hic eſt Jeſus Rex Judæorum.* Matth. 27. v. 6. Murmurare volebant, maléque de Jeſu dicere, & æternitati inſcripſerunt triumphos ejus. Intendebant illi, ut omnes ad montem Calvariæ delati ignominiam legerent pendentis è ligno, ſed dum ibi Regem vident ſcriptum, & Salvatoris titulos appoſitos, excellentiam vident Crucifixi maximam. Ecce ut malè dicentium opprobria fiant ſumma encomia innocentiæ, ùt ex iis hæc lucidiùs velut è nubilo Phæbus luceſcat! quo celebritas major evaderet, titulus linguis tribus erat conſcriptus, ſcilicet Hebraicè, Græce, & Latinè. Joan. 19. v. 20. Ut videlicet Pilatus, qui una linguâ condemnaverat, tribus innocentiſſimum, qui pro nobis immolari voluit, Agnum abſolveret. Sic Deus à malitia oppreſſam virtutem tuetur, ac ampliùs illuſtrat.

Flocci proin pendat Cynthia canis 253.
latratus, licet enim rabido dente admordeat aquam, in qua Luna relucet, nec latratus, nec morſus iſti currum lucidum aſtrorum Reginæ ſiſtent. Quid refert, ſi Phariſæus invidus, ac vento plenus calumniis tetris publicanum humilem denigrare præſumat, quando ipſo Chriſti ore *deſcendit hic juſtificatus ab illo.* Luc. 18. v. 14. In vanitates, & inſanias falſas ætatis florem peſſimè expendit Magdalena, & nullus contradicit, plena doloris ad Deum convertitur Chriſti amabili converſatione

verſatione velut charitatis funiculi ſuaviter attracta, & omnes murmurant: ſi ad pedes Domini ſe ſe proſternat nova hæc pœnitens, illicò cenſuram ſubit, *quæ, & qualis eſt mulier.* Luc. 7. v. 39. ſi lachrymis eos riget, & manifeſta converſionis ſigna edat, Phariſæum ogganientem audit, *quia peccatrix eſt.* ibid. ſi ungit Jeſum unguento Nardo pyſtico, vocant ipſi Apoſtoli prodigam, *quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis.* Joan. 12. v. 5. ſi verbum Domini, ſecus pedes ejus devota auſcultat, otioſitatis ab ipſa ſorore inſimulatur. *Reliquit me ſolam miniſtrare.* Luc. 10 v. 40. Stetit heroica Magdalenæ virtus velut Marpeſia cautes ad fluctus maris, ita ipſa ad murmura & dicteria hæc omnino immota. Sed videamus etiam quid præmii inde retulerit. Videte, inquit Mellifluus, *Mariæ prærogativam ubique tacet.* ſerm. de aſſumpt. etiam ſi mille undique perſtrepant dicteria: ſed quid pro illa loquatur, pro qua perorat ipſum æterni Patris Verbum? En teſtimonium quod diſertiſſima hæc lingua noſtræ pœnitenti perhibet! *dilexit multùm.* Luc. 7. v. 47. *optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea.* Luc. 10. v. 42. *ubicunque prædicatum fuerit Evangelium, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus* Matth. 26. v. 13. ſic Magdalena è dicteriis laudem, ex murmure plauſum, è tenebris lucem retulit. Niſi murmurantium voces tam altè inſonuiſſent: & *fremebant in eam.* Chriſtus pœnitentis gloriam non eo usque promoviſſet: glorioſior à veritate reddi debuit, quam omnino ingloriam volebat falſitas.

In Siria referente Plinio occurrunt 254.
ſerpentes, qui peregrinos vulnerant, ſuis incolis parcunt. Libr. 8. cap. 9. ita totus mundus alit ſerpentinas linguas, quæ præcipuè in illos acuuntur, qui peregrinos ſeſe profitentur in mundo, & jugiter intenti ſunt ad iter cœli. Sed ſolatium his Chriſtus impendit, ſi mala verba, & facta priora ab eo recipiant, quem boni omnes averſantur. *Si de mundo fuiſſetis*; inquit, *mundus, quod ſuum erat, diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Joan. 15. v. 19. Sed eſtote bono animo, quod mundus odit, cælum amat nunquam arctam, quæ illuc ducit viam deſerite, & feliciter pervenietis ad vitam; ſerpentum in hoc itinere ſibilos nec moremini equidem, ſibilare poſſunt mordere non poſſunt; Surda aure prætereundi Syrenum Cantus in Navigatione ad portum virtutis, ac veræ felicitatis. Turpe eſt, ait Seneca, non ire, ſed ferri, quo ſcilicet pleno alveo in præceps feruntur alii (*& ſubitò in medio turbine rerum ſtupentem quærere: huc ego quemadmodum veni?* Epiſt. 37.

Quid quereris, niſi diſpicias, quo 255.
eundum ſed ſolum quà itur; multi brutorum inſtar incedunt unicè ſequentes eorum veſtigia, qui præcedunt. Non eſt cordati ſententiam plurium ſequi, ſi plures ſint minùs

ſenſati,

ſenſati. Omnino fatui foret pecudem ſtolidam ſequi, quocunque iret? nummis falſis nil pretii accedit à multitudine, ſi quamvis, ejus, quà eundum itineris cenſes, ignarum, per hoc non ſcient, quia multi junctim incedunt. *Argumentum peſſimi turba eſt*, ait idem ſeneca de vit. beat. cap. 2. Quæ major fingi queat ſtultitia, quàm affectatio ſtultitiæ, ne ſtulti te rideant? ſine rideânt, & cavillentur, quin potiùs ride eorum riſus, flocci pende ejusmodi fatuorum cavillos, ſine dicant, quia te ipſi ſinunt agere, quæ ipſi aliquando egiſſe volent. Delicatuli eſt nimiùm ſentire dicterium eorum, qui neſciunt, quid dicant, *ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus*, ſapienter monet prælaudatus Seneca. Epiſt. 76.

256. In repentina ea maris tempeſtate, quæ Chriſti diſcipulis incubuit ex fluctibus, ac ventis, & ad Magiſtrum clamare compulit: *Domine ſalva nos, perimus*. Matth. 8. v. 26. in repentina, inquam hac tempeſtate Sanctus Baſilius Orat. 22. Exhibet ingentem turbinem opprobriorum in Chriſti diſcipulos à lingua murmurante conjectorum, atque Domini magnanimitatem perpendit quietè dormientis in tantis ſuorum anguſtiis. Et ubi eorum importunis vocibus denuò excitatus eſt, atque, ut ſuccurreret velut rebus jam conclamatis rogatus, miratur quemadmodum non illicò opem tulerit, ſed eorum metum primò corripuerit, ſubin fidem habere juſſerit, & loco auxilii, quod illi petierant, doctrinam moralem Divinus Magiſter applicârit. Ex hac nempe colligere poterant, nil mali à linguis malis timendum, & in hiſce tempeſtatibus vocum & murmurum, ne mergantur, unicum remedium eſſe quod Chriſtus ſuggeſſit: *Tace, & obmuteſce*. Duo delicta in Paradyſo, vel horto voluptatis commiſerat ſerpens antiquus: unum decipiendo Evam, quod illicò plectere voluit Deus, ea comminatione: *Ipſa conteret caput tuum*. Alterum idque enormius blasphemando Majeſtatem Divinam, quaſi hominibus invideret gloriam ipſis ex fructus vetiti comeſtione obventuram. *Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis, ſicut Dii*. Gen. 3. v. 5. Magna impietas! ſed quonam fulmine à Deo proſtrata, in quem nam novum detruſa avernum? ſed nil novæ pœnæ eidem decretum ex ſcriptura conſtat. Contemptu ſolo murmurantis & maledicentis peccatum ſatis punitus, ſe ipſis oris peccata corruent, ſi nec tangi te iis oſtendas.

257. Tribus vicibus teſte Sancto Joanne cum avernali dracone feliciter pugnavit mulier illa amicta ſole: primò quando partui proximam aggreſſus infernus. *Et Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura*. Apocal. 12. v. 4. Et hac vice cohortes cœleſtes cum Duce Michaële contra orcum pro heroina ſtabant. *Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone*. v. 7. Secundò quando Draco è cœlo detruſus fluvium integrum rictu ſuo evomuit,

evomuit, ut fœminam mergeret, & *misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* v. 15. Atque in hoc prælio suppetias attulit tellus absorbens fluvium, ne mulierem contingeret. *Adjuvit terra mulierem.* v. 16. Tertiò denique, quando contra mulieris prosapiam inter blasphemias non fluvium unum, sed cacodæmones tres egessit, seu *spiritus tres immundos in modum ranarum.* Apocal. 16. v. 13. sed hac vice nec auxilium è cœlo, neque subsidium venisse à terra refertur. Ita est, sed quid à ranis timendum, quæ nil possunt, nisi coaxare. Ideò, Ambrosius: *Ranarum vox rauca & turpis, turpissimam eorum locutionem blasphemiis plenam designat.* Ad voces has silendum, & ipsæ cessabunt, minùs, nisi reclames, ranæ coaxabunt, quàm si tonaret Jupiter.

Idea LI.

Quia Deum in filiis offendunt Parentes, ideò Parentes in filiis plectit Deus.

258. CUm Servator Tyri, & Sidonis terminos attigisset, Cananæa mulier adfuit miserè afflicta, & post Jesum clamitans: *Miserere mei Domine, fili David!* Matth. 15. v. 22. & cujus ergò Domini misericordiam postulat! quia, inquit, *filia mea malè à dæmonio vexatur.* Ecce patitur filia, & mater dolet. Illa remedio habet opus, & ista Medicum cœlestem inclamat. Natam dirè opprimit dæmon, & parens hujus tyrannidis petit liberationem; sibi non filiæ rogat afferri remedium: *Miserere mei.* Mirabile! dicit afflicta mulier, filia mea malè vexatur, & ipsa cupit à malo liberari; nempe malum filiæ nunquam non malum fiet matris: à dæmonio molestatur filia, ab hac mater; hinc clamat *miserere mei*, quia id quod peccavit mater in hac filia, etiam luit. Turpè delinquunt filii Balæ, & Zelphæ, & dum eorum crimen memorat sacra pagina, alio nomine eos non vocat quàm filiorum istarum matrum: *Et erat cum filiis Balæ, & Zelphæ.* Gen. 37. v. 2. Sic etiam cùm Sara notâsset in Ismaële, nescio quam pueri petulantiam, non Ismaëlem eum vocavit, sed filium Agar. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ.* Gen. 4. v. 9. Si illi, qui peccant, sunt Dan, Nephtali, Gad, Aser relati à Moyse. cap. 35. v. 24. Quare traducuntur matres eorum, & quidem suis notatæ nominibus? ideò, quia Deus parentes punire voluit in filiis, quia in istis illi peccârant.

259. Amiciſſimum cum Deo ſermonem abſolverat Moyſes, ad plenum myſterii rubum accedere juſſus. Repudiata Ægypti coronâ in Pharaonis aulam remiſſus Dei, & Iſraëlitici populi orator virgam potentiæ Divinæ inſigne, & auctoritatis in Hebræos omnes luculentum indicium acceperat; cùm ecce tanta legatione, ac dignitate auctum in itinere aggreditur Angelus Domini, & corripuiſſe, imò fors ſauciâſſe Ducem populi haud contentus, mortis inſuper intentat minas, *& volebat eum occidere.* Exod. 4. v. 24. Quid hoc rei? antè Moyſes tam amicum ſibi reperit cœlum, modò tam adverſum! priùs cingitur undique immenſæ lucis radiis, jam ſuo jugulo intentatum videt mortis ſpiculum? heri tanta ſibi exhiberi vidit ſigna amoris, hodie experiri cogitur minas extremi rigoris. Quid peccavit Moyſes? id, quod filium in peccato reliquerit. Adhuc proli non eſt adhibita circumciſio, & patri tergiverſanti imminet cædes à Domini gladio. Sephora uxor marito in hoc cordatior, ut patri ſervet vitam, ocyùs abit, & à nato abjicit culpam. *Tulit ergo Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui.* Exod. 4. v. 25. Quid agis inconſulta, ùt prima fronte videri poterat, fœmina? viri tui petitur jugulum, & tu, quo ictum avertas Angeli, cultrum expedis in filium? ita eſt, reponit illa, modus optimus præſentaneam mortem amoliendi à marito, eſt illicò peccatum tollere ab incircumciſo filio. Tutus ille erit ab intentata pœna, ſi hîc liberatus fuerit à culpa. Id hîc quoque notatu dignum, quòd tam ſeverè actum ſit cum Moyſe ob dilatam circumciſionem cùm tamen ipſe tunc fuerit poſitus in itinere. Oſtendere nempe voluit cœlum, quàm ſolicitè parentes teneantur curare, ut filii quantocyùs curentur à peccato originis. Quid agitis fideles, qui humanis ducti rationibus diutiùs ſæpe filiis veſtris differtis remedium baptismatis, attendite: *Volebat occidere eum.* Quia procraſtinabat vivificare filium, vel modica hîc dilatio eſſe poteſt æterna parvuli à cœleſti patria excluſio. Imò quàm plurimi refert, ut aſſeratur quàm primùm in libertatem filiorum Dei, qui originis vitio natus eſt mancipium diaboli. En uxores medium optimum cervicibus conjugum veſtrorum averruncandi imminentes è cœlo pœnas, amputando ſine mora natorum culpas!

260. Pueri erant, & pueri parvuli, qui Eliſæo Prophetæ audaculi inſultârunt, dicit ſacer textus. *Pueri parvi egreſſi ſunt de civitate.* 4. Reg. 2. v. 23. Et licèt ex ignorantia potiùs, quàm ex malitia peccârit, attamen vir Dei innocuis ferè hiſce garrulis, *maledixit in nomine Domini.* v. 24. nempe ùt hîc advertit Abulenſis, ſi per ætatem delinquere non poterant hi pueri, per malam educationem multùm deliquerant eorum patres, quare ùt ipſe loquitur, *puniti fuerunt pro peccato parentum.* Neque myſterio vacat, quod urſi evocati ſint hujus delicti vindices: *Egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & lacera-*

ceraverunt ex eis quadraginta duos. v. 24. quia ursi multùm laborant in educanda sobole. *Ore lambentes partum efformant.* Plin. libr. 28. Atque adeò symbola sunt bonorum parentum, ùt notat Pierius Valerian. lib. 12. Proin boni parentes malorum culpam puniant in malis filiis.

261. Noëmum incurius Cham offendit, & si offensam non luit in se ipso, in filio luet, cui evigilans avus maledicit. *Maledictus Canaan, servus servorum erit fratribus suis.* Gen. 9. v. 25. Observat Theodoretus: *Primum Canaan verenda avi sui vidisse, suóque solùm patri narrâsse.* quæst. 57. in Gen. En filius delinquit, & totus delicti reatus Chamo imputatur à sacra pagina, *quod cùm vidisset Cham.* Genes. 9. v. 22. Idque ipse parens meretur, cùm filium delinquentem non correxit.

262. Nec mirùm delicta filiorum redundare In caput parentum, cum ùt plurimùm paterna vitia transfundantur in filios. Quòd insipidi sint fructus rectè imputatur arbori. Radix dulcorem, vel amaritiem inspergit foliis, duritiem, aut mollitiem conciliat trunco, rectitudinem, vel obliquitatem dat frondibus, durabilitatem, aut caducitatem floribus, acerbitatem, aut maturitatem frugibus. Fonti culpa tribuitur, si rivus amarus decurrat. Sanctus Paulus quidem dicit, *unusquisque onus suum portabit.* Galat. 6. v. 5. adeoque de se, non de aliis olim Deo rationem reddet; at verò Deus per Moysen fatetur. *Ego Dominus Deus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Exod. 20. v. 5. Apparens textuum antilogia componitur, si dicas, in filiis peccata dari sibi solis propria, utpote quæ ipsi malitiâ sua commisêre, dari autem in iis etiam peccata parentibus communia, quippe, quæ filii cum materno lacte, ex mala educatione, & exemplo hausêre: adeoque verum est, portaturum unumquemque onus suum, & simul iniquitatem patrum in filios visitandam, quia in his eorum peccata inveniet Deus. Ita à Lapide in Ezechiel. 18. v. 4. parùm differt Lyra dicens: *justè puniuntur filii pro iniquitate patrum.* in Exod. cap. 20. Et non rarò puniuntur etiam pœna æterna, quia detegit in filiis delicta, quæ patres his pravo suo exemplo instillârunt. Hinc in textu dicitur: *in tertiam, & quartam generationem.* Ad hanc enim duntaxat ætatem vita parentum extendi solet, ut *scilicet vel filios informent malis exemplis, vel hi imitentur, quod viderunt in patribus*, ùt Lyra loquitur. Primi Israëlitarum gementium sub jugo Assyriorum censentur Galaaditæ, ùt observavit S. Hieronymus, quia natio ea omnium prima fuit, quæ in patribus idololatriam docuit filios. Ita testatur Deus per Oseam *Ipsi* (id est parentes juxta Glossam) *sicut Adam transgressi sunt pactum.* c. 6 v. 7 & 8 nempe peccatum parentum exemplar est peccati filiorum, in eo magis augentur culpæ, quàm in origine ipsæ generationes.

263. Idcircò, ùt ſupra vidimus nomen Balæ diffamatur in turpitudine filiorum; nam revixit peccatum matris in peccatis eorum: *Mæchante matre, quid mirum, ſi filii rei ſint criminis peſſimi.* dicit Oliva in Geneſ. p. 216. Adultera erat Berſabee, adeoque tam impotenter laſcivus Salomon. Dubitabat Herodes Tetrarcha, num filia ſua eſſet puella ſaltatrix, ſuam agnovit, ſeu adulterii filiam, ut tam petulcè ſaltantem vidit: ſuam non dixiſſet, ſi modeſtiorem vidiſſet homo inceſtuoſus. Hæc potiſſima ratio fuit, quòd Iſraëlitis matrimonia cum extraneis vetuerit Deus, *ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* Exod. 34. v. 16. Ita experientia docet tibicinum prolem delectari ſaltibus. Contrà mira res viſa eſt, David ſaltans, utpote filius Iſai muſicam artem non callentis. Viderat Diogenes juvenem vino gravatum, & illicò intulit: *patre ebrio ſatus es.* apud Plutarchum. Unde cancri inceſſus obliquior, niſi quia ita inceſſit pater ejus. Magnum prodigium ſit, ſi proles vitium caveat, in quod crebrò labitur parens. Hinc Numer. 26. v. 11. dicitur: *& factum eſt grande miraculum, ut, Chore pereunte filii ejus non perirent.* Mellifluus in vita Sancti Malachiæ velut rem maximè miram de hoc Sancto advertit, quod à paternis moribus non plùs traxerit, quàm à maris ſalſedine piſces. *Cæterùm de naturali barbarie traxit nihil, non magìs, quàm piſces maris de ſale materno.* Clarum eſt, ideò à filiis colligi ligna, *quia patres ſuccendunt ignem,* Jer. 7. v. 17. Hinc divus Paulus irreprehenſibilem volens Epiſcopum, talem eligi juſſit, cujus filii pudicitiâ, & obedientiâ excellerent: *Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate,* Tim. 3. v. 4. Teſte ſiquidem Doctore Angelico filius immodeſtus vivus eſt teſtis non benè conſtitutæ honeſtatis paternæ, *quia mala eorum* (ſcilicet filiorum) *vita eſſet teſtimonium contra parentem.* ibid. Id ipſum teſtatur Sapiens: *Ex iniquis, omnes filii, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ, adverſus parentes in interrogatione ſua.* Sap. 4. v. 6. ô quot patrum humeros in extremi Judicii die filii onerabunt peccatorum onere gravi. Litem fratres duo mutuò intenderant apud Senatum Lacedæmonum; auditus uterque, atque etiam abſolutus eſt: at verò pœna decreta patri, qui tantam in filiis animorum diſſenſionem non compeſcuerat. Plutarch. de Lacedæmon.

264. Myſterio non vacat, quòd Geneſis 38. dicitur: *Dedit autem Judas uxorem primogenito ſuo Her, ſultque Her primogenitus Judæ nequam in conſpectu Domini.* Gen. v. 6. & 7. cur bina in textu hoc primogenituræ repetitio: præſertim cùm Her ob malitiam ſuam à Domino paulò poſt occiſus improlis abierit? crediderim ideò iteratum nomen primogeniti, ut intelligeretur Her magìs fuiſſe libidinis paternæ, quàm bonorum ejus hæredem: tam erat Judas in venerem pronus, ut etiam de facie ignoto ſcorto in via ſibi occurenti adhæſerit. An tam mali

corvi

corvi Her ovum ſit bonum? nil minùs: *fuítque Her primogenitus Judæ nequam*: *ly nequam* patrem æquè ac filium hîc denotat, fors una voce *nequam* utrumque notare voluit os Domini. Hic ipſe Judas etiam ſomniatæ fratris Joſephi inviderat gloriæ, ac felicitati. Gen. 37. v. 8. atque Onan filius ejus ipſe invidus fuit gloriæ germani ſui jam defuncti, ne enim huic ſuo fratri ſemen ſuſcitaret, prodigere maluit. Gen. 38. v. 9. Necdum Onan natus fuerat patre ſuo Juda invidiæ fomitem in Joſephum alente, & tamen ignarus paterni delicti ſubin patris invidentiam eſt ex aſſe imitatus. Haud opus, ut ſuis oculis culpas parentum filii videant, aut ut eas ab aliis intelligant, ſufficit filium eſſe, ut contrahas peccata originis. Hinc notum illud. *Non procul à proprio ſtipite poma cadunt.*

265. Vice verſa id quoque certum, ſufficere ortum eſſe ex probis parentibus, ut ad bonum habeas incitamenta. Quàm ſapienter vel ſomnians Joſephus meditatur! velut Solem, & Lunam genitores ſuos juveni Morpheus depinxerat, cùm illicò filios eorum Joſephus contemplatus eſt inſtar ſiderum: *& ſtellas undecim adorare me.* Gen. 37. v. 9. filii ſolis, ac Lunæ alii eſſe non poterant, niſi ſtellæ. Ita eſt, ſtellæ fuerunt filii Jacob, qui luce à parentibus accepta lucere nôrunt, etiam in abſentia eorum. Non eſt ſtella ùt ſpeculum, hoc tam diu ſplendet, ac ſolis imaginem reflectit, quamdiu ipſe ſol adeſt; etiam occumbente Phæbo lucent ſidera minora. Hinc ſapientiæ 4. v. 1. dicitur, *ô quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius;* quomodo immortalis, ſi etiam clariſſimis virtute omnigena parentibus ſtatutum eſt mori? ita, immortalis eſt hæc virtus, quia à patre in filium transfuſa in filio vivet, à filio transibit in nepotem, & nunquam occaſum videbit ſplendor virtutis. *Mortuus* quidem teſte Eccleſiaſtico *eſt pater, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* cap. 30. v. 4. Jam mortua erat Rachel, & tamen de ea Judas velut adhuc vivente loquitur. *Et ipſum* nempe Benjamin *ſolum habet Mater ſua.* Gen. 44. v. 20. non dicit, *habuit*, ſed *habet*, nempe Rachel in ſe mortua vivebat in filiis Benjamino, & Joſepho. Clariùs id ipſum Deus in Abrahamo oſtendit, cùm celare huic ſervo ſuo fideli noluit, quæ cum eo ipſe Dominus erat geſturus. Rationem autem hanc dedit. *Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini.* Gen. 18. v. 17. ubi duo notanda; primum, quòd venturorum manifeſtatio non ſit facta Abrahamo ſolùm ob præclarè ab eo geſta, ſed quia & filios ſuos bene vivere docuit. Hinc Chryſoſtomus Homilia 42. in Gen. *Non tam mercedem accipit, quia ipſe bene egit, ſed quia & præcepit natis ſuis.* Sic videmus, merita omnia & ſingula Iſaaci filii, ùt obedientia, pietas, ſacrificium

crificiumDeo in ipso offerendum cessisse in laudem & gloriam ipsius Abrahami, *quia fecisti rem hanc*, Genes. 22. v. 16. Hinc Mendoza: *quidquid bonus filius agebat, refundebatur in parentem.* Alterum quod notari eo textu meretur, est, quomodo vir sanctus suam in timore Domini posteritatem instruere potuerit. Ut *filios suos* doceat viam Domini, capi potest, quomodo autem erudiat nepotes post mortem suam, *quomodo præcipiat domui suæ post se*, non tam est captu obvium? at verò etiam hoc valuit Abraham, qui sibi mortuus vivebat adhuc in aliis. Parens bonus & probus familiæ suæ jugiter inculcat pietatem, nam uti bona sua ad illam, sic etiam virtutes derivat, non minùs ac pater malus, cum hæreditate à seris etiam nepotibus vitia transfundit. Ecce jam, an æquum sit plecti, aut etiam præmio affici vitia, & virtutes parentum, cùm & hæ, & illa in filiis etiam post patrum fata vivant! ô quot culpas deflere debent, atque etiam, nisi defleverint, debebunt luere perversi parentes in filiis suis!

Idea LII.

Nulla melior educatio bono Exemplô.

266. VOluit ipse Servator videri sapientiâ, & gratiâ crescere sub directione sanctissimæ Matris suæ, non quòd revera crescceret, cum infinitum in omni genere augeri nequeat; sed quia paulatim hominibus magis innotescebât virtus, & sapientia Christi. *Et Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines*, Luc. 2. v. 52. Voluit, ut appareret in schola Virginis etiam ipsam sapientiam, & perfectionem ad oculum progredi. Si rationem petas hujus efficaciæ, liquet illam non constitisse in eo, quod virgo Dei filio dicebat, sed quod in oculis ejus, ùt Mater faciebat. Maria non docuit loquendo sed faciendo; qui est melior præcipiendi modus. Haud quidem indigebat hic filius ad sui institutionem exemplis suæ Matris, sed tamen Mater tenebatur, quàm maximam hujus filii habere curam, qui sponte se illi subjecerat; ùt constat ex loco cit. n. 51. *Et erat subditus illis*, licèt ex nullo Evangelii textu habeatur, quòd parentes ei quidpiam præceperint. Sed quomodo Jesus Matri suæ obsequi poterat, si ea nihil præcipiebat? quia Deipara non mandabat ore, sed opere. Christus autem audiebat mandatum operantis potiùs, quàm præscribentis, quod est præstantissimum obediendi genus. Illæ omnium optimè serviunt ancillæ, quæ dominarum manus potiùs, quàm labia attendunt, neque tantúm auditu indigent, ut obediant, quan-

quantùm oculis ut imitentur. Hinc David de his: *ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ.* Pſ. 22. v. 2. Tale exemplum nobis dedit Jeſus, opera Matris quàm optima ſequebatur ipſe, utpote filius ei perfectiſſimè ſubditus; licèt qua Deus ipſam quoque Matrem ſuam ad culmen perfectionis dirigeret. Ecce hic educationem Filii Dei, qui factus homo ſe ipſum exhibuit normam, ad quam educarentur filii hominum! En educationem omnino Divinam ex parte Filii, ex parte Matris in omni genere perfectam, utramque nunquam interruptam, ac vivis jugiter exemplis adumbratam! ſic intelligo ea Geneſeos verba, quibus antiqui ſerpentis caput à muliere conterendum minatur Deus. *Ipſa conteret caput tuum.* cap. 3. v. 15. quod patrum multi de filio interpretantur, quod de matre dictum: hinc illi legunt: *ipſe conteret*, ſed quo modo iſti Filio tribuunt, quod Deus Matri dedit! hac ratione ſi is fecerit id, quod faciet: de tali autem Filio qualis Chriſtus erat, exempla Matris ex amuſſim ſecutus, legitima conſecutione inferri poterat: *Ipſa conteret:* ergò & *Ipſe.* Obſecutus præcepto Divino Abraham circumciſionem ſubiit, & ocyus exemplum ſecuti patrisfamilias maſculi omnes ex ea domo cultrum paſſi ſunt. *Eadem die circumciſus eſt Abraham & Iſmaël filius ejus, & omnes viri domus illius tam vernaculi, quàm emptitii, & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.* Gen 17. v. 26. & 27. Nec unus quidem Patriarchæ exemplo in re licèt tam dura obſecundare vel ad tempus neglexit. Pari ratione Regulus ille, de quo Joannes, fidem in Chriſtum ſuſceperat, cùm ecce domeſtici ejusdem omnes illicò evadunt fideles. *credidit ipſe, & domus ejus tota* cap. 4. v. 53. Patre ethnico filii, & ſervi pariter ethnici perſiſtunt; at ipſo credente ecce domus credidit tota; Contrarium apparet in ſole ſtellarum Principe: vix Planeta hic olim obſcurabitur, cùm & cæteri lumen ſuum amittent, ùt futurum prædixit Chriſtus: *erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Luc. 21. v. 25.

Non erat magnum tempore diluvii 267.
in Arca Noë incontinentiæ periculum. Nihilo ſeciùs Patriarcha cum natis, & uxor illius cum conjugibus filiorum ſeorſim illi ab iſtis pedem intulêre in Arcam. *Et ingreſſus eſt Noë, & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus.* Gen. 7. v. 1. Sed in egreſſu quilibet conjugem ſibi comitem habere juſſus: *Egredere de arca tu, & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum.* Gen. 8. v. 16. Liquet nihil timendum integritati Noëmi Senis, licèt in arca, quàm proximè convixiſſet uxori ſuæ, at verò timendum erat filiis junioribus. Quò ergo hi mitiùs ferrent eam ſeparationem, primus illam ſuſcepit parens: præivit iſte, ſecuti ſunt illi. Per Iſaiam jubet Deus, ut ſe loquentem audiat tellus omnium germinum parens, dein plantæ, velut telluris filiæ. *Audiat terra, & plenitudo ejus, orbis, & omne germen ejus.* cap. 34. v. 1. Nunquam puſillanimis cervorum hinnullus

nulus per abrupta montium, & in acceſſas rupes decurreret, niſi corvam matrem videret præcurrentem. Etiamnum gyros cœli primum mobile irremmiſſo curſu perambulat, & nullus ſidereorum globorum unquam curſum ſiſtit. Quàm magna eſt vis exempli à ſuperioribus influentis in inferiora? quod fugit ſuperior, prohibet! quod facit, præcipit! nulla prohibitio iſtâ potentior, nulla lex efficacior, nulla œconomia parentibus convenientior.

268. Ecce hîc genitores modum trahendi, quocunque velitis natos veſtros! gignere hos potuiſtis, quia ita lubuit, bene educare non poteritis, niſi exempla bona illis, præſtiteritis. Educatione iſtâ & gloriam veſtram, & amorem ipſorum conſequemini. Quando generâſtis, filios veſtros feciſtis: ſi ita educabitis facietis filios Dei. Quot filios ſuſcepit Jacob! tot, ut in patres ſufficerent duodecim tribubus Iſraël, adeóque omnis populi Dei dici poſſent Parentes. Hoc non obſtante ſacer textus Jacobi generationes recenſens ſolum Joſephum inter natos illius reponit. *Et hæ ſunt generationes ejus, Joſeph.* Gen. 36. v. 1. Quia ſolus Joſeph dignus Jacobo filius, hic ſolus, quàm optimè educatus, in quo paternæ dotes excellentiùs relucebant. Eſau numeroſiſſima Gen. 36. ſoboles refertur, & verſu primo dicitur, *hæ ſunt generationes Eſau*, ac ſubin prolixus natorum catalogus contexitur. Ita eſt malus cenſere poteſt filios plurimos malitiâ patri pares; ſed patris juſti ac ſancti, qualis Jacob, unus Joſeph innocens dicetur filius. Gloria Eſau ſit longa nepotum ſeries, in qua paterna vitia velut in imagine adumbrentur, Jacobi gloria unus erit Joſeph, in quo virtus patria omnis ſplendeat, ac in alios ſubin transfundatur. Deus in omni genere atque etiam in ratione Patris infinitus unicum filium genuit, quia unicus bonitate & perfectione Filius in Divinis poteſt eſſe æqualis Patri, in quo ipſo conſiſtit eſſentia Patris in Triade Ineffabili, generare vivam Imaginem perfectionum ſuarum omnium. Per hoc Pater Divinus & eſt, & dicitur Pater, quia concipit, & producit pulcherrimum conceptum ſubſtantialem omnium divinarum perfectionum expreſſivum. Filius verò idcirco eſt, & dicitur Filius, quia velut ſpeculum in ſe ipſo repræſentat Paternas perfectiones, & quidem ita, ut nemo intueatur Filium hunc, quin in illo Patrem conſpiciat. *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Joan. 14. v. 9.

269. Hæc Deo ſunt propria, ùt docet fides, verùm etiam in humanis divus Paulus non ſinit dici patrem, niſi exemplum ſit filiis, ita ſcribens ad Corinthios: *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres, nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* 1. Cor. 4. v. 15. Quòd gentium Apoſtolus Corinthiorum ſe dicat Patrem, quippe quos per fidem Chriſto genuit, captu eſt facile; at verò quòd inter pædagogorum dena millia, qui & ipſi

ipsi in rebus Evangelii Corinthios instruxerant, quàm pauciſſimi nomen patris mereantur, heteroclitum apparet. Pædagogi dicuntur, inquit Lyra, *quòd pedibus agant, qui idem sunt, & pede sequi.* Homines isti discipulos suos sequebantur, oretenùs duntaxat eos instruebant nil soliciti præire exemplo; docebant verbis, non autem factis; atque adeò, licèt fuerint magistri, seu docentes, non tamen fuerunt patres; censere poterant doctrinæ suæ proselytos, non veræ fidei, ac genuinæ virtutis filios. Paulus dici jure Pater meruit, quia Corinthios virtutum præclaris exemplis genuit, quarum ibi largum catagolum texit: *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus laborantes manibus nostris.* v. 11. Paulus suos manibus potiùs, ac linguâ instruebat, operibus magìs, quàm verbis, quod est propriissimum illi, qui in Christo generat, qui verus cupit esse pater; scilicet in se ipso exhibere debet Evangelicæ perfectionis exempla, quæ in filiis quis cupit videre expressa. Hinc idem gentium Apostolus addit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* v. 16. Et verò quomodò pater sit, qui non præit exemplo, si neque bonus pastor esse queat, nisi id ipsum præstet. De bono Pastore dicit Christus, quòd suas oves præcedat: *Ante eas vadit, & oves illum sequuntur.* Joan. 10. v. 4. quod si ipse non præeat, quomodo istæ sequentur? Magister esse poterit, vel pædagogus, pater, aut pastor esse talis non poterit. Filios dæmonis nuncupavit Pharisæos Dominus. *Vos ex patre diabolo estis.* Joan. 8. v. 44. cujus rationem hanc subjunxit, *& desideria patris vestri vultis facere.* Ita notavit Toletus dicens particulam eam copulativam *&*, nihil aliud denotare, quàm causalem: ac si diceret, *ex diabolo patre estis, quia studia, & mores ejus imitamini.* Et paulò ante Christus pari ratione ostenderat, eos non esse filios Abrahæ objiciens ipsis: *si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* v. 39. Hinc Augustinus: *Hæc est quædam paternitatis ratio, quam non tam pater ipse constituit, quàm filii: nos enim illum imitando Patrem facimus: non ille nos creando filios.* in Psalm. 64. & Epist. 75. Quòd si ergò imitatio patrum filios constituit, clarum est, eum, qui exemplar imitationi præbet, non solùm educare, sed etiam appropriare sibi filios, nec meliorem esse educationem filiorum, quàm illam, quæ perficitur non verbis, sed exemplis.

Et horum ratio, quàm certa tam 270.
universalis, ut Seneca scripsit: *Homines ampliùs oculis, quàm auribus credunt, & longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.* L. 1. Epist. 6. additque Cleantem nunquam tam perfectè mores Zenonis Magistri sui expressurum, si solùm audisset dicentem, sed vidit, observavit, cordis penetravit intima, & conspicatur ipsum ex amussim vivere, prout vivendum esse dicebat, quò imitaretur imaginem istam, plùs se incitatum fatetur

exemplo, quàm verbo. Oves Jacob maculoſos agnos concipiebant, quia intuebantur variegatas virgas ipſarum oculis ſtudiosè à Jacobo objectas: *Factúmque eſt, ut in ipſo calore coitus oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa.* Gen. 30. v. 39. Hinc Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Doctores lucem eſſe dixit: *Vos eſtis lux mundi.* Matth. 5. v. 14. At verò cùm mundus cæcus ſit, & dux cæcorum, quid illi lumen proderit? non prodeſſet, ſi cæcitas hæc eſſet mundo intrinſeca: inde oritur, quia neceſſario ad videndum lumine deſtituitur; lucem profer, in qua videat, quod debet videre, & illico ex cæco fiet oculatus. Lux ſit in manibus, lux in operibus, & videbit mundus, ut & ipſe glorificet Patrem, qui in cœlis eſt. Ita Chriſtus ſuos lucere voluit, prout ille præluxit: *Cæpit Jeſus facere, & docere.* Act. 1. v. 1. idcirco Euſebius Gallicanus. *Sermone*, inquit, *& opere lucere debetis: magis autem operando, quàm loquendo, quia major eſt ſplendor operis, quàm ſermonis, unde non ait, ut audientes bonum veſtrum ſermonem glorificent Patrem; ſed quid ait? ut videntes opera veſtra glorificent.* Homil. in cap. 5. Math.

271. Integro triennio Jeſus Apoſtolos ſuos inſtruxit, ut aptos formaret Verbi Divini Præcones: neque tamen legimus unquam eos inſtructos eſſe, qua ratione deberent loqui, ſed quomodo opus eſſet operari. Prædicatores volebat, ſed qui magis docerent exemplo, quàm verbo: illud enim brevius ad virtutem, & chriſtianam perfectionem iter, quàm iſtud, & longè citius fieri poſſe creditur, quod facit alter, quàm quod faciendum dicit. Æquè infinita eſt Dei bonitas, quam nos in exilio credimus, & in patria Beati vident. Et tamen hîc ſolùm ad amorem allicit, ibi neceſſitat, nempe viatores nos audimus, comprehenſores illi vident infinitas haſce Dei perfectiones. Nihil æquè perſuadet virtutis amorem, ac virtutem cernere univerſim amatam, nílque potentiùs trahit ad virtutis ſequelam, ac videre, quod multi eam ſequentur. Hinc Mellifluus: *Sermo vivus, & efficax exemplum facilè faciens ſuadibile, quod dicitur, dum monſtrat facibile, quod ſuadetur.* ſerm. de Sancto Benedicto. Et in rem hanc optimum ſuggerit monitum divus Hieronymus. *Attende fis, ne confundant opera tua ſermonem tuum: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: cur ergò hæc, quæ dicis, ipſe non facis. Delicatus magiſter es, qui pleno ventre de jejuniis diſputas: accuſare avaritiam, & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, manúsque concordant.* libr. 2. Epiſt. 10. Verbum Dei ſemen eſt, dicit Chriſtus. Luc. 8. v. 11. niſi id ſeminetur, nil fructus affert; ſed qui ſeminat non ore, ſed manu ſemen projicit. Verbum æterni Patris in ſe erat inacceſſum, nec mundum docuit, donec ſe illi ſpectandum dedit. Ita teſtatur Joannes: *Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus*, cap. 1. v. 14. Verbum iſtud

docere

docere potuit contemptum mundi, & rerum caducarum, donec tamen viderimus gloriam humilitatis ejus nunquam credebamus glorioſum humilem. Opportunè Gregorius Nyſſenus, *dedit*, inquit, *Deus homini manus, ut meliùs loqueretur.* de opific. cap. 8. Neque id inficias quis iverit, oratoris ſermoni multùm efficaciæ accedere ab ipſa actione. Id certiſſimum neminem meliùs dicere, quàm qui optimè facit. Tales Servator vult prædicatores ſuos, *qui ſint ſal terræ, & lux mundi.* Cur ita, quia ſi jubet hominibus inculcare abnegationem ſui, & veteris hominis abolitionem, & jam vult, ut factô in ſe ipſis id oſtendant, qui ore hoc faciendum docent. Niſi liqueſcat ſal cibis inſperſus, ſaporem his non conciliat, & lux, quæ illuminat ſe ipſam quoque conſumit: ſal ergò, & lux ſint verbi Divini præcones, ut ſint ſibi ipſis mortui, ſi aliis volunt efficaciter ſuadere crucis mortificationem.

272. Curruum rotæ illuc incedunt, quà illas currus trahit. In eſſedo gloriæ Divinæ apud Ezechielem rotæ ductum ſequebantur animalium trahentium, ſive per terraquam, ſive per aëra eundum foret. *Cúmque ambularent animalia, ambulabant pariter, & rotæ juxta ea, & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur ſimul & rotæ.* cap. 1. v. 29. Qui in via virtutis, & in funiculis charitatis vult trahere alios, ipſe inſiſtat viæ virtutis, ac charitate ferveat, neceſſe eſt. Væ mihi ſemel exclamavit Iſaias, *væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum: & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* cap. 6. v. 5. nempe talis populus, qualis ſacerdos. Quò utrumque ſanaret Deus, carbone ignito ſui Prophetæ labia tangit, ſi hujus lingua ſancta inde evadat, cæterorum linguæ itidem ſanctæ erunt. Si caput doleat, aut cor infirmetur, corpus reliquum malè habebit. Hinc idem Propheta dixit: *Omne caput languidum, & omne cor moerens, à planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Iſ. 1. v. 5. Vix non prodigio ſimile, quod in Centurionis domo contigit, ut omnes dicto eſſent obedientes, uti fieri deberet in monaſterio. *Et dico uni vade, & vadit, & huic veni, & venit.* Matth. 8. v. 9. Sed id mirum ampliùs non eſt, ſi inſigni obedientiæ exemplo ſervis ſuis præluceat Centurio Dominus. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus.* ibid. Primus Jordanem tranſeat Joſue, & illico pedem illuc inferet populus totus. Joſ. 3. v. 6. Sive Gedeon ſit, ſive Abimelech, qui aliis præcipit, juſſa omnes exequentur, idque pulcherrimæ æmulationis ſtudio, ſi ita præcipiat; *quod me facere videritis, hoc facite.* Judic. 7. v. 17. & c. 9. v. 48. Qui ipſus perficit, quod aliis præſcribit, ſemper habet dicto obedientes, nunquam non loquitur victorias.

Idea LIII.

Bene vult filio, qui vult bonum.

273. SI idem est amare, ac bene velle, dico paucos inveniri patres, qui filios suos ament. Cùm enim illis curent multa bona, nec bonos volunt, nec ipsis bene volunt. Malè tibi cupit, fili, qui solùm terrena bona tibi cupit, quæ malum te faciant, nec multùm curat illa bona, quæ sola possunt bonum facere. Domum paternam linquebat Rebecca itura ad sponsum Isaacum. Abeunti ita precatur Mater. *Crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Gen. 24. 60. En vota, quæ caro, & sanguis dictant! Ecce quid Matres omnium maximè optent filiabus suis! Mater Rebeccæ non petit, ut filia jam matrimonio locanda sit pia, devota, Deo & viro suo dilecta, nec ut eidem obveniat maritus, bonus, sanctus, timens Deum; sed ut filios possideat potentiâ, imperiis, & devictis hostibus claros: modò tales filios obtineant parentes, qui magni sint coram mundo, qui sceptra rotent, qui aliis dominentur, parùm carnis, & sanguinis interest, sive impii fuerint, sive probi. Neronis matri Agrippinæ Harioli vaticinabantur occidendam â filio, si Imperator fieret. Reposuit illa: *occidat, dum imperet:* stultè præoptans videre matricidam Neronem, quàm non videre Imperatorem. Quàm stolida petitio matris filiorum Zebedæi: *Dic,* inquit Christo, *ut sedeant hi duo filii mei unus ad dextram, & unus ad sinistram in Regno tuo.* Matth. 20. 21. Illorum duntaxat ambitiosa mulier hîc meminit: quorum omnium maximè debuisset oblivisci: neque causa iis petendi Filii Dei favoris fuit, quia erant Apostoli ejus, quia relictis omnibus promptè eum fuerant secuti, sed quòd ipsa esset eorum mater, & quin ipsi erant hujus matris filii: *Hi duo filii mei:* quid autem petit? nempe quòd omnes ferè matres natis suis petunt. Delicias, honores, imperia, sedes regni primas, locum ad dexteram, & sinistram Monarchæ summi. *Unus ad dexteram, & unus ad sinistram in regno tuo.* Siccine pro filiis tuis peroras mater? sanè loqueris uti una de fatuis mulieribus! sinistram alterutri petis, id est locum reproborum, dum bona illis procuras. An non audisti quid aliàs supremus hic Dominus de se ipso omnium Judice dixerit, quod olim sit constituturus *hædos à sinistris.* Matt. 25. 33. sed hæc non permittit videre, nec audire matris in filios cæcus amor? Modò illi sedes primas occupent, reliqua sus déque habet, verè nescia, quid vellet, *nescitis, quid petatis!* ô quot aliæ huic similes filiis suis, quid

quid petant, neſciunt! Quid prodeſt, ſi nati mundo imperent, cùm interim velut mancipia viliſſima ſuis cupiditatibus ſerviunt? Quid prodeſt, ſi centum annos fruantur bonis, quæ hîc ſunt, cùm dein ardere ibi debeant ignibus æternis? Quid prodeſt, ſi mundum univerſum lucrentur, animæ verò ſuæ detrimentum patiantur? Quid denique prodeſt vitam corporalem illis prorogare, ſi ipſi interea virtutem omnem prodigant.

274. Judas Jacobi Patriarchæ Filius plùs cæteris viſus eſt amare Joſephum fratrem, quando germanis cæteris in Joſephinam necem conjuratis dedit conſilium. *Meliùs eſt ut venum detur Iſmaëlitis.* Gen. 37. 26. ſed amor hic alius non fuit, quàm carnis, & ſanguinis. An non deterius, atque intolerabilius innocuo juveni, ut in ſceleſtorum manus incidat, quàm ſi incurrat in mortis fauces? Poterat Joſeph incontaminatus vitam claudere in puteo, ſed vix illibatam conſervavit pudicitiam ſuam in Ægypto. Fratres reliqui ſolùm aufferre parabant vitam corporis, Judas manifeſto puerum exponebat periculo amittendæ ſalutis animæ. Illi ſi florem hunc præcidebant, germinâſſet is ſicut lilium, iſte ſi florem ſiviſſet vivere, ut rubum, flammis eum circumdabat, quæ omnem lilii candorem aufferre poterant. Muſtela alba occidi mavult, quàm fœdari, id ipſum præoptâſſet Joſeph: ſed hujus mundi prudentia alias leges ſervat; cavet, ne corpus pereat, ne anima intereat cura nulla. Modò in puteo vitam non amittat Joſeph, votum Judæ expletum eſt, cuicunque diſcrimini objiciatur integritas animi. Vivat ille, licèt etiam Ægyptiis, genti religione, moribus, & vitiis infami ſerviat. In regione longinqua ille periclitetur, modò ſortem habeat bonam, nil refert, quòd ictui pateat virtus, & vera Numinis religio. Quænam hæc fratris in fratrem pietas? quis amor? an hoc ſit benè velle, & non potiùs malè? an pejus quid in Joſephum moliri poſſet vel juratus hoſtis? an vel vatinianum odium magìs poterat nocere innocuo adoleſcenti? Etiam inveterati illi malorum ſenes caſtæ Suſannæ conſilium dabant, ut morte animæ corporis vitam, & honorem redimeret. *Aſſentire nobis* inquiebant ſceleſti, *quòd ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium.* Dan. 19. 20. Et quale iſto conſilium pejus? certè id ipſa agnovit, quando dixit. *Meliùs eſt mihi in manus veſtras incidere, quàm peccare.* ibid. v. 23. Serpens totum corpus plagis offert, ut caput tueatur, quo prudentiam ſuam oſtendit exponens omnia ſua, ut, quod optimum habet, ſervet? Et quæret pater vel frater, ut corpus ſervet filii, animam partem hominis longè nobiliſſimam, perdere? quid ais Juda? *meliùs eſt, ut venum detur Iſmaëlitis?* Itáne verò vivere ipſum vis, licèt ipſis ſerviat diabolis? non ſic Suſanna, quæ dicit mori meliùs, quám peccare, non ſic muſtela, quæ occidi mavult, quàm fœdari, non ſic ipſe Joſeph

ſeph vellet, cui utique meliùs mori lilium in puteo, quàm amiſſo candore regnare in ſolio. Quid amittit ſi moritur liliis candentibus coronatus, ut inter Angelos æternùm niteat? quid non amittit ſi vivat inter petulcos hircos ad bruti dejectus conditionem? Malum ſanè conſilium! cæcam prudentiam! Qui ſic amat, peſſimè alterum amat.

275. Qui ita filium diligit, ut mortuum malit mundo, quàm Deo, vitâ corporali, quàm Divinâ gratiâ deſtitutum, ille bene, imò unicè diligit. Blanca Regina Galliæ ſæpe filio ſuo ſancto Ludovico: *Videam ego te ante mortuum, quàm peccato maculatum*; itáque optando meruit filium diu videre vivum, Regem, atque etiam ſanctum. Id curent Parentes, ut nati plus horroris concipiant adverſus peccatum mortale, quàm ſi vel mille ingruerent mortes! In monte Eſau inter delicias educatus incorrigibilis evaſerat, & obſtinatus in malo præſertim in fratris odio, ſolùm præſtolabatur Patris fatum, ut peſſimum ſuum fratris occidendi expleret propoſitum. Verùm hanc non ſatis corde preſſit, ut ex abundantia non in ipſum etiam os incurreret. Parricidium intentatum, ut excepit dolenti aure mater Rebecca Jacobum vocat, atque migrare domo jubet, vel nocte intempeſta: *Conſurgens fuge ad Laban fratrem meum.* Gen. 27. v. 44. Cúmque fortè non nihil tergiverſaretur Jacob, illa velut doloris plena filium his verbis perſuadet. *Cur utroque orbabor filio in uno die.* v. 45. duo hic notanda videntur: unum in conſilio: alterum in ratione conſilio addita. Rebecca utique Jacobum teneriùs amabat quàm Eſau? & quis de hoc dubitat? Patris benedictionem ei procurârat, atque primogenituram? Cur ergò, quæ tam erat ſolicita, ut bona obtineret paterna Jacob, filium domo paterna ſolum, pauperem, fugitivum ad Labanum mittit, qui nepoti nec cibum dabit, niſi quem ſudando, & algendo laboribus ſuis merebitur? cur quæ Jacobum diligit ùt oculi ſui pupillam, ejus aſpectu longo tempore carere velit? ſed nihiloſecius inſtat Rebecca, filio fugam ſuadet. Quia nempe præeligit videre filium pauperem, exulem, imò tam à ſe dilectum omninò non videre, quàm ſtatim fortè videre filium alterum fratricidam. *Fuge*, etiam primogenita, & cætera omnia fratri cede, nam meliùs mihi videtur, ut tu omnia perdas, ne frater tuus animam perdat. *Fuge*, fortè ſi te non viderit, requieſcet furor fratris tui, & ad necem te porrò non quæret, quia magis opto te videre pauperem, quàm ipſum peccatorem. Hoc indicare voluit per rationem conſilio junctam; *cur orbabor utroque filio?* quid ais mulier? ſi etiam Eſau furor compleatur, Jacob ſolus cadet hujus furoris victima: minimè, uterque morietur, Jacob à fratre occiſus, Eſau fratricidio defunctus: ille corpore peribit, iſte mentè! utriusque matri dolenda jactura, ſed hæc magis, quia revera major? Hoc fertur judicium in domo Abrahæ, & Iſaac

Isaac justorum, imò in Domo Dei, ubi mors ejus magis defletur, qui contra jus, & fas occidit, quàm qui innocuè occiditur. Ego dicit Rebecca tanquam mater filiorum verè amans magis formido mortem filii peccantis, quàm exspirantis; mihi pejùs olet animus tam grandi piaculo inquinatus, quàm corpus quatriduano jam monumento fœditum. Eam potius mortem timeo, quæ occidit animam vivi, quàm quæ in perpetuas æternitates vivificat animam occisi. Ecce hic matres lectionem optimam in schola amoris, quo in filios ferri debetis! En quid natis vestris optare necesse est, si revera bene ipsis vultis, scilicet ut salvus fiat spiritus, etiamsi foret pereundum carni, quæ aliquando certò peribit. In id incumbite ut fiant boni, etiamsi in hoc toleranda mille mala.

276. Manue improlem solaturus Deus, Angelum mittit, qui filium ei spondeat, illúmque Israëlis liberatorem â jugo Philistinorum. Vix nuncio recreatus parens priùs considerare incipit, quid agendum filio, quàm quis sit futurus. Non ergo rogat, an miles an verò Dux sit constituendus, ubi prælia miscenda, quæ legendæ victoriæ, quænam hostium referendæ exuviæ. Neque etiam illud scire avet, an sit evasurus dives, an pauper, an glorioſa prole beandus, an verò sine pósteritate olim ad Patres abiturus. Hæc omnia, quæ caro & sanguis revelat, ad quorum scientiam astra & horoscopi consuluntur, ne quidem in mentem Manue veniunt. Id solùm recogitat, ut rescire possit quid de puero velit Deus, qui puerum dare clementissimè sibi immerenti promisit. Hinc ab Angelo petit, *quid vis ut faciat puer, aut â quo se observare debebit*? Judic. 13. 12. Digna tanto Patre interrogatio, cui promittebatur talis filius! id solùm scire petit, quod parentes alii, ne quidem audientes intelligere volunt! quis patrum hodie rogat Deum, vel Angelum Dei, ut sciat, quid filius suus agere debeat, & â quo abstinere? paucos fortè invenies, qui vel sponte loquenti Deo in eo aures præbeant, imò multi sunt, qui affectant aurium, vel præcordiorum duritiem, si pro filiis cœlum ad cor parentum clamet. Id solicitè divinare volunt, atque etiam hinc inde scire petunt: *quis putas puer iste erit?* quænam sors eum manebit? an magnas habebit dignitates? an multas divitias? an fausta matrimonia? an in bonis ducet dies suos? Non sic Anna celebris illa Samuelis Mater. Prudentiùs petere novit, & quod petiit feliciter obtinere meruit. Filium illa â Deo expetiit, & filium cœlitùs sibi datum Deo reddidit. *Si dederis ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* 1. Reg. 1. 11. Ad Dei obsequium sibi donari filium poposcit, & talem habuit, qui fieret primus in populo electo Dei minister, & supremus Israëliticarum Tribuum Judex. Archangelus Gabriel Altissimi legatione ad Virginem functus, ut hujus consensum in Dei maternitatem obtineret,

neret, motivâ plura, eâque gravissima attulerat. Prædicit augusta de Filio ipsi nascituro. *Hìc erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Quòd sit futurus Rex, & quidem perennis: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Luc. 1. v. 32. Sed hæc, & alia ejusmodi necdum Virginem movent, ut annuat cùm minimè appeteret magnas dignitates, sed eximias virtutes, non honores, & glorias, sed illibatæ vitæ sanctitatem, hinc antè non consentit, quàm audiat: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* v. 35. Ecce hîc quid parentes in filiis suis optare debeant, nempe ut sint sancti coram Domini oculis, non magni in oculis mundi, ut boni sint, non ut sint honoribus, & Divitiis instructi, ut hæreditatem possideant salutis, non ut bonis fruantur impiorum. Maria Filium suum sanctum voluit, *quòd nascetur ex te sanctum*, & infinitè sanctum obtinuit. Patres natos suos bonos â Deo postulent, & bonos habebunt, simul & magnos. Cœlum præ reliquis bonis filiis suis desiderent, & non tantùm de rore cœli, sed etiam de pinguedine terræ isti accipient. *Quærite primò* vobis, & filiis vestris *Regnum Dei, & justitiam ejus atque cætera omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. v. 33.

277. Isaac solaturus primogenitum suum post benedictionem Jacobo datam ita benedixit Esau *in pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua: vives in gladio, & fratri tuo servies.* Gen. 27. 39. Ista est reproborum benedictio. Incipit hæc de bonis terræ, quæ ipsi præ reliquis in pretio habent: vivunt sanguinarii, & vitiis per vitæ decursum serviunt. Non sic benedictio Jacob: hæc ab influxu cœli primordia trahit, & subin incrementa habet quàm plurima etiam hujus vitæ bonorum. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abuntiam frumenti, & serviant tibi populi.* ibid. v. 28. Hæc est filiorum Dei digna benedictio, ea obtenta nil porrò dandum neque desiderandum restat, ùt ipse Isaac agnovit, quando Esau instanti, ut sibi quoque benediceret, respondit: *Et tibi post hæc fili mi, ultrà quid faciam.* v. 37. quid ergò dedit Esau, si nil ultrà habeat, quod daret Isaac? nil dedit, cùm omnia Jacobo jam dederit: nam illud, quod etiam huic videtur dedisse purum erat nihilum. En quid illis obveniat, qui solùm de terrenis curant, cœlestia amittunt, & terrena sua non faciunt: Qui hæc solùm quærit, inter mille solicitudines omnem suam vitam transigit, ac denique mancipium vile illorum factus, inglorius moritur. Vide quid filio desideras, an Jacobi, an verò Esau benedictionem, si bona caduca ipsi optes, & perenia nihili pendas, accipiet forte de pinguedine terræ, sed unà erit alter Esau homo ferus, præceps in odia, & iras, & à Deo reprobatus. Benedictionem proin Jacob illi precâre, ac bonum potiùs

ac

ac felicem opta, prout filios ſanctorum decet; ipſum educa, omnem in id curam impende, ut probus evadat, & ſic etiam obtinebit abundantiam frumenti, & populorum obſequia. Tuo exemplo doceatur filiùs animi majorem, quàm corporis, virtutis, quàm divitiarum, cœli, quàm terræ æſtimationem habere, & in omnibus bene habebit.

278. O ſi animas tanti faceremus, ac corruptibilia hæc corpora! ô ſi non tantùm carni & ſanguini tribueremus! ô ſi eſſemus magis ſoliciti, ut immortalis anima beatæ æternitati cum Angelis viveret, quàm ut ſtaret incolumis vita hæc mortalis etiam brutis communis! ſed nil minùs fit hodie, prima cura corporis, ultima animi. Hic mos & ſtylus eſt apud hodiernos parentes, tota vitâ illi anxiè laborant, ut filiis obtineant, quod olim revertatur in pulverem, & nec pedem movent, ut habeant, quo luceant velut ſtellæ in perpetuas æternitates! neſcio an bene dicam, ſi dixero, bona plùs debere poſſeſſori ſuo, quàm filius patri; id ſcio, minimùm videri rem ita ſe habere. Oſtenſurus Chriſtus gaudium Angelorum ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, tres hominum claſſes de re inventa lætantes adducit, Paſtorem, qui oviculam, mulierem, quæ drachmam, Patrem, qui filium recepit. Luc. 15. 4 9. & 11. Id tamen notatu dignum, quòd licet in ſingulis lætitia fuerit ob rem inventam maxima, cura tamen rei deperditæ rurſus recuperandæ exſtiterit valde diverſa. Remiſſam ovem Paſtor inſequitur per avia, & invia ſcandendo montes, pererrando valles, calcando ſpinas, donec eam apprehendat, apprehenſam verò humeris ſuis jam ſudore, & labore fatigatis novum onus imponit. Amiſſâ drachmâ mulier tota fit oculus, accendit lumen, everrit domum, ſusdéque ſuppellectilia miſcet, donec nummum inveniat. At amiſſo filio nec pedem attolit pater, nec filium quærit, nec vel unum ex famulis mittit, qui in domum paternam reducat, & niſi ipſe rediiſſet, nullus de ipſo porrò reducendo curâſſet. An hoc veriſimile videretur, ni ipſa Veritas id ipſum dixiſſet? tanta ſolicitudo pro vili ovicula, tam vigil attentio pro modico nummo, & nil ſimile pro filio deperdito? Multi patres, ac matres familias quotidie plorant rem domeſticam imminutam, vel amiſſam! & ſerenis oculis, vultu ſæpe hilari intuentur gratiæ Divinæ jacturam in natis ſuis! hæc ipſa adducta exempla doceant vos, quàm vanæ ſint curæ veſtræ, quàm inania ſtudia! quid enim lucratur mulier inventâ drachmâ, cùm eam non obtineat niſi everſa domo, multi enim, ùt aliàs notatum legunt: *& evertit domum*, hócque videmus fieri ſæpiſſimè in litibus forenſibus, quibus unum litigantes fors lucrantur, & centum plerumque perdunt. Quid obtinet paſtor in ove ſua, niſi novos labores, ut ſuis eam humeris imponat? at invento filio quieſcere incipit

parens in brachiis ejus, & totus in illius collum procumbit: *Cecidit ſuper collum ejus.* Luc. 15. 20. Ita contingit in bonis fortunæ, quorum poſſeſſionem nunquam adimus, quin curas innumeras accerſamus, & tamen iſta appetimus, quorum ſub onere quotidie gemimus, illa verò nil curamus, in quibus tuti poſſemus dies noſtros agere? Nullus equum ita negligit, ut ſit ſine curatore, nullus gregem ſine paſtore, nullus prædium ſine colono; & plurimi occurrent, qui, ne paucos obolos expendere debeant, filium in pereundi diſcrimine ſine cuſtode relinquent. Plùs in horum domo valet jumentum, quàm propria ſoboles: humeros ſubjiciunt ovibus, quia lac, lanam, & agnos præbent, filiis paſtore quàm maximè indigis, vel nullum dabunt, vel talem dabunt, qui parùm, vel nihil â lupo differat. Malus homo fuit Eſau, ſed nunquam omni ſua malitiâ eò devenit, ut de ſuis nil curaret. Imò oppoſitum nos docet cap. 36. Geneſ. ubi v. 1. dicit: *Tulit autem Eſau uxores ſuas, & filios, & filias, & omnem animam domus ſuæ, & ſubſtantiam, & pecora.* Ecce primo loco curat de filiis, ſubin de jumentis, quàm multi oppoſitum faciunt pecudes ipſis ſuis filiis præhabentes.

279. Quotidie querulos audimus parentes, quòd filios habeant perditos, non quia amiſerunt Dei gratiam, ſed quòd decoxerint ſuam ſubſtantiam. Prodigalitatem deflent in bonis caducis, æternorum amiſſionem ab iis factam nec cogitant quidem. Quot hujusmodi prodigorum ad cor rediiſſent, ſi parentes non magìs doluiſſent jacturam peculii, quàm filii! optimus ille Evangelicus pater lætatur de invento filio, etiamſi nec obolum in filio receperit, quia nempe plus diligebat filium, quàm aurum. *Ideò gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt.* Luc. 15. 32. Solus frater in germani prodigi reditu cohibet lætitiæ ſigna, & potiùs triſtatur, *quia devoravit ſubſtantiam ſuam.* Quot parentes filiis ſe porrò patres negant, non quia hi ſponte cœli jacturam fecêre, ſed quòd non ſciverint terrena curare, prout de patre S. Franciſci refertur, quòd coram Epiſcopo filium juſſerit cedere bonis paternis, quia omnia quæ poterat, ipſe in Chriſti pauperes erogârat. Audiant hi Deum, qui licèt in Abele jacturam paſſus ſit miniſtri cultûs, & gloriæ ſuæ, ſervi fidiſſimi, & myſtæ ſua in odorem ſuavitatis holocauſta offerentis, de his tamen nil queritur, ſed ſolùm fratricidæ Caino dicit: *Ubi eſt Abel frater tuus? quid feciſti?* Gen. 4. 9. Non dicit ubi eſt amicus meus, ſervus meus, ſacerdos meus Abel? ſed ubi eſt Abel frater tuus? non doleo, quia jam non habeo, qui, ùt decet, mihi ſerviat, ſed quia tu occidendo fratrem gratiâ ſpoliâſti animam tuam, qua ſpiritualiter vivat. Hæc cura erat, & ſolicitudo Jobi unica in conviviis filiorum, non quòd diſſipabant pecuniam, ſed quia ſauciabant conſcientiam. *Ne*

fortè

fortè peccaverint filii mei. cap. 1. 5. Hic est boni patris timor justus filiorum peccatum, iste dolor paterno corde dignus, ne Deum offendant nati, de bonis splendidè epulando quotidie consumptis, nec cogitatio quidem. Jobi vestigia pressit David. Audit convivia quasi regia â filio Absalone institui, dissimulat, nec uno verbulo id sibi displicere indicat. At ubi peccavit in conviviis Absolon, statim ipsum persequitur, ùt reum punit exilio, toto regno tutum consistere haud sinit, natum porrò suis oculis videre non sustinet, nescias an melior Pater, quàm Rex. Pauci parentum imitantur Saram. Silentio illa premit Ismaëlis immodicos sumptus, & illicò in querulas voces prorumpit, ubi illum videt esse Scandalum suo filio Isaaco. Ut plurimùm magnas querimonias â parentibus audimus, si filii lusibus dediti amittant, non verò si lucrentur pecuniam; si bona dissipent utcunque innoxiè, non verò si augeant quantumvis per scelus. In quàm absonas voces prorumpunt, si natus aliquot denarios cum amicis honestè se recreando absumpsit; & velut pisces obmutescunt, si instar alterius filii prodigi luxuriosam vitam cum totius familiæ infamiâ ducat; si animam amittat nemo plorat, si substantiam dissipet, gemunt omnes: si magno stet pretio vita filii, ut conformiter ipse suo statui vivat, rarò placet, ut ut innocua, si nil sit idcircò expendendum quantumvis scelesta sit vivendi ratio, thura feret.

Idea LIV.

Filium à malis removes, & à malo præservas.

280. RArum lilium in nitores efflorescit, si spinis se credat. Non quidem difficilè, esse flórem campi, & lilium convallium, at majus quid erit lilium fieri inter spinas. Hoc prodigium solus ille efficit, qui factus est sponsæ suæ prodigium amoris. *Ego*, inquit de se ipso, *flos campi, & lilium convallium.* Cant. 2. 1. de sponsa autem sua: *sicut lilium inter spinas amica mea.* v. 2. optimè nôrat Jesus, quo oviculæ suæ futuræ essent loco inter lupos. *Ecce*, dicit, *ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Velut diceret, nolite timere Discipuli mei, Apostoli mei, ego qui sum Deus omnipotens, qui vobis virtutem dedi patrandi miracula. Qui ligandi, & solvendi potestatem concessi, qui meas in terris vices vobis demandavi, ego vos mitto nil vel inter lupos est, quod timeatis. At verò non obstante hac omni assistentia mea, & tanta, quam vobis cessi, potentiâ vestra, licèt vobis ovibus nil metuendum â lupis, multùm tamen vobis hominibus cavendum ab hominibus. *Cavete autem ab hominibus* v. 17. & cur? Homo ne fiet homini lupus? si homines Apostoli versantur cum hominibus, quare cavere sibi debent ad hominibus? Hoc dicit Christus ne ipsi ut homines versentur cum hominibus. Apostoli ùt oves missi sunt inter lupos, qui ut ovinam suam indolem asservent inter homines, ùt Diis erit conversandum. *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Ps. 81. 6. Nulla Pharisæorum calumnia majori veri specie oppugnavit Servatoris innocentiam, quàm illâ, quando Lucæ 15. Murmurantes cum scribis dixêre: *quia hic peccatores recipit.* v. 2. Dictum non abludebat â vero, ut verò retunderet malitiam dicti, tres parabolas reposuit, in quibus elucet Filii Dei maxima pietas, luculentum Divinitatis argumentum. Intuemini quales â Christo redeant ii, quos recepit peccatores, inquit Chrysologus, & scietis, quia Deus est, cui nil mali affricant mali. Bonitas sola inter peccatores vivit sine malitia. Infinita est bonitas, quam malum licèt proximum non inficit. Sed ipsa insuper malos perficit; concludit denique S. Doctor: *Peccator Deum non violat appropinquans* Chrysol. Serm. 168.

281. Temerarii notam haud effugit homo, qui suæ, id est humanæ consors infirmitatis mala non fugit hominum consortia. Efficax est, imò efficacissimum virus scelerum, vel ipso oris afflatu

afflatu corrupti mores inficiunt integros. Hinc Seneca l. 3. de ira. *Sumuntur â conversationibus mores, impudicorum cœtus fortem, & siliceum virum emollit.* Omnes quæ audimus, loquimur, etiam insci malæ linguæ vitium, uti parvuli idioma vernaculum discimus. Etiam Isaias, qui tantùm detestabatur polluta labia populi sui, constitutus tamen in Dei præsentia, se virum labiis pollutum vidit. Sed cùm ipse dicat tacuisse se, & de hoc ipso suo silentio doleat: *væ mihi quia tacui!* cap. 6. 5. Unde scabiem oris contraxit Propheta Domini? respondet D. Hieronymus: *Propheta labia habebat immunda, quia cum peccatore populo versabatur.* Lues contagii plena societas mala. Rara avis, inter malos bonus inter corvos cygnus; quis crederet defuturam aliquando Davidi virtutem, de qua una ausus est gloriari in Domino? quando ad Deum loquens dixit: *memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Ps. 131. 1. Et tamen ipsemet fatetur, & lachrymis diluit ardorem iræ suæ, dum dicit: *turbatus est à furore oculus meus* Ps. 6. 18. sed unde tanta mutatio mansueti in iracundum? en illam ipsius Davidis ore expressam. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* ibid. Ecce dum longiori tempore versor inter homines inimicitiis, odiis, rancoribus, ac iracundiis deditos, ipse fio sicut unus eorum! hinc statim ac consortii hujus damna agnoscit, illicò clamat: *discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* v. 9. nulla porrò consortia cum malis, nulla amicitia cum iniquis: *discedite à me omnes*, ite omnes, ne vel ab uno scabiem patiar! Lamentatur Jeremias Nazaræorum, qui Jerosolimis degebant, sortem miseram, quòd ex niveis, ac candidissimis in teterrimos subin versi sint: *candidiores nive, nitidiores ebore antiquo, saphiro pulchriores denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Thren. 4. 7. & 8. an id possibile, ut ex candore nivis in carbonis nigrorem abierint? ita est ait Gilbertus: *frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem induit.* apud Titelman. in Allegoriis. Hæc est vis malæ societatis. Malis juncti sunt boni Nazaræi, & tales facti sunt isti, quales illi. Plateas, & conventicula primorum frequentârunt secundi, & facies eorum adeò immutatæ sunt, ut agnosci porrò non potuerint. Nazaræi erant nominetenùs, moribus, conversatione, toto corporis habitu, sicut reliqui omnes ex trivio plebis. O quot Jeremiis opus, ut dignè defleretur, quod in hoc genere ubique locorum est deflendum?

282. Quid intendit Deus cum Henocho, quem tam maturè huic mundo subducit, licèt tam fideliter Deo adhæserit, & pauciſſimos tunc cœlum numerârit fidos Dei servos testante scriptura, vitiis hunc undique infectum fuisse orbem terræ: *omnis quippe caro corruperat viam suam.* Genes. 6. 12. Necdum tempus mortis adventat agente tunc Henocho annos trecentos

centos ſexaginta quinque, cùm homines ante Cataclyſmum ad ſexcentorum imò nongentorum annorum ætatem aſcenderent. Nullus adhuc ſine morte corporis ex mundo hoc migrârat; cur ſolus Henochus vivens rapitur, & eò rapitur, quò nemo ſcit, niſi is, qui rapuit; quare tantum exemplar virtutis non eſt relictum orbi ad bonorum inſtitutionem, & confuſionem malorum? dicitur quidem Eccleſiaſtici 44. v. 16. *translatus eſt in paradyſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Sed an non utiliùs relictus eſſet hunc ipſum in finem inter homines, quos ſua pietate ædificaret, ſuo exemplo doceret facere dignos pœnitentiæ fructus? ſed hoc ipſum noluit Deus, ut ſanctus viveret inter corruptos homines. *Vivens inter peccatores translatus eſt, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Sap. 4. 11. Etiam Henochus Deo charus, ſemper cum Deo ambulans, ſanctus, & juſtus inter perverſos non ſatis tutus eſt, ne pervertatur; ideò tulit eum Deus, quia placita erat ipſi anima ejus. Paulò minùs egit Dominus cum Patriarcha ſuo Abraham. Hunc ut educeret de medio iniquitatis terrâ illa migrare juſſit, quam incolebant Patres ejus, ſervierúntque Diis alienis. *Tuli ergò patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus*, inquit Deus apud Joſue cap. 24. 3. ne ſcilicet & ipſe idolis thura daret: ubi notanda particula *ergò*, quæ conſecutionis neceſſariæ vim habet, acſi impoſſibile foret hominem etiam maſculæ virtutis, qualis utique Abraham erat, non poſſe inter malos diu vivere, quin & ipſe ex bono fiat malus. Quæ prodigia, quæ beneficia, quos favores non expertus fuerat collatos ſibi à Deo in exitu Iſraël de Ægypto, nil tamen horum in officio continuit Iſraëlitas, quin à Deo recederent, ſtatim ac cum Dei hoſtibus arctioris ſocietatis contraxêre vincula. *Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum.* Pſ. 105. 35.

Vel unicus peſte infectus popula- 283.
tioni integræ inficiendæ ſufficiet, ubi nec mille ſani vel unum malè habentem curare valent. Modicum fermentum totam corrumpere poteſt farinæ maſſam, quando nec integri frumenti modii corrigere valent pauxilli fermenti vitium. *Exiguum abſynthium amarorem ſuum melli impertiverit, mel contra ne duplo quidem majus dulcedinem ſuam abſynthio infuderit.* Nazianzen. orat. 21. Apolog. profug. Aſtrologi magìs timent planetæ noxii apicem, quàm benigni aſpectum totum ſuo themati faventem, nam etiam iſte ſiniſtros ſuppeditat influxus, ſi illi junctus beneficia ſua ejus maleficiis temperat. In cœlis quoque mala ſocietas nocet inſitæ ab ipſa rei natura bonitati. Sol duplicata incendia ſpargit, quando cum Leone commercia ſociat. Unus Lucifer maximam aſtrorum turbam ſuis ſedibus excuſſit. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum.* Apoc. 12. 4. Nec unum hunc rebellem Deo ſpiritum innumeri in ob-

obsequio Domini permanentes retrahere valent ad saniorem mentem. Petrus inter fluctus petra, ad mulierculæ vocem fit palea & *confessus in fluctibus, negavit in terris*, inquit Ambrosius L. 5. Hexamer. cap. 11. Quique morti se devoverat, ne Magistrum negaret, subin non tantùm negat, sed omninò abjurat. At quid mirum, si Christum abjuravit, quando inter illos stetit, qui erant jurati Christi hostes? *Circumsidentibus illis erat Petrus in medio eorum.* Luc. 22. 55. Nullus dubio locus, mali citiùs pravitatem suam affricant probis, quàm hi illis virtutem suam. Litem hanc jam decidit Sanctus Michaël Archangelus. Synagogæ Angelus ad Tribunal Dei libellos supplices deposuerat pro reductione populi ex Persia in Palæstinam, sed obstiterat Princeps Persarum suis rationibus evincens, persistendum adhuc in Persia diutiùs Hebræis, ut ad veri Dei cultum plures Persæ eorum exemplo moverentur. Post viginti & unius dierum luctam Michaël Archangelus in favorem libertatis Judæorum sententiam tulit, quia nempe experientia docuerat longè plures Israëlitarum â vera fide defeciſſe, quàm Persarum ad eam accesserant. Lege Gregor. L. 16. Moral. apud Lyram hîc in cap. 10. Daniel.

284. Ubi morbus pestilens grassatur, nullum est fugâ præsentius remedium. Inter vitæ discrimina versabatur David in omni circum regione Israël. Etiam spelunearum latebras excutiebat iniquus Saulis furor, ut aliquando Goliathi victorem confoderet. Denique regno toto excessit David, & Regi Moabitæ se credidit, in cujus aula, ut ut Divinæ legi inimicâ, vitæ præsidium nactus est præsentissimum. Vix aliquot dies â mortis metu respirârat. Cùm ecce Propheta Dei ad eum missus: *Heus tu inquit: noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Juda.* 1. Reg. 22. 5. Quid hoc vir Dei? vides Davidem in præsenti vitæ periculo constitutum, ubi terram Judæ incolit, tutum ab insidiis Saulis, quando apud Moabitas degit, & petis, ut rursus certo ictui objiciat caput? ante in portum hominem eduxeras, & jam iterum fluctibus exponis adhuc furente tempestate? ita est, sed tamen Moabitico præsidiô exeundum, quia quàm magnam securitatem præstat vitæ, tam modicam pollicetur animæ. *Securiùs erat*, inquit Lyra, *corporaliter inter idololatras, tamen periculosius spiritualiter, nam aliqui de societate David ad idololatriam declinare possent, si ibidem mansissent.* Sed nunquid lapsum suorum prævertere, non potuit David Vir secundùm cor Dei? ita sanè nisi forent in medio nationis pravæ, ab hujus malis exemplis magìs timendum Deo auctoratis militibus, quàm ab omni sperandum Davidica etiam virtute. In hoc contagio nullum effugium, nisi fugiendo: *Discede ab iniquo* clamat Ecclesiasticus, & *deficient mala abs te.* cap. 7. 2. Ubi Vatablus legit: *Ut peccatum abs te declinet.* Eodem passu recedet â te scelus, quo tu recesseris â scelesto.

Si

Si mala vis declinare, declina â malis.

285. Uti autem vix inevitabilis lapsus in consortio delinquentium, sic rarò labitur, qui solitarius vivit velut passer in tecto. Acutè observat Cyrillus Alex: *Modus peccandi nondum apparuerat, cùm homo unus tantummodo esset.* L. 1. in Genes. Dum unus in Orbe homo extitit, unus fuit omnis culpæ innoxius; ubi duo extitêre, ambo se reos fecêre. Hinc S. Bernardus ad Eugenium: *Ne te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem.* L. 4. de consid. nempe *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* Proverb 13. v. 20. Hæc est lectio prima Psalmodiæ Davidicæ: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Ps. 1. v. 1. Multa promittit Regius Doctor: si diceret, *mille malis liberabitur*, qui impiorum, peccatorum, ac hominum quavis peste magis corruptorum se subduxerit consortiis, facilè intelligeretur, at verò quod talis sit omnino beatus, seu omnibus liber malis, non illicò assequimur. Sed ita tamen est, omni malo enim se liberat, qui nulli malo adhæret, neque apparet, unde peccati lues aliquem afflare possit, si ipse quàm longissimè absit â peccatoribus.

286. Fieri quidem potest, ut etiam inter malos revera sis bonus, paucos tamen invenies, quibus id persuadeas. Notat Rupertus à Scribis Jesum dictum Samaritanum, fatetur tamen se ignorare, cur id nominis Servatori imposuerint. *Nisi fortè pro eo, quòd apud Samaritanos biduo mansit.* Ita ille in Joan. 8. 48. *Samaritanus es tu.* Vix cœnaculo excesserat traditor, cùm confestim ad discipulos reliquos cœlestis Magister: *nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Joan. 13. 31. cur modò & non antè? quia antea schola Christi necdum erat pessimo illo Judæ capite purgata. Res mira! nec electos suos Apostolos extra salutis aleam positos videtur indicare Christus, dum inter tot bonos unus versatur malus, neque se, neque Patrem suum clarificatum dicere audet, donec in Collegio Apostolico adhuc ferales proditoris tenebras videt. In ipso cœlo necdum tuta omnia, quando id adhuc occupat turbator Lucifer: *Sed ubi projectus est in terram* (draco ille magnus) *& angeli ejus cum illo missi sunt*, tunc audita est vox magna in cœlo dicens: *nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri & potestas Christi ejus.* Apoc. 12. v. 10.

287. Negari non potest contingere sæpiùs, ob Jonam unicum periclitari cæteros inter fluctus maris. Ipse Christus navem conscenderat, de qua Matthæus cap. 8. quando Petrus, & Discipuli reliqui in periculo naufragii se vidêre constitutos. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* v. 24. Vice altera unácum Petro, ùt refert S. Lucas cap. 5. idem Christus in mari versatur,

versatur, & ubique tranquillitas magna, imò & piscatio copiosa. Nempe juxta Ambrosium: *hæc est illa navis, quæ adhuc secundùm Matthæum fluctuat. Secundùm Lucam repletur piscibus.* Hìc. Utraque navigatione, & Petri, & cæterorum merita, & Christi adest præsentia. Cur ergò prior turbulenta, posterior tranquilla, ac etiam lucrosa? quid interrogas, inquit S. Doctor: *non turbatur ista, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Judam habet: etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis.* in cap. 5. Lucæ. Ne Jacobus speret Angelorum cohortes in sua commoda adfuturas, si in Labani Idolorum cultoris domo remaneat. Exeundum his tentoriis, ut ad sua trahat cœlestis militiæ manipulos. *Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat, fuerúntque ei obviam Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait, castra Dei sunt hæc.* Genes. 32. 1. Haud paulò sanctior in itinere Jacob, quàm in ædibus avunculi: sed antè cum impio Labano, jam procul ab ipso. Hinc nulla porrò adest remora, quin cœli portæ pateścant, & hominis Deo chari in occursum veniant ipsi Angeli Dei. Quando Populi Ductor Moyses Ægypti plagas petente Pharaone amoliri intendebat, ferè semper aula excedentem sacra pagina exhibet. *Egressus â te, orabo Dominum, & recedet muśca,* Exod. 8. 29. Item: *Egressíque sunt Moyses, & Aaron â Pharaone, & clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni.* ibid. v. 12. Rursus: *cùm egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit.* Exod. 9. 29. & aliàs sæpe. Sed cur Moyses in aula, vel curia Pharaonis non clamat ad Dominum? quia nempe obstabat Regis, & ipsi assistentium malitia, quantum enim Mosis misericordiam Dei attrahebant præclara merita, tantùm iram Divinam Pharaonicæ Domûs acuebant enormia facinora. Imò Abulensis addit: *non decebat, ut appareret ei Dominus, & loqueretur,* in aula scilicet tam impia, qualis erat Ægyptia. Ulteriùs rem promovet Origenes in c. 14. Isaiæ, ubi refertur visio facta Prophetæ. *In anno, quo mortuus est Rex Achaz factum est onus istud.* v. 28. nempe ùt Origenes loco citato scribit, *in diebus Achaz regis iniqui non potuit Isaias videre visum.* Unius delictum impedit, ne totius procuraretur Regni commodum. Solus Judas liberalitatem Magdalenæ perstrinxit. *Dixit ergo unus ex Discipulis,* Joan. 12. 4. Et unius malitia cæteros omnes reos facit: ad omnes enim dixit Christus: *finite illam.* ibid. v. 7.

Jam verò maturè perpendant pa- 288.
rentes, quàm præpostere agant, si parùm, vel nil attendant, quo cum hominum genere versentur filii. Plerúmque sociorum electio non ad mores, sed ad marsupia ferè expenditur. Modò filius eas societates affectet, in quibus nil dispendii in rem domesticam,

ſticam, ut ut prætextatæ illæ fuerint parùm referet: Modò lucroſæ ſint, eſto etiam infames habeantur. Nummis & honoribus augeatur filius, etiam ad latus dæmonis per ejusmodi parentes ſtabit. Non ſic Tobias uterque; ubi juniori ad Medos eundum, dicet Pater filio: *inquire tibi aliquem fidelem virum.* cap. 5. 4. Ubi hic adductus eſt, licèt naturâ, & etiam hominis externi compoſitione Angelus, antequam tamen adſciſcatur itineris ſocius multis rogatur, *indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu.* v. 16. Notate, inquit Lyra, tam patrem, quàm filium ſolicitè interrogantem de qualitate ſocii: filius quidem interrogat, *quia nolebat ductorem habere gentilem*, Pater verò etiam familiam ſcire petit, ne fortè perverſum ex ipſis Iſraëlitis filio conduceret. Neutri ſufficit, quòd Angeli præſeferat ſpeciem, cùm ſub illa tegere poſſit verſi pellem pravitatem. Heu parentes, quomodo hîc tam incurii, ubi in cæteris, ut filiis aliquando bene ſit, adeò ſoliciti! attendite, quorum manibus tradatis filios veſtros, ne fortè agnos conſignetis ipſis lupis! Quis prævaricari fecit Adamum, niſi ea ipſa ſocietas, quam auxilio futuram ſperabat? *Ille, qui adjumentum corporis in ea habiturum ſe credidit, lapſus eſt per uxorem:* Ambroſ. de Paradiſ. cap. 4. Quas lacrymas non excivit parenti primo fraudulentum hoc adjutorium, quod ille tanto gaudio primitus exceperat! Ah parentes à malis ſecernite natos veſtros, ſi vultis habere bonos! Sodomæ incendio pereuntis regionem fugit Abraham: *Et peregrinatus eſt in Geraris.* Gen. 20. 1. Sed cur nepotem Lothum ſecum non duxit? cur eum è Sodomis non eripuit, quem de Ur Chaldæorum olim eduxerat? an fortè curam depoſuit agnatorum, qui jam natum habebat Iſmaëlem, & brevi Iſaacum ſibi ſperabat naſcituram? ita multi faciunt arboribus ſimillimi. Eatenus enim iſtæ flores ſuſtentant, quatenus fructibus carent. Ubi hos ferre incipiunt, illos ocyùs ramis ſuis excutiunt. Non ſic Abraham vir juſtus, qui non paſſione, ſed ratione ſibi & ſuis moderabatur. Cur ergò non ſecum in hac fuga Lothum trahit? nempe quia timebat, ne cum filiabus Lothi ſuis accideret, quod ipſis apud infamis urbis accolas evenire potuiſſet. Arduum ſibi videbatur cenſere, puellas eſſe honeſtas, quæ inter tam enormes laſcivias adoleverant, & potiùs voluit carere nepote ſuo, quàm in domum ſuam inducere neptes domeſticis ſuis fors futuras ſcandali petras. Ecce hîc, quid mali ex ſocietate mala timendum! filiæ Loth viri fide, juſtitiâ, ſanctitate inclyti, ſolùm ideò, quia vixêre inter peſſimos Sodomitas, aut impudicæ fuêre, aut de impudicitia meritò ſuſpectæ. Deſcenſum in terram Ægyptiorum Iſaaco vetat Deus. *Ne deſcendas in Ægyptum.* Gen. 26. 2. Ut ut motivum deſcendendi idem hîc fuerit fames invaleſcens, cujus cauſâ antè aliquot annos in Ægyptum ſeceſſerat Iſaaci Parens. Diſcriminis

ratio

ratio est, quia Abraham jam robustæ virtutis minùs habebat periculi â malis Ægyptiorum exemplis, quàm Isaac filius ejus, præsertim filiolis duobus instructus, quibus plurimùm nocere potuisset ea in Ægypto commoratio. Id ipsum in Jacobo observare licet. Nati ei fuerant Ruben, Simeon, Levi, & Judas in domo Labani soceri, nec tamen redire ad domesticos lares Jacobus intendit, *sed ùt peperit Rachel Joseph, dixit Jacob ad Laban dimitte me, ut revertar meam in patriam, & ad terram meam.* Gen. 30. 25. Nempe lilium castitatis Joseph succrescere non debebat inter spinas; non credit Jacobus Labano Josephum suum, ne hominis idola colentis pravis exemplis inficiatur nitidissimus hic flos, neque minùs, imò magìs timeri debebat, ne tenellus adhuc pestilenti halitu vitium ferret. Servi illi, qui inter Zizania viderànt triticum, ut huic succurrerent, ea voluêre eradicata; at dominus id vetuit, mandati sui hanc causam reddens: *ne fortè colligentes eradicetis simul cum eis & triticum,* Matth. 13. 29. an fors cæci erant homines isti, qui non valerent discernere inter infelix lolium, & lætas aristas? id non dicitur, sed cùm aliqua inter Zizania, & triticum intercedat similitudo, ne unum pro altero etiam oculati acciperent, Zizania prohibiti sunt eradicare. En quid conjunctio pariat bonorum cum malis, ut ambo ita unà confundantur, ut ab invicem vix porrò discerni queant.

Idea LV.

Qualis ortus, talis occasus. Uti adolescentia, ita Senectus.

289. CÆcus parentum amor errores prolis impuberis excusat vitiô ætatis. Dicunt, aliquid cedendum teneris annis. Ita aliquid, sed quod non redundat. Aliquid ipsa juventus sibi vindicat, licet amor parentum explicitè id ipsum non concedat. Nullæ uvæ dulcescunt, quæ priùs non fuerint acerbæ. Vitis habet simul pampinos luxuriantes, botros aliquos excoctos, & crudos adhuc alios. Verus tamen agricola vix vitem plantat, & statim illam undique septo cingit, atque contra rapaces manus munimento tuetur. *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim.* Matth. 21. 33. Nec his contentus: *exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Matth. 20. 1. Illicò ac vineam posuit, etiam defensionem appposuit, &

culturam, ne si in eo curam procrastinâsset, vel destructam vineam, vel labruscis, ac malis herbis repletam subin doleret. Optimè Salomon, vel potiùs per sapientis os ipsa Divina Sapientia: *qui manè vigilant ad me, invenient me.* Prov. 8. 18. Id certum est, consecuturos sapientiam, qui attulerint vigilantiam; an illa sint potituri, qui non manè vigilant, sed serò eam indagant, nec ego scio, nec ipsa videtur sapientia scire, saltem Deus id non dicit, nec etiam promittit. Antequam evigilent ad mundi negotia, ad Divina vigilare debent præcordia hominis. Hinc sponsa canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* cap. 5. 2. Velut diceret, necdum aperui oculos, necdum evigilavi, adhuc dormio ad terrena, & cor meum jam est intentum jam totum vigilat ad cœlestia. En hîc rationem, cur inimicus homo, seu dæmon tantùm invigilet, ut primi luminis semina projiciantur in mundanas vanitates, & teneræ ætatis flos sine fructu pereat. *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat*, ut scilicet obtineat id, quod illicò sequitur: *vespere decidat, induret, & arescat.* Is. 89. 6. Attendite parentes ad primam filiorum vestrorum juventam, hîc enim animi eorum velut tenera arbusta inflecti in omne latus queunt.

290. Pernicioſum illud dictamen, quòd habenæ laxandæ sint primis cupiditatibus, donec ipsæ suo impetu despument, inventum est diaboli, non documentum cœli, consilium est Machiavelli, non monitum Pauli, delusio est luciferi, non doctrina Christi: origo est malorum inconsultæ juventutis, & inde provectæ etiam ætatis, virus est integritatis, pestis animarum, & universalis perditio, non solùm Christiani, sed & ratione utentis hominis. Vox una sapientum, cui citra miraculum tot sæculorum consonat experientia: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.* Horat. 1. Epist. 2. Diu agrum relinque sine cultu, & experière, quanti stabit, ut â spinis, & tribulis eum expurges. Dies â tenebris cæperunt. *Vespere, & manè dies unus.* Genes. 1. 5. Et in tenebras resolventur. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Jo. 9. 4. & D. Paulus *sicut fur in nocte, ita veniet.* 1. Thesal. 5. v. 2. Ipsa astra, quæ ab initio in cœlis posita fuêre, *ut sint in signa, & tempora, & Dies* Genes. 1. 14. Etiam ultimum diem signabunt. *Erunt signa in sole & luna.* Lucæ 21. 25. Christi natalibus applausit sidus: *vidimus stellam ejus in oriente.* Matth. 2. 2. Morti ejus sol condoluit atro peplo obductus faciem: *Et obscuratus est sol.* Luc. 23. 45. Omnes quos selegit Dei Filius ad æternam gloriam, palmites voluit. *Ego sum vitis, vos palmites.* Joan. 15. 5. Si sibi linquitur palmes nulli fulcro adstrictus, nunquam sursum caput eriget, sed humi serpet ubique in folia, & labrusca luxurians. Si primo vere floribus non niteat arbor, quomodò in autumno fructus proferet? nec pluviæ, nec solis radius, nec omnis

trunco

trunco impensa industria quidquam proficient. An vis, spinæ rosas producant, aut uvas tribuli? Labor suo tempore impensus uberem segetem affert; si serò istum adhibeas, nullum feres operæ pretium.

291. Domus illa, de qua Christus Matthæi 7. feris tempestatibus impetita, pluviarum imbribus obruta, fluminum eluviis inundata, & ventorum undique quassata furiis immota tamen stetit, ac manifestè ostendit, quòd ædificium fuerit firmissimis innixum fundamentis, quòd Domus extiterit non arenæ, sed petræ insistens: *fundata enim erat super petram* v. 25. contrà, quæ arenosæ basi incubuit, illicò *cecidit, & fuit ruina illius magna.* v. 27. nempe à bono, vel malo initio veluti moralis vitæ fundamento pendet soliditas, vel ruina virtutis hominem bene educatum decentis. Si tegula, vel lapis ædium summitati desit, nil, vel parùm damni hic defectus inferet, at ubi basis ædificii vel unica petra destituatur, totum ædificium denique vel corruet, vel turpè hians ruinam minitabitur. Quantumvis in cœlum assurgat Nabucodonosoris statua, vel lapillo humi sternetur, quia firmo pede basi suæ non institit. *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Dan. 2. v. 33. *redacta quasi in favillam æstivæ areæ.* v. 35. Heu quid fiet illi homini, qui mox â nativitate sua vixit in tenebris! *obtenebratus est sol in ortu suo!* quid consequetur diei tam obscurum initium, nisi nox tenebricosissima. *Et Luna non splendebit in lumine suo.* Isai. 14. 10. Juventus cæca quid sperare potest nisi senectam sine ullo lumine? Ideò teste D. Augustino intra tot salutis media Judas periit, quia naturæ pravæ impetum nullo coërcuit fræno in juventute, quomodò virtutum fructus adulta ætate proferet, qui florum locô spinas prima ætate velut novo vere produxerat?

292. Felix qui ab unguiculis humeros jugo non subtraxerit! *Quia bonum erit viro, si portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, & elevabit se supra se.* Thren. 3. 27. Sed si jam adultiori, & suæ libertati assueto frenum injicere pares, inquit S. Gregorius: *Necesse est eos patiatur impugnationum tumultus, quibus quotidie aut victor existat, aut victus.* in Psalm. 6. Pœnit. Tardè nimis, ac ferè incassùm taurum jugo subjicis, quod juvenco nunquam imposueras. Notat Hipponensis, Psaltem Regium non dicere: in quo corrigit adultior, vir, senex, sed *in quo corrigit adolescentior viam suam?* Ps. 118. 9. & quærit: *nunquid desperandus est senior?* in eum Psalm. Sed quæstioni S. Doctor non respondet, contentus addidisse, indicatum nobis esse â Propheta, qua ætate correctio facienda, ut cum fructu fiat juxta illud: *Fili â juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam.* Ecclesiast. 6. 18. Eadem ratione Christus Dominus beatitudinem spondet servis in secunda, & tertia vigilia seu ætate vigilantibus: *Et si venerit in*

ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi. Luc. 12. 38. Cur autem Servator primæ, & quartæ ætatis nullam mentionem ingerit? quia in infantia poſſibilitas deeſt vigilandi, in ſenectute voluntas. In hac â ſomno, & lethargo vitiorum non expergefiet, ſi in adoleſcentia, & virili ætate nunquam eſt expergefactus. Hinc oriuntur incendia nivium, quia turpibus flammis æſtuavit fervor juventutis. Egregiè David: *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Pſ. 118. 3. Illi, qui hodie ſectantur malitiam certò certiùs ante declinârunt â via juſtitiæ. Senes delinquunt: ergò juvenes deliquerunt; non enim puer malus, vir bonus. Zizania, quæ in meſſe detegitur, jam ſparſa eſt in agrum cum ſemente. *Venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit Zizania in medio tritici, & abiit: cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt Zizania.* Matth. 13. Num. 23. & 26. Eſau perſequitur Jacobum, jámque adultus hujus mortem machinatur, ac fraternum ſanguinem ſitit: inimicitiæ autem ſemina jam latuêre in ventre materno. *Sed collidebantur in utero ejus parvuli.* Geneſ. 25. 22. Odio habuit jam provectæ ætatis eum, quem necdum plenè natus jam calce impetebat.

293. Credite, juſſu Dei clamat Iſaias: *Omnis caro fœnum* cap. 40. 6. Herba arida fit homo, non arbor, ubi ætate profecerit. Oleaſter amarus, poſtquam ſenuerit, in oleam frugiferam renaſci poteſt, ſed gramen, quale exoritur, tale etiam intercidit, nil hîc inſitio, vel transplantatio valet, ut naturam expellat, & nobilem in ſtirpem excreſcat. De radice, & virga, & flos pullulat regii ſceptri Iſraël, ùt ait prælaudatus Propheta: *egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Iſ. 11. 1. Notat Pierius Valerianus L. 14. Ætatis, ac temporis ſymbolum olim in ſerpente fuiſſe expreſſum, qui caudam ori, & extremum caudæ capiti imponebat: ſignificare volebant, nativitati jungi mortem, & incunabula ſepulchro, atque mores primæ ætatis moribus ætatis ultimæ. Peccatum originis reliquorum cauſam deplorat Vates Regius. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Pſ. 50. 7. bis ingeminat conceptionis damna, nec ſemel nativitatis, ut ſciremus malorum omnium fontem eſſe infectam radicem. Sic in perſona Chriſti è cruce pendentis idem David ad Dominum. *Ne diſceſſeris â me ſpes mea ab uberibus matris meæ.* Iſ. 21. 12. velut diceret: Deus meus ne me derelinquas! in te ſpem meam poſui non ob jejunia deſerti, labores Evangelii, cruentum ſudorem oliveti, ſpinas, flagra, claves crucis. Sed propter dies immaculatos primæ ætatis! ne reſpicias ſanguinem ad te clamantem vulnerum, ſed lac maternorum uberum. Certè oppoſitio maxima, ac ultima Chriſti cum dæmone, & peccato lucta potiſſimùm orta eſt ex infinita Verbi ſancti-

sanctitate sibi communicata, cùm in virginis utero formata est humana ejus essentia. Hinc ad Patrem clamat: *Spes mea jam â brachiis matris meæ! in te sperabo è brachiis quoque crucis meæ! jam ab utero Matris meæ Deus meus es tu! jam & similiter in faucibus mortis meæ dicam, spes mea es tu!*

294. Susanna casta insignem triumphum egit dè incendiis Vesuvii, & Æthnæ, seu duorum senum, qui canitiei fictis nivibus avernales ignes fovebant veræ lasciviæ. Lilium heroina fuit inter spinas, & nix inter flammas, ex speciosa corporis forma pulchriùs efloruit Dei timor in ipsa pudicitia. Hinc Daniel matronam describit: *pulchram nimis, & timentem Deum.* Cap. 13. 2. Sed unde Susaniæ virtus tanta? ex prima nempe institutione. *Parentes enim illius eruditerunt filiam suam secundùm legem* v. 3. Cum materno lacte suxit sanctum timorem Dei, quem suo tempore velut telum validissimum vibraret in harpylas innocentiæ. Infelix Susanna, si tunc primùm voluisset incipere timere Deum, quando ingruit tam arduum certamen, & periculum, ne omninò amitteret. Malè in fonte, ubi vestes posuerat, candorem animi esset tutata, nisi abuberibus matris eodem jam fuisset repleta. Matres cupitísne filias vestras Susannæ similes, ubi excreverint in matronas, honestè ambulare illas docet ùt puellas. quia liberior aura ætatis infantilis non rarò inspiravit pestilentem halitum prostituti pudoris. Patres vultísne videre filios vestros jam adultos *incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Luc. 1. 7. Instruite eos adhuc teneros in casto timore, & sancta lege Dei. Idcirco novissimos etiam apices legis observavit Tobias senior, *quia hæc, & similia secundùm legem Dei puerulus observabat.* Tob. 4. v. 8. Si ergò soles intueri aliquando velitis in ætate virili filios vestros, curate, ut stellæ sint, non fatales cometæ, jam â pueritia. Imago sigilli non duram, sed lenem materiam exigit, si cupias illam rectè exprimere; filiorum mentibus, dum teneræ sunt, imprimas oportet. Hinc Plutarchus lib. de educand. scribit: *Imprimit in molli.*

295. Felix arbor, quæ radices egit in terra irrigua, ut dulces, ac uberes suo tempore fructus ferat. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Ps. 1. 3. Fieri quidem poterit, ut pruina eam tangat, non tamen decoquet, *& folium ejus non defluet*, ut ut in ramis annorum tractu putredinis quidpiam contrahat, illæsus tamen stabit arboris truncus: *& omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.* Hyemes tolerabit, ut ut immites, non tamen æstate desinet fruges producere. *Et fructum dabit in tempore suo.* ibid. Horum autem omnium causa unica, radix plantata in terra optima.

296. Ita est, quod in cunabulis seminas, in tumulo metes. Innocua collisio parvulorum in utero Rebeccæ desiit in formidandum rugitum odii vatiniani

Esau

Esau in germanum suum. *Et occidam Jacob fratrem meum.* Gen. 27. 41. Et quos venter maternus initio ægrè simul capiebat, subin quantumvis spatiosa domo unà habitare non poterant. Notatu dignum. Christus ad Apostolatum assumit Petrum, licèt ter se negaturum, non recipit scribam, licèt spondentem Magistri vestigiis presè institurum: *sequar te, quocunque ieris.* Luc. 9. 57. Quæ causa discriminis? eam Servator insinuavit, cùm posteriori dixit. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos.* v. 58. In scriba nempe viderat nescio quæ vitia jam in cunis agnata, quæ sunt impossibilis, aut difficillimæ emendationis. Petrus quidem labetur, sed illicò resurget; alter, cujus lapsus nidum respicit, nunquam ita se eriget, quin iterum labatur. Eductos ex fasciis liberiores mores nulla satis constringent vincula, nisi institæ libitinæ. Peccârat Ruben stratum Patris maculans Gen. 49. 4. Atque etiam peccarânt Balæ filii crimine pessimo Gen. 37. 2. Jacobus jam morti proximus, dum benediceret natis suis, Rubeni benedictioni satis acre lixivium affudit: *Ruben primogenitus meus effusus es sicut aqua, non crescas.* Gen. 49. 3. & 4. Balæ autem filiis delictum non exprobrat. Cur istud? quia nempe peccatum Ruben commissum est in ætate virili, adeóque correptum emendationem spondet, peccatum reliquorum â prima ætate ortum traxerat, & hoc nullam emendationis spem facit, adeóque frustrà corriperetur.

Væ vobis exclamat Isaias! væ qui consurgitis manè *ad ebrietatem sectandam, & ad potandum usque ad vesperam.* Cap. 5. 11. Mane hoc teste D. Hieronymo juventutem, vespera senectam indicat. Idem Propheta dixit, ac si dixisset, væ qui juvenes pocula ebrietatis miscetis, quia senes fontes sobrietatis non sitietis. Nullus vana spe lactetur vitio se fore olim eximium, cui jam â teneris unguiculis se tradidit totum. S. Doctor pulcherrimè sic concludit. *Nullus in vino navigans, naufragatur in aqua: nec moribus sobrius moritur, qui vixerit ebrius; sed vespere, & manè dies unus.* ibid. Dixerat Angelus uxori Manue de prole ipsi munere Divino naicitura, videlicet de Samsone: *erit Nazarenus ab infantia sua, & ex matris utero.* Judic. 13. 5. Cúmque rem â cœli nuntio sibi dictam marito subin referret: addidit ipsa: *ex utero matris suæ usque ad diem mortis.* v. 7. Angelus solùm dixerat, *ex matris utero ab infantia sua.* Cur conjux Manue *diem mortis* adjungit diebus infantiæ? quia nempe manè, & vespere dies unus, & putrescit in tumulis, quod haustum est in cunabulis. Si Joannes vult concionari in desertis, & aulis, jam ex utero matris peroret necesse est, & propediem venturi Redemptoris Præco existat adhuc materno ventre clausus. Ante nativitatem sanctus fiat, qui ante mortem justitiam omnem implevit, & qui 297.

qui digito olim ostensurus erat hominibus Agnum Dei, ille vix natus experiatur omnipotentis dexteram: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Luc. 1. 66. Jam satis intelligitur, cur Ecclesia in festo Nativitatis Virginis canat: *de qua natus est Jesus.* Matth. 1. 16. nasci enim, imò concipi Virgo hæc tam sancta debebit, qua nihil majus post Deum sub sole concipi poterat, quæ jam tunc dignissimum erat Verbi incarnati habitaculum. Maxima proin cura invigilandum, parentes, primæ filiorum vestrorum educationi, obstandum principiis ne serò medicina paretur, cùm vitia per longas invaluerint moras. Equinorum pullorum juveniles impetus domare oportet, si equos velitis frœni patientes. Denique monet Seneca: *desinit locus esse remedio, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt.*

298. O quot filii cæco amori parentum meritò succensent! simii amor catulos perdit, quò magis stringit, eò certiùs suffocat. Dicat Amnon, an non perierit magis conniventiâ patris, quàm fratris convivio. Paternus amor incestum promovit, hic telum Davidis manibus excussit, ne plecteret in domo regia nefas inauditum. *Et noluit contristari spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum.* 2. Reg. 13. 21. Hæc dilectio Absalonem movit ad vindictam, & vitam incesto fratri auferendam, imò ad inquirendum ante diem in annos patrios, atque ei eripiendum regnum, qui sibi vitam dederat. Ecce quid mali ab amore nimio patrum in filios resultet! nullum odium ipsis hoc amore esset noxium magis. Nescio cur S. pagina mentionem faciens de funere filii viduæ Naimiticæ subin â Christo in vitam revocati dicat, quòd mater quoque id funus sit comitata: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa.* Luc. 7. 12. Nisi fortè, ut ostenderet præposterum matris in hunc filium amorem: ideò *unicum* etiam dicit, & quidem matris *viduæ*, cujus in eum amor proin non caruerit excessu? Omnibus in lege veteri præcepit Deus: *Circumcidatur ex vobis omne masculinum.* Gen. 27. 10. Nullus cultro eximi debet, nec Isaac, nec Jacob, nec primò, nec secundò genitus, pro minùs dilecto filio, & pro Benjamino lex scripta est. Abrahamo natus erat Isaac familiæ suæ, ac totius Dei populi primus, ac nobilissimus surculus, per quem olim in Christo benedici debebant omnes gentes. Et tamen parens ad Dei nutum hunc recèns natum suum, duræ legi subjecit, è pusilli corpore lacrymas unà & sanguinem eliciens: *Et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus.* Gen. 21 4. Certum quidem est in lege gratiæ abrogatam esse circumcisionem corporis, quàm maximè tamen præcipi mortificationem spiritûs. Quivis probus parens cum filio suo agere id debet in putandis vitiis, quod Abraham, & alii veteris testamenti Patres cum suis fe-

cêre in reſecandis præputiis. Cultro opus eſt, ubi infelix lolium pullulat, licèt vel ex ipſo corde ſanguinem eliciat. Abraham ipſe circumcidit Iſaacum, quia nulla manus mitiùs, ac juſtiùs, quàm paterna tractabit filium. Sed cur octava die? tam tenerum videt, & jam ferit; videtur rigor, & eſt amor, quantocyùs culpam â nato pius Pater abigere parat, quam Iſaac origine contraxit, non ſuapte ſponte commiſit. Tunc fuit myſterium, jam eſt documentum, ne ſcilicet parentes ſinant peccatilla puerorum radices agere, quia fient, niſi ocyùs reſecentur, peccata virorum, eáque porrò incorrigibilia.

299 Plectant ergo prolem Parentes, nî ſe, & ipſos perdere velint. Negligentiam in correctione hac commiſſam neque in Ductore populi ſui patitur Deus, ùt vidimus Ideâ 5.; quando Moyſi filiolum tergiverſanti circumcidere Angelus apparuit gladio armatus, qui *volebat occidere eum*. Exod. 4. 24. vix iter ingreſſus eſt Jacob, vel aliud quidpiam majoris momenti agere occepit, cum illicò ſe ei ſpectabilem offert Dominus, ac ad viriliter agendum hominem animat (lege Geneſ. cap. 28. 12. & cap. 32. v. 1. & 23. cap. 35. v. 1. & 11.) Poſt mortem autem Rachel, & Iſaaci patris ſui, dum in Cananæa degeret nulla fit mentio apparitionis Divinæ, quamvis videatur tunc magis indiguiſſe directione Dei, quando paternâ carebat. Non deſunt, qui dicant cineres tum patris, tum uxoris fungi potuiſſe directoris officio, ſunt enim vel maximè potentes ad bene vivendum ſuaſores. Sic Magdalenæ non in ipſo ſepulchro, ſed extra apparuit è mortuis redivivus Dominus. Sed nunquid etiam Jacob in tot funeribus Sichimitarum ob violatam Dinam â Simeone, & Levi occiſorum, ſanctus Patriarcha cineres habuit præ oculis, & tamen paulò poſt rurſus ei ſe viſibilem ſtitit Dominus? *Interea locutus eſt Deus ad Jacob*. Gen. 35. 1. Cur ergò eidem non etiam inter Cananæos apparet? ideò crediderim, quia ibi enormiter deliquerat? inceſtuoſus Ruben. Id notum erat Jacobo, nec tamen in tam graviter delinquentem animadvertit: Proin Deus ſe ipſi non indulſit, nec in Cananæa vidit vultum ejus, quæ Jacobo Deum amanti fuit pœna cæteris omnibus acerbiſſima. Ubi contrà, quando filios corripuit Sichem in ore gladii deſtruentes: *turbâſtis me*, inquiens, *& odioſum feciſtis*. Gen. 34. 31. Illicò ſuavi Dei conſpectu frui potuit. Attend te proin Parentes, iraſcimini, corrigite, plectite filiorum veſtrorum errata, ſi vobis Deum præſentem, ac propitium cupitis. Præſtat videre ipſos afflictos, quàm offenſum Deum: mel ùs eſt, ut ipſi malè habeant, quàm ut vos dolore vano conſummamini. David ob Amnonis facinus *contriſtatus eſt valde*. 2. Reg. 13. 21. Sed quid prodeſt id ſenſiſſe Patrem, ſi qui peccârat filius nullo doloris ſenſu afficitur! Jacob tamen ante mortem adhuc Rubeni nefas perſtrinxit, ùt ſuprà vidimus: *Effuſus es ſicut aqua, ne creſcas*. Gen. 49.

493. Etiam Heli se subduxit Deus, quia filios enormiter in Deum, ac homines, dum sacrificia offerebant, peccantes, castigare neglexit. *Sermo Domini erat in diebus illis pretiosus: non erat visio manifesta.* 1. Reg. 3. 1 Adeò, ut præmium eorum qui filios errantes corrigunt, sit ipse Deus; illorum verò qui id omittunt privatio aspectus Divini, ùt Jacobus expertus est, qui Deo caruit, ubi filii delictum dissimulavit, Deum vidit, ubi corripuit.

Idea LVI.

Non desperandum de remedio, quod amor procurat.

300. MAxima infelicitas filii penitùs â patre derelicti, quia creditur incorrigibilis. Nescio an prodigi ex tædio, vel emendationis desperatione curam deposuerit parens Evangelicus: id certum, juvenem sibi relictum, & substantiam vivendo luxuriosè dissipâsse, & penè se ipsum perdidisse Luc. 15. Et quorsum abire debebat effrenis juventus omni soluta jugo, nisi ad præcipitium? Ne proin spem deponas, si incideris in filii indolem paucis frangi nesciam. Curam duplica, ubi ille inutiles reddat primos conatus: successivè fit motus, & replicato ariete denique paries cadit. Tantillus nuper fuit, qui hodie gigantis instar agros cadaveribus sternit. En Samsonem, quem in cunis aliquando fasciæ, ùt cæteros, stringebant, jam ille rudentes, ùt pilos, frangit. Rosetum contemplare in hyeme penè emortuum, & ubi primo vere spem vitæ ostendit loco florum spinas proferens! quid tibi videtur, an exscindendum credis, & velut plantam noxiam in ignem mittendum? neutiquam sanè, quia post spinas dabit rosas, flores pulcherrimos, hortorum delicias. Quid glande vilius, ad nil videtur servire, quàm ut pabulum sit immundorum animalium: sed exspectasis, telluri glandem committe, cole, & suo tempore videbis supra reliquas in sylvis arbores caput attolere, ut coronet facinora martis heroica, ut cum ventis misceat certamina, ut avibus nidos, & umbram præstet, ut superbo pede fluctus maris calcet. Contemptibilis ille lapillus, quem mons dedignatus suo velut sinu excutit, impingens in Nabuchodonosoris statuam, ita Babylonicam vanitatem conterit, ut omnis in pulverem sit redigenda: ipse verò victor lapis *factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Dan. 2. 35. Uti cæcus de pictura, ita si caulem Tu-

lipæ inſpicis de floris mirabili colorum varietate ferre judicium poteris. Informis olim radix erat, quæ hodie excrevit in coronatam laurum. Abjecti fuêre vermes bombycini hi funiculi atque muliebris vanitatis ornamenta. Qui bombyces deſtruit ſerico non veſtietur. Vapor è terraqua aſcendit venti luſus, ùt ignîs miſſilis: denſatur tamen denique in nubem inſtar ſolis quandoque lucidam, ac innumerorum colorum varietate grata oculis dantem ſpectacula, quandoque in fulgur, aut fulmen concreſcit, ipſi quoque telluri formidandum. Nempe hominibus ùt plurimùm id evenit, quod ſingulis annis contingere ſolet in arboribus. In Aprili florent, ac fragranti odore implent arva. Paulò poſt decuſſis floribus candorem amittunt, color albus in viridem abit, locò frugum protruduntur noduli, odore omni ac ſapore deſtituti. Demum calore ſolis excoquitur fructus, ac totus dulceſcit, præbens delicias guſtui. Sic aliqui bonus ſunt odor in pueritia, acetum in juventa, dulcorem ſpargunt in ætate matura. Etiam optima vina cretica ortum habuêre ex uvis olim acerbis. Aliqua tempore matureſcunt, alia mutatione aëris, quædam ſocietate mitigantur, denique arte penè omnia in meliorem ſtatum rediguntur. Quid plumbo gravius? & tamen aquæ innatat, ubi artificiosè tenuetur in naviculam. Quem vides in ara, vel odeo hodie mercurium, ſemel truncus fuit in ſylva. Quod factum eſt ſolidiſſimum firmamentum, primordio rerum erat liquor aqueus totus fluidus. Quis crederet paſtorculum David triumphaturum de mole Gigantea Philiſtæorum, quam neque univerſus Iſraël ſine horrore audeat aſpicere. Saul in paſcendis jumentis â puero deſtinatus cœli favore fit validior reliquis, Dux populi, imò Rex primus conſtituitur. Quo in magnos heroes evasêre, qui olim parvuli ſibi, & aliis videbantur! *videte ergò ne condemnatis unum ex his puſillis.* Matth. 18. 10. Quia licèt & mente, & corpore modò parvi ſint, aliquando utroque valebunt gigantum inſtar.

Ne ergò deſperes, aut curam ab- 301.
jicias filii, qui omnem videtur reſpuiſſe curationem, quia ſi hodie triſtitiam creat, cras fortè paterno dabit pectori ſolatia. Quis heri bonis timendus magis Saulo, minas, & cædes ſpirante, & tamen hodie Paulus eſt Electionis vas, Apoſtolus Chriſti. Herì terror Eccleſiæ militantis, hodie triumphantis gloria. *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc 15. 7. Filius prodigus heri diſſipata ſua cum meretricibus ſubſtantiâ de ſiliquis cupit ventrem implere, hodie delicium eſt Patris ſui, *qui miſericordiâ motus cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum,* & vitulum ſaginatum apparavit illi. Luc. 15. Ecce hîc quomodò conciliari filius debeat patri ſuo, ut iſte curam rurſus ſuſcipiat, ferè jam abjectam filii. Ad Patrem ſe conferat filius: *Ibo ad Patrem meum, & ſurgens*

venit

venit ad Patrem, ipse tamen Pater venienti quoque ad se filio in occursum procedat, & accurrens cecidit super collum ejus. Pœnitentiâ motus redeat ad relictum patrem filius, sed hic brachia venienti expandat, ut reducem complectatur. Offerat se filius patri in servum: *jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis* Sed Pater eum recipiat in filium: *dixit autem pater ad servos suos quia hic filius meus.* Ad pedes Patris confusionis plenus se se prosternat filius: at Pater brachia pietatis extendat, & cadat super collum ejus. Suam culpam defleat, ac demisso ore fateatur filius: *Pater peccavi:* sed illam ocyùs obliviscatur pater, de ea porrò non loquatur, ac si nil unquam sciviſſet; reprehensionis locò serviant amplexus, & injuriæ sibi illatæ rependat favores. Aliæ voces domi non perstrepant nisi lætitiæ, & gaudii, *audivit symphoniam, & chorum.* Filius ad cor redeat, *& in se reversus* omnibus suis cupiditatibus præhabeat beneplacitum patris, pater verò pristinam eidem gratiam, ac omnem favorem paternum illicò impendat. *Citò proferte stolam primam.* Ecce hîc quomodò Deus pœnitentem excipiat peccatorem, & qua ratione bonus Pater ad se cum spe emendationis redeuntem habere debeat filium! En cur tam pauci ad suos revertantur parentes nati perditi, quia nullus parentum dissipata substantiâ obviam procedit filio! En quare etiam tam pauci filii prodigii mansuetis licèt, ac charitatis plenis parentibus se restituant, quia pauci sunt, qui postquam etiam peccârunt, se parentibus suis in mercenarios offerant. Filius Evangelii prodigus non ampliùs petebat sui patris pecuniam, sed commissi delicti non unius veniam. Non rediit ad patrios lares, ut caperet hæreditatem, sed ut suam offerret servitutem. Hinc neque verbulo parens notavit tam luridè dissipatam â filio substantiam.

Nisi dicere velimus ideò non fuisse 302.
perstrictam eam prodigitalitatem, quia ansam ipse Pater dedit ejus hæreditatis prodigendæ. Nisi imprudens dedisset portionem filio, quid peteret nescienti, nunquam ea tam turpè dissipata esset inter meretrices. Non sic Pater ille cælestis, uti Patres quidam terreni, cultrum hi quandoque filiis suis porrigunt, quo se ipsos conficiant, porrigendo aurum, Cæci putant illos sibi captivare splendore fulvi metalli, & magìs alienant. Aureos hos compedes filiis credunt injicere, quibus domi jugiter detineant, & funem illorum collo inserunt, quo non eant, sed rapiantur ad præcipitia. Attendesis pater, ubi filius hæreditatem magis, quàm te amat, in id totus incumbe, ut minimùm filius propter hæreditatem te amet. Filius minor, qui receperat portionem illicò pater nos amores oblitus *peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* ibid. v. 13. Filius major, qui nil acceperat, & *nunquam mihi dedisti hœdum*, v. 29. Sed spe-

rare debuit â patre obventurum ſibi patrimonium, jugiter patri adhæſit, ejúsque obediens dicto nunquam probi filii neglexit officia. Prudenter Iſaac utpote ad ultimam ſenectam diſtulit primogenito ſuo relinquere bona. *Senuit autem Iſaac, & caligaverunt oculi ejus:* Gen. 27. 1. Et licet denique ante mortem hæreditatem dederit, illi eam dedit, cui dare nolebat, ſcilicet Jacobo, eámque haud dedit Eſau, cui volebat dare. Dum Parentes eſtis, rerum veſtrarum ſitis domini, niſi deflere velitis minimè velut patres â filiis habitos, ſi ipſi habuerint veſtros loculos. Etiam Jacob, ùt obtinuit â ſocero, quod ſervitii, & dotis ei debebatur, ipſis labani filiabus inſtigantibus ſe ſurripit Labani ædibus. Geneſ. 31. Jam jam in cruce exſpiraturus Dominus maximum ſuum theſaurum ſanctiſſimam Matrem Benjamino ſuo primùm ceſſit. Nec Petro claves cœli in vita dedit, ſed tantùm promiſit, *tibi dabo claves Regni cœlorum.* Matth. 16. 19. Et tamen Petrus hujus promiſſi certus Vicarium ſe Chriſti futurum, ac ſucceſſurum in regimine, & poteſtate clavium, neque morituri in cruce Domino aſſiſtit; Joannes verò, cui nil de Matre tradenda Chriſtus promiſerat usque ad ultimum habitum Servatori adſtat; non dico, quòd ideò cruci ſe proximum ſtiterit, ut morientis exciperet teſtamentum, id dico, magnum in hoc myſterio contineri veritatis dictæ documentum.

303. Ecce quid agant filii hi prodigi recepta, quæ eos contingit, portione! Ut in regionem longinquam noſter abierat, non ſolùm Patris & ſuorum oblitus perdidit omnem ſubſtantiam ſuam, ſed ſe ipſum perdidit. *Filius meus mortuus erat, & revixit.* v. 24. Enim verò quid agat filius procul â Patre ſuo diſtans? nec timor â malo illum retrahet, nec amor ad bonum impellet. Ipſe Joſeph licèt quàm optimè educatus vix paternam domum relinquit poſt fratres ſuos abiturus, cùm illicò â recto tramite deflectens viam aberravit: *invenítque eum vir aberrantem in agro.* Gen. 37. 15. Inde in puteum ſiccum delabitur, atque manifeſtum vitæ amittendæ periculum: hinc denique ereptus inſervitutem abducitur, & poſt amittendæ integritatis maximum diſcrimen in carcerem mittitur. Quodſi reipſa non periit, amantiſſimo tamen ſuo patri viſus eſt periiſſe: *Fera peſſima comedit eum: beſtia devoravit Joſeph.* v. 33. A latere paterno diſceſſerat Eſau, & benedictione primogeniti caret. Si Abſalon fit fratricida, ſeditioſus, inceſtus, ſi è quercu ſuſpenſus denique perit, totum id contingit in abſentia patris, licèt curâ omni mandantis. *Servate mihi puerum Abſalon.* 2. Reg. 18. 5. Si filii Jobi intereunt ruinis domûs ſepulti, id fit ruri procul â patris conſpectu, in agrum egreſſus â paternis laribus Abel, â Caino fratre occiditur. Ex oculis paſtoris ſui diſcedens ovis in lupi dentes incidit. Tener pampinus â vitis trunco deciſus fulcro indiget, ne in alterutrum latus declinet, ſpinis ſepiri debet,

debet, quæ â pecude carpente ramum viridem defendant, irriguo opus habet, ne exaresçat. Etiam Petrus Magistrum, ac Deum suum negat, quando *sequebatur eum â longè*. Matth. 26. 58. Ne proin â tuo conspectu filium removeas, nisi perditum velis. Malus æquè ac bonus filius, tuus est, utrique paternum pectus impendere debes, sint versùs ambos *duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis*. Cant. 4. 5. Si uni flores porrigis, cave ne spinis alterum, jugiter urgeas: amborum pabulum debent esse lilia, & ubera tua æqualiter ad omnes protensa; ex hinnulis enim caprinis seu præscitis fortè patientiâ, & solicitâ tua cura agnos Christi efficies, ac cœlestis hæreditatis participes. Deum Patrem attende, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos*. Triticum, & Zizania usque ad constitutum tempus, seu usque ad messem crescere sine. Nec minorem curam Isaac impendit reprobo Esau, ac electo Jacob. Nec minùs David meruit in Absalone, quàm Salomone educando. Tuum est seminare, incrementum dare solius est Dei. Hic quidem amare nequit malum dum est malus, vult tamen, ut filii quoque mali curam suscipiat pater, quò fiat bonus. Noë Camum æquè, ac Semum in arcam recipit. Rosetum spinas, & rosas producit. Aves pullos suos generant, atque educant, ut ut ii in firmatis alis â genitorum oculis ingrati avolent. O si parentes quantùm impenderunt corpori educando, adhiberent excolendis filiorum animis, nunquam oculos â filiis averterent! Tolerandi sunt patienter, neque unquam desperandum; insequi oportet etiam discolos donec Deo, & virtuti reddantur.

Quis magìs perierat, ac Naimiticæ viduæ filius, non solùm æger vitiis, sed iis planè immortuus, & tamen perditum hunc cœli favore adhuc recipit Mater. Plures alios defunctos viderit Christus ad tumulum efferri, quin vitam iis reddiderit, cur ergò hac vice non rogatus vitæ gratiam viduæ filio mortuo facit? causa esse videtur, quia Mater, cùm potuit, filio debitam curam non impendit, *quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam dixit illi: noli flere*. Luc. 7. 13. Plorantem vidit etiam tunc, ubi nil videbantur prodesse lacrymæ, vidit sequi filium perditum, licèt ea non speraret lucrandum, & viduæ compassus filium unicum restituit, saltem illam pietatem remuneraturus, quam ipsa jam mortuo impenderat filio suo. Quid Magnum Augustinum ad frugem convertit, nisi maxima Matris pietas, ac juges lacrymæ. Ipse â parente fugit, ipsa fugientem sequitur. Mare ille inter se, & matrem voluit intermedium, & mare ipsa trajicit, ut filio afferret remedium. Augustinus pridem animo mortuus jam fœtebat, nec tamen verus Monicæ amor de eo ad vitam, & viam reducendo desperabat. Vivum hoc cadaver pia mater comitatur, assistit, obsequia, & beneficia impendit: orat, gemit, monet, hortatur, neque â pio opere 304.

desistit,

desistit, donec cor durum emolliat, & spiritualiter mortuum ad animæ vitam reducat, bis filii sui Mater effecta, semel cum peperit ad vitam mortalem, altera vice, dum mortuum animo reduxit lacrymis suis ad immortalem. Ne ergò conclamatum putes, si primis monitis resistat filius, perseverandum, donec redeat, nunquam sibi relinquendus, ne citiùs pereat. Ab ipso non fugias, quem â te fugientem vides, sed Monicæ exemplo insequere aberrantem, denique reducetur. Néve pigeat laboris, quia sine eo non amatur. Filius tuus est, qui laborem creat, patris charitas omnia sustinet, ut à perditione detineat filium. Nescio an minor sit gloria Matris, quæ in filiis patienter fert spinas, quàm Virginis, quæ est sicut *lilium inter spinas*. Cant. 2. 2. quæ virgo est, igitur dicitur lilium inter spinas, quia coronatum spinis amplectitur dilectum suum. *Fasciculus myrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Cant. 2, 13. Etiam sicut lilium fieri potest, quæ est mater, si æquanimiter tolerat curas seu spinas prolis suæ.

Idea LVII.

Non bene formantur in choris profanis, qui sacratis servire debent.

305. VElut in loco proprio ad piscinam diutissimè jacet Paraliticus, at ubi sanitatem recepit, jubetur inde secedere: *Tolle grabatum tuum, & ambula*, Joan. 5. 8. & ita porrò ambula, ne unquam huc redeas, non enim sanis opus hoc pharmaco. Sic etiam Lazaro ad vitam revocato tumulum interdicit Jesus, Lazare veni forás. Joan. 11. 43. non enim unus idémque locus vivos capit, ac mortuos: neque tumulare patrem, opus pietatis aliàs in SS. paginis dilautatum, indulget Christus suorum discipulorum uni. *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos*. Matth. 8. 22. qui enim post Christum ambulat, vitam, & veritatem sequitur, non ùt homines mundani, qui sectantur vanitatem & mendacium, & in his mortem inveniunt: Sine ergo hos mortuos jungi mortuis suis, tu sequere me, qui veni, ut homines vitam habeant, & abundantiùs habeant. Bene est, quòd hirundines in hominum tectis nidificent, ùt plurimùm enim vivunt inter homines: at turtur in eremis gemens, vel cygnus cantans in solitudine procul ab urbibus, & oppidis nasci debent. Plurimi refert,

fert, ne â fine ſuo abhorreat educatio. Samuel adolevit, imò inèanuit in Domo Dei, quia â matris lacte translatus eſt ad obſequium aræ. *Et adduxit eum ſecum, poſtquam ablactaverat, & obtulerunt puerum.* 1. Reg. 1. 24. Imò antequam conciperetur puer, mater jam vivere voluit, uti quondam ipſe erat victurus. Nazarenus eſſe debebat, atque â vino abſtemius, & omni alio potu ebrietatem inducere valente. Ut in hunc finem formaretur filius mater his omnibus abſtinuit. *Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi.* v. 15. Clarè id ipſum præceperat Samſonis parenti Angelus. *Cava ergò, ne bibas vinum, aut ſiceram, ne immundum quidquam comedas.* Et cur hoc: *quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula, erit enim Nazaræus Dei ab infantia.* Judic. 13. v. 4. & 5. Mater id agat, quod ſubin filio erit agendum, ut ab unguiculis videat, quid reliqua ſua vitâ præſtare debeat, ùt Nazaræus eſt educandus, qui Nazaræus eſt vocandus.

306. Quinam in hoc genere errores paſſim in oculos incurrunt! ſi filiam tuam educas mater, ut choro aliquando deſerviat, quid identidem facit inter puerorum, ac puellarum choros? quomodò tranſibit â profana converſatione hominum, ad caſta conſortia Angelorum, quo vultu â theatris, choreis, ſpectaculis, luſibus, ad ſolitudinem, ad clauſtrum, ad Dei, & Eccleſiæ obſequium tranſibit? an eidem ſapient poſt delicias, jejunia, poſt mundanos ſtrepitus, clauſtralia ſilentia, poſt muliebrem pompam, cilicia, poſt byſſum, & purpuram, pudendámque, & ſtudio quæſitam nuditatem, lumbis, & humeris arctè â collo usque ad talos adſtricta veſtis ſetacea? an putas inconſulta parens filiam tuam ab uno extremo tranſituram ad alterum, â ganeis rectà ituram ad parthenonem, â ſæculi deliciis ad ſpinas crucis? quid illi cum pompis mundi, quæ premere debet veſtigia Chriſti? quid ſcire debet de choreis, quæ jam pridem deſtinata eſt choris? quare vacet vanis, ac prætextatis cantiunculis, quam vis dedicare ſacris pſalmodiis? cur ſe ingerat profanis amoribus, quæ cœleſtibus ſolùm litare debet ardoribus? vel mundus quod ſuum eſt, habeat, vel ita filiam educa, ut mundam, & caſtam virginem ſe Chriſto exhibeat! an fortè putas ex Magdalena repentè futuram Mariam, ex flore campi fore illicò lilium convallium! ex vanitatis ſpeculo, in quod defixi hærebant amantium, & amentium oculi, mox vertendam in heliotropium unius amoris Divini? Id certum, canticum Agni in cœlo neminem cantaturum, niſi in terris vitam duxerit omni maculâ puram. *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra: hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* Apoc. 14. v. 3. & 4. Si ergò in cœlis non aliæ voces audiuntur, quàm immaculatæ: qua aure in terris illas

excipiet, quæ adhuc hircinum quid crepant â laſcivientibus diſſolutarum converſationum modulis ? quæ cor Divinum lætificant in choro perſolutæ laudes, *cum lætitia, & exultatione adducentur in templum Regis.* Pſal.44. 5. Illæ ſunt, quas virgines concinunt Reginæ virginum æmulæ, quæ jam trimula mundo exceſſit, & in templo totam ſe Deo ſacravit. *Adducentur Regi virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi.* v. 15. Hæ ſolæ virgines ſponſo Divino placent, deliciæ ejus ſunt in medio, vel choro eſſe harum juvencularum tympaniſtriarum.

307. Difficulter, quis id neſcit, ſervatur ovis, quæ ſe ipſam lupis credit, nec ulla ſufficiet mulieris cuſtodia, ubi ejus proditor eſt animus. Miles quidam jactabundè de ſuæ urbis mænibus: quid tibi videtur Theopompe, inquit, de Giganteis hiſce fortalitii noſtri cuſtodibus ? reſpondit alter: *ſi viros cuſtodiunt, muris tuis cedo gigantum nomen, ſin mulieres, neque ii quidem cuſtodient.* Plutarchus in Laconicis. Nempe ſi nullus intus validus defendat mænia, neque hæc retundendæ vi exteriori quidquam valebunt. Quid murus proderit tutando muliebri pudori, ſi murum ipſa tranſilit, ut proſtituat pudorem ? interrogat Sponſus in canticis, *quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt,* cap 8. 8. Quisnam hic dies? ſi de ſororibus hodiernis agitur iſta dies, eſt quævis dies, imò (ô propudium temporum) ſi vis, etiam nox quævis. Si de Salomonis temporibus ſermo, honeſtarum alloquium viris permittebatur rariſſimum: ſunt, qui dicant, diem eum fuiſſe ipſum nuptialem. Et hic ſufficeret unicus, ut viri affatum peteret virgo deſponſata viro. Præcipit etiam patribus Divinus ſpiritus, ne filiabus lætiores vultus exhibeant, *non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Eccleſ.7.26. Et cur! ne ùt notat Carthuſianus, *aſſueſcant affici ad viros;* ut ſcilicet virilem vultum æquè timeant, ac leoninum. Alii dicunt illum diem eſſe periculi diem, vix enim fieri poteſt, ut non periclitetur mulier ſola cum ſolo miſcens colloquia. Unicam in hoc genere invenio diſcriminis immunem. Immaculatam Virginem, quam in Deo ſua defixam cogitatione juvenis formâ ſalutat Archangelus Gabriel, licèt & ipſa *turbata eſt in ſermone ejus.* Luc. 1. 29. *Turbata eſt cùm audiſſet dicit ſacer textus, non cùm vidiſſet.* Nuncium cœli enim audire debuit, etiam Angelum figurâ hominis videre non voluit. Sed revertamur ad ſororem noſtram, ac de munimine ei in ſuis periculis provideamus. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.* Cant. 8.9. Circumdetur argento, ne ſcilicet paupertas, & domi curta ſupellex cogant fieri venalem. *Si oſtium eſt compingamus illud tabulis cedrinis.* 16. Incorruptibili cedro opus eſt, ubi theſaurus, quem neque tinea corrumpat, aſſervatur in vaſis fictilibus: ſed poſt omnes has munitiones contra alloquii diſcrimina ſponſa ipſa tutiſſimam

tissimam addit inquiens: *Ego murus, & sicut turris, ex quo facta sum coram eo.* v. 11. En ipsa se omnium optimè tuetur, si hæc custodia desit, frustrà vigilabunt, qui custodiunt eam. Sed qui custodire nequit, aut servare, facilè perdere potest, si omninò curare negligat.

308. Imperat Deus Patri! *Filiæ tibi sunt, serva corpus earum* Eccles. 7. 26. Lyra, Hugo, Palatius, Jansenius & alii legunt. *Ne vagari permittas.* Unum idémque est filias domi retinere, & servare: perierunt, si vagari siveris. Salomon certè prostibulum ita designat. *Vagi sunt gressus ejus.* Prov. 5. 6. Et adhuc clariùs infrà depingit pudoris prostituti fœminam. *Et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus.* cap. 7. 11. septuaginta ita explicant. *Volatica, & luxuriosa:* nempe volat, non currit mulier vagari occipiens. Hinc teste Pausania venerem in nummis sculpebant Mercurii alis calceatam. Sacræ paginæ interpres Salazar in locum Proverb. citatum dicit, *quod adeò certum est, ut vagari in scriptura non semel sumatur pro scortari.* Et Ecclesiasticus: *Ne des aquæ tuæ exitum nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi.* cap. 25. 34. Ex Adæ latere educta est Eva: illicò periit, ùt ab ejus latere recessit. De Phidia refert Plutarchus in præcept. connub. cap. 33. Quod elegantis â se effictæ mulieris statuæ pedes imposuerit testudini, *indicans mulierum esse munus, adium custodiam, & silentium.* Idem scriptor addit, olim moris fuisse comburi ejus currûs rotas, quo in viri domum devecta fuerat nova nupta, ne inde porrò etiam si vellet, digredi posset. Ex hoc ipso capite sine calceis incedebant mulieres Ægyptiæ, ne scilicet facilè paternis, vel maritorum ædibus prodirent. Non sine mysterio locutus est Moyses cùm de creatione Adami loquens dixit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem.* Gen. 2. 7. de productione verò Evæ: *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* v. 22. ut scilicet nôsset mulier in ædificium formatam se esse, neque ædibus exire posse, nisi extra se velit egredi.

309. *Esto filii tui de longè venient.* prout cap. 60. Dicit Isaias. Lateri tamen tuo adhæreant filiæ necesse est. *Et filiæ tuæ de latere surgent.* v. 4. jugiter apud te sedere debent, ne unquam, quando exsurgunt, te inscio aliò se conferant. Sanctus Hieronymus legit: *lac sugent*, locô *de latere surgent*, ut scias tam parùm filias à te dimitti oportere, quàm parùm â nutricis uberibus amoveri lactans infans. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Cant. 4. v. 12. scilicet bis conclusus, semel propria custodiâ, iterum aliena vigilantia. Et conclusus pro omnibus, quò nulli in hunc hortum accessus pateat, nec sponso quidem, licèt clamet, *aperi mihi soror mea.* Cap. 5. v. 2. Noë corvum suum arcæ ita includat, ut nec semel egredi valeat, idem fuit semel avolâsse etiam aquis adhuc coopertâ terrâ, &

nunquàm ampliùs rediiſſe: *& non revertebatur.* Gen. 8. v. 7. columba quidem rediit, ſed quia non invenit, ubi pedem figeret: *Quæ cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam,* ibid. v. 9. Altera vice emiſſa â Noëmo reducem quidem ſe ſtitit, ſed primum inclinato die, *at illa venit ad eum ad veſperam.* v. 11. Et jam accepto extra arcam munere venit: *Portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* ibid. Ecce jam foris prenſat ſolatia, jam capi incipit munuſculis! Egreditur tertiò jam gnara quò volet, tam longè â Noë & arca recedit, ut etiam videri deſierit, *quæ non eſt reverſa ultrà ad eum.* v. 12. En quàm malè crebrior egreſſus, vel ipſi ſimplici columbæ verterit, denique vel in corvum migravit vel ſaltem poſt corvum abiit. Filius prodigus paterna domo exit, nec de reditu cogitat, donec dira fames reditum extorqueat. Sanctus Ambroſius in exhortatione ad Virgines ſuadet, neque crebrò eas domo egredi debere paterna, ut domum Dei frequentent. *Ipſa quoque ad Eccleſiam Dei progreſſio rarior ſit adoleſcentulis.* Deum quærebat ſponſa, ſed quia dixit: *Per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Quæſivit quidem, ſed non invenit. Loco ſponſi invenerunt eam cuſtodes, & vigiles peſſimè excipientes per compita vagatam, ùt ipſamet experta fatetur, *percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi,* cùm velum modeſtiæ jam priùs amiſerit. Cant. 5. Neque â Matre inveniri voluit Jeſus, quando ipſa cum ſanctiſſimo ſuo ſponſo filium ſolicitè quærebat, quia in plateis, & agnatorum domibus ipſum quæſierant, *& requirebant eum inter cognatos, & notos, & non invenientes.* Luc. 2. v. 44.

Idea LVIII.

Continentiæ ſtatum haud bene ſervant illi, qui ob rationem ſtatûs â parentibus jubentur ſervare continentiam.

310. MAgna noſtrorum temporum cenſeri poſſet felicitas, ſi quos videmus in continentiæ ſtatu vivere, propria electione continentes viverent. Jam id nos obtinuiſſe videmur in terris, quod obventurum Chriſtus promiſit in cœlis, atque triumphantis Eccleſiæ candidam veſtem jam induta appareret beatæ illius Sionis æmula Eccleſia militans. De reſur-

ſurgentibus ad gloriam teſtatur Servator: *Neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei.* Marc. 12. v. 25. Sed unde in terra noſtra tribulos, & ſpinas germinante, in loco hoc caliginoſo, & pleno corruptionis tam latè extenſus hominum integritatem profitentium numerus? nunquid non expreſsè Veritas dicit: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Matth. 19. v. 11. Et tamen plerique hoc capiunt, atque utinam id fiat cœli inſtinctu. Numerabit familia ſex, aut ſeptem filios, primogenitus ſolus nubet, & inter ſorores, Muſarum numero, pares, ſola natu maxima nubetur, ſeu ex novem una. Sic fert hodierni ſæculi mos, ſic parentes jubent. Neſcio tamen, an quia ita volentibus majoribus ſuis tam paucæ nuptui traduntur, tam paucæ etiam revera nubant. Virginitatem veneror, & profiteor in Eccleſia Dei nullum eſſe ſtatum, excepto martyrio, niſi & huic æquetur, virginali perfectiorem. Laudo continentiam, celebro viduarum, ac cælibum conſilia, ſed quæ ſuggerit cælum, quæ Deus inſtillat, non ratio ſtatus dictat, aut avaritia imperat. Pulcherrimè florent lilia, quæ plantat Divina manus, non quæ ex cauſis politicis ſeminat carnalis homo: flos iſte, ut ritè floreſcat, non induſtriâ humana, ſed cultu, & auxilio Divino opus habet. Sanctus Joannes extollit puritatis candores, ſed illos duntaxat, *qui ſequuntur Agnum, quocunque ierit.* Apoc. 14. v. 4. Sive in deſertum, ſive in hortum Getſemani, ſive ad montem Calvariæ. Sed nihil in laudem eorum dicit, qui mundi ductum ſectantur, aut meretricem Babylonicam, aut locô agni lupæ premunt veſtigia: neque de illis fit mentio, qui mulierem propriam non ducunt, ut habeant alienam. Faxit Deus, ut ii omnes, qui ſine conſorte vivunt, ſoli vivant omnis expertes conſortii, & qui in terris uxores non ducunt, ita ducant dies ſuos, uti in cœlis Angeli Dei! Id certum eſt, hominem ex eo ſolùm non poſſe dici vel virginem, vel continentem, quia nec uxorem, nec maritum habet.

Res notatu digna. In horto ſponſi 311.
cæleſtis, quem mons mortificationis totum ambit, in cujus medio ſitus eſt collis orationis, quem torrentes libani ſeu pœnitentiæ lacrymæ inundant, ubi columbæ identidem lacte ſe lavant, ubi ſepta undique, ubi murus & antemurale. Et tamen inter innumeras ſpinas eorum, qui carnem, & ſanguinem potiùs ſapiunt, quàm ea, quæ ſunt ſpiritûs, vix unum exſurgit veræ innocentiæ lilium. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. 2. v. 2. Qua ratione ergò fiet, ut in tempe Adonidis, in domibus profanis, in hortis laſcivientium areolarum, ac fontium, in apertis campis mundi ſubdoli, in plateis libertinarum urbium, in foris Babylonicis, in theatris propudioſis, ubi tot continentiæ laquei, pericula, naufragia, ubi mille incentiva, & fomites malæ concupiſcentiæ, qua ratione, inquam, fiet, ut

hîc penè omnia liliis conſperſa ſint? ut pauculæ ſolùm ſpinæ pullulent? ut ſint pleraque rubi, qui in mediis ignibus non ardeant? ſolus in deſerto, inter continuos tubæ tremendæ ſonos vivebat divus Hieronymus, & ſolum eſſe non ſinebant menti ingeſta identiden ſaltantium Romæ puellarum, ac matronarum phantaſmata. Etiam in obſcura ſpelunca degentis Benedicti terra ſpinas, & tribulos hinc inde minatur, niſi lilium ipſe ſuum in ſpineto largè cruentaret. E tertio cælo redux Paulus â fratribus tulerat flagella, virgas, â Sathana colaphos, fuerat in periculis frequenter, in plagis ſupra modum, in laboribus abundantiùs, in perſecutionibus continuis, in profundo maris, in mille aliis adverſitatibus, & tamen timore concutitur ne patiatur naufragium caſtitatis, ne jacturam ſubeat nivei candoris, ipſe dicit: *propter quod ter Dominum rogavi.* 2. Cor. 12. v. 8. Suis diffiſus viribus, unum implorat auxilium Dei; & nos capiemus, quomodo tot, qui carnem ſuam bene nutriunt, otio marceſcunt, inter tanta incontinentiæ jugiter vivunt illicia, ſanctiſſimè continentiam ſervent, quam non ſuapte ſponte, ſed alterius arbitrio, aut juſſu profeſſi ſunt? Vix binos cæleſtes genios hoſpitio receperat, vix ſulphurei ignis diluvio, & iræ Divinæ fulminibus exuſtam viderat infamem Sodomam, vix uxorem ſuam curioſitatis fatale ſpectaculum factam contemplatus erat, jam viduus Loth, cùm ecce eadem nocte, qua continentiam imperabat neceſſitas, nefando inceſtu polluitur. Eſto vino, & ſomno ea, & ſequenti nocte, cùm flagitium repetiit, oppreſſus fuerit viduus hic noſter, vigilabant tamen, & ſobriæ erant filiæ ejus, utique memores adhuc ſupplicii peſſimis Sodomitis, ac incautæ ſuæ matri paulò ante cælitùs irrogati. Ecce hîc, quam res ardua ſit continentia non voluntate, ſed neceſſitate ſuſcepta, etiam in homine ſene, etiam inter ſacrata primæ conſanguinitatis jura, ipſo naturæ jure indiſpenſabilia! En vix binæ hæ ſorores de neceſſitate ſomniant ſtatus continentiæ, & ex virginibus matres fiunt propriiſque patris operâ fiunt! Et perſuadebimus nobis inter ſexcentas peccandi occaſiones ſibi conſtituros noſtros continentiæ mancipatos proſelytos, fore rubos ardentes in mediis flammis? quin vel aliquando comburantur? cùm tamen ignis hic de concupiſcentiæ fomite egrediatur velut de rhamno, *& ipſos devoret cedros Libani.* Judic. 9. v. 15.

Nuperrimè duorum filiorum cor- 312.
pora, ob rem in genere caſtitatis deteſtandam, repentina morte ſublata telluri mandârat Judas. Cùm in villam ſuam egreſſus, ut greges videret, caſu incidit in gregariam, ùt ipſe putabat, mulierem, atque ne quidem de facie agnitam ſui, ac triſtium funerum oblitus turpiter cognoſcit, ac geminos de nuru ſua filiorum tumulatorum uxore filios procreat. Gen. 38. Ite jam ac fictis lacrymis fidite viduorum, ac viduarum, fidite ex neceſſitate continentiam, ſi non ſervare,

vare, ſaltem cælibatu ſuo ſimulare coactis filiis ac filiabus veſtris! quando ipſi Patriarchæ â Deo in ſelectarum Tribuum fundatores electi vix ſoluto matrimonii vinculo incidunt in incontinentiæ laqueum, nec diem unam tranſigere vel poſſunt, vel volunt ſine uxore, vel pellice. Anne petitis, ut juvenes, ac adoleſcentulæ veſtræ ſint innocui in camino ignis, ùt pueri Babylonici, non Divino, ſed eo ſolùm afflati rore, quem vos aſperſiſtis imperato continentiæ ſtatu? rem ſanè magnam petitis! rem etiam Samſonicis viribus ſuperiorem! ſcilicet iſti vel agni, vel hinnuli veſtri in fervore ætatis, inter omnis generis delicias, inter cibi, & potus veneri proludentia fomenta, inter ganeas, & choreas, inter prava & ſpectacula, & exempla continebunt ſe ſe, dum limites honeſtatis egrediuntur in ſanctiſſimis Abrahæ & Jacobi ædibus educati nepotes, híque jam provectæ ætatis, atque eo tempore, dum adhuc fædi ignis buſta vident. Ne credite Teucri! vera caſtitas non eſt filia violentiæ, ſed voluntatis propriæ! virtus eſt pullulans ê puro corde, non procedens ê parentum ore! tres hominum continentium claſſes recenſet Chriſtus. Primi qui de matris utero ſic nati ſunt. Alteri qui ſic facti ſunt ab hominibus: *Quorum neuter*, ùt habet Interlinearis, *præmium habet, quia neceſſitate abſtinet, non voluntate.* Denique *ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum.* Matth. 19. v. 12. Et hi teſte Interlineari ſunt veri continentes, *qui voluntate ſe devoverunt caſtitati*, idque non amore regni terreſtris, ſed cœleſtis, non ut patrimonium augeant domûs, ſed ut poſſideant hæreditatem ſalutis. Non ut integer maneat fratri *majoratus*, ſed ut glorificetur primogenitus inter multos fratres Jeſus Chriſtus, non ut ſe ſubtrahant labori, ſed ut illi ſe totos dedant, *quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* 1. Cor. 7. v. 35. Hinc gloſſa ordinaria notat, inter veros continentiæ addictos non cenſeri, *qui ſpecie religionis ſimulant caſtitatem*, ac ſi diceret, eos, qui non propter regnum cœlorum ſed propter motivum quodcunque terreſtre profitentur continentiam, non dicendos eſſe veros continentes.

Magni ſanè æſtimandus parentum Zelus in filiis ad cælibatum adducendis, ſi foret Zelus ſecundùm Deum, non autem ſtudium conſervandi indiviſum patrimonium, ut totum ſoli primogenito obveniat. Arrogant iſti ſuæ hæreditati illud ipſum privilegium, quod obvenit tunicæ inconſutili Jeſu Chriſti: *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit.* Joan. 19. 24. Quem nempe ſors primo loco in hunc mundum protulit. Sed non eſt Zelus Dei acceptor perſonarum, qui ſobriè caſtitatem ſuadet, omnibus ſuadet, ſive primo ſive ſecundo genitus is ſit. Hinc Paulus: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* 1. Cor. 7. v. 25. Ecce Apoſtolus omnibus ſuadet, nulli præcipit continentiam, 315.

tiam, cùm reſpectu nullius cadat ſub præceptum; reſpectu omnium ſit conſilium! ſi ergò lex caſtitatis non eſt â Deo, lex, quæ continentiam præſcribit filiis non primo loco natis, cujus erit? Et ſi ſolum de rore cœli oriatur hoc margaritum: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det.* Sap. 8. v. 21. In corde filii ſecundò & tertiò geniti; quomodo exorietur, niſi irriguum ſuperius præceſſerit? Idem Paulus omnibus dixerat, præſtare virginitatem ſervare, quàm matrimonio jungi, *qui non jungit meliùs facit.* 1. Cor. 7. v. 38. licèt itidem omnibus dixerit: *Melius eſt nubere quàm uri.* v. 9. Ubicùnque ignis eſt, qui incendium minetur, aqua ſit, quæ flammam extinquat. Nulla hîc diſtinctio primo, aut quarto loco geniti, cùm illimitatum ſit Paulinum conſilium. Qui rore cœleſti carens hanc terræ aquam ſitit, in nomine Domini bibat illam, quiscunque fuerit in numero nativitatis, quia ſententia eſt cœli: *Meliùs eſt nubere, quàm uri*, qui verò de genimine vitis bibit germinante virgines, nec alias ſitiat aquas, *beatior erit, ſi ſic permanſerit*, ſive dein inter Muſas novem maxima, ſive minima fuerit, quia ubi lex, vel monitum Divinum non diſtinquit, neque beneplacitum humanum aut debet, aut jure poteſt diſtinquere. Duro lapidi innixus ſomnum capiebat Jacob, quando in extaſin myſterii plenam raptus Angelos vidit per ſcalam aſcendentes, & deſcendentes, audivitque hanc Dei vocem: *Erítque ſemen tuum quaſi pulvis terræ.* Quid ais Domine? cum Jacobo loqueris adhuc cælibe, & ſecundò genitorum tenente privilegium: *Qui non nubunt, neque nubuntur* juxta legem mundi, *ſed eſſe debent ſicut Angeli Dei. Ego ſum Dominus Deus Abraham*, omnis bonæ legis legislator, ego loquor, *erit ſemen tuum ſicut pulvis terræ*, conjugem habebit Jacob ſecundò genitus quidcunque mundus obganniat, & Rachelem habebit altero pariter loco natam. Nullus Patriarcharum legitur vidiſſe cœlos apertos, nullus habuiſſe tot Angelos in ſui tutelam. Sic cœlum, ac Genii cœleſtes illi favent, qui vanam hanc mundi legem calcat, & meliùs cenſet nubere, quàm uri. Et verò, an duodecim Jacobi filii omnes primogeniti, & tamen â noviſſimo usque ad primum conjugati fuêre omnes. Et væ mundo, ſi vanam hujus legem ſecuti fuiſſent Jacobæi fratres! ſolo enim primogenito Ruben ad vota conjugalia aſpirante non habuiſſet Redemptorem, quia Mariam non habuiſſet ex ſtirpe Juda quarti inter Jacobi filios prognatam. Si ergò ita operati ſunt viri ſancti, ſi id probavit Deus, ſi gentium Apoſtolus ſtatuit legem communem pro omnibus filiis hominum, meliùs eſſe nubere, quàm uri, quis gloſſam addet, id ſolùm de filiis primogeniis eſſe intelligendum, non de cæteris? An credibile, vel etiam in tota hominum multitudine poſſibile videatur, ſolis primogenitis opus eſſe adjutorio, vel remedio concupiſcentiæ, ne comburantur?

rantur? an cæteri ex nive, vel glacie mera ſunt compacti, ut in ipſis nullum ſit periculum incendii? Verùm iſti jam ab incunabilis cenſeri debent inter frigidos, vel antequam mortui ſunt, felici ad vitam beatam revocatorum ſorte gaudent Angelicis mentibus ſimiles. Quis continentiæ Zelus eſt iſte? vel quid honeſti inſit legi huic, quæ directè evertit matrimonii honeſtatem? nempe parentum multi id ipſum ſuis filiis dicunt, quod rerum primordio Eva: *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur.* Gen. 3. 2. Attendeſis, omnia tibi licebunt, niſi nubere, vel nubi. Nec cogites de matrimonio; hoc enim eſſet tangere arborem vetitam felicitatis domus meæ, & in hac deſtruere ſeriem Genealogiæ noſtræ: cætera quæcunque libuerint, per me licebunt. Ecce hic ſolùm matrimonium lege naturæ, & divina arbitrio cujusvis hominis relictum, ejusmodi patrum filiis plerisque velut fructus arboris ſcientiæ boni, & mali prohibetur, reliqua omnia ipſis permittuntur, licèt & Dei præceptô, & naturæ ductu ſint vetita. Anne hoc eſt habere Zelum puritatis, aut potiùs curam plùs quàm ſordidam hæreditatis? Id conceſſerim hac ratione obtineri in familiis pauciores nuptos vel nuptas, ſimul autem conſtitui ſine numero incontinentiæ in ſexu utroque mancipia.

314. Quid ſi autem lex hæc impia matrimonium prohibens etiam ipſi patrimonio obeſſet? quid enim pro ſcopo habent parentes ejusmodi, qui uni ſoli filiorum conjugium indulgent? niſi ut hæreditas non dividatur inter fratres, & non minuatur per dotes filiabus conſtituendas, ut ſcilicet vis primogenituræ conjuncta fortior perſeveret. At cui ignotum eſt, ſæpè contingere, ut uni ſurculo innixa familia denique tota corruat? eò magis creſcit arbor, eóque uberiores dat fructus quo in plures ramos ſe ſe extendit. Nullæ totius orbis domus latiùs extenſæ, ac majoribus abundantes divitiis, quàm Patriarcharum, neque tamen iſti unquam in unico filio eas ſtuduerunt propagare. Quot hodie exaruerunt Genealogicæ arbores vix de nomine notæ, quia nempe ramum unicum deſignârunt majores inutilem, ſterilem, aut ſola filiorum vanitate luxuriantem. En benedictionem, quam per os David promittit Deus conjugatis juſtis: *Uxor tua ſicut vitis abundans, filii tui ſicut novellæ olivarum: Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum.* Pſalm 127. v. 3. Sed hæc benedictio noſtri ævi parentibus videbitur perditio domûs, diſſipatio patrimonii, familiæ in partes diviſæ interitus? *videas filios filiorum*, quomodò fiet iſtud, ſi ſolus primogenitus permittitur filiis operam ex conjugii legibus dare? ita eſt, ſed hæc cæcitas ingens eſt fallacis politicæ, non benedictio: hoc pacto non augebitur regnum Dei, ſed numerus creſcet mancipiorum Satanæ. Solutos matrimonii vinculo cupiebat

omnes amantiſſimus virginitatis gentium Doctor : *Volo enim vos omnes eſſe, ſicut me ipſum.* 1. Cor. 7. v. 7. Sed cùm in ſingulis eſſe cupit donum continentiæ, in nullo eam permittit, ubi manifeſtum eſt incontinentiæ periculum, quando jam proximus ardet Ucalegon : non enim vult Paulus, ut reſpuas ſociam motrimonii, & ſocieris lupæ in cælibatu, nec ut contra placitum facias votum caſtitatis, & poſtea ad lubitum pecces contra votum. Si idem foret eſſe Angelum Dei, & carere conſorte thori, nulli ſuadendum conjugium ? ſed ſi non adſtringi vinculo matrimonii cauſa ſit, ut fias mancipium diaboli, meliùs eſt, ut ſis homo uxoratus, quàm dæmon cum prærogativa cælibatûs.

315. Deſideria veſtra parentes ad rationis, & æquitatis legem appendite. Deus eſt omnium Dominus, & vult, ut quilibet ſibi famuletur, prout uni ſibi placet: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem ſic, alius verò ſic.* 1. Cor 7. v. 7. Quem ergò ad aras ſuas, vel domum vocat, ne eum inde removeatis, aut contrarium perſuadere nitamini, quiscunque fuerit filiorum veſtrorum. Quos verò matrimonii vinculo conjunctos vult Deus, vos, neque ullus homo alius eos ſeparet. Si Deus hunc ſibi ſelegit, alium vos ne obtrudatis. Date Deo quæ Dei ſunt, & mundo quæ mundi, tunc magis veſtri erunt filii veſtri, quando toti erunt Dei, ſi Deus eos vocet. Tunc neque Dei erunt, neque veſtri, ſi vel invitos ab obſequio Dei retrahere ſtudeatis, ad curam veſtræ familiæ. Vix in lucem prodierat Joannes, & jam petit obſcura antra deſerti, útque ſe totum Deo dederet, paternæ domui ſe penitùs ſubduxit. An non Angelus nuntiârat Zachariæ: *Et uxor tua pariet tibi filium*, & pater hunc filium vix recipit, & illicò amittit. Dixerat etiam cœleſtis ille nuncius: *Et erit gaudium tibi, & exultatio*, ſed quàm breve id fuit, ſi tam citò filius hic â patre abiit? ſi vitam Joannis conſideres, natus videtur pro ſylvis, pro Jordane, pro baptiſmo, pro carcere, pro morte, denique unicè pro Deo. Quomodò ergò natus dicitur patri ſuo ? ſcimus Joannem vixiſſe in deſerto, totum â curis domûs ſuæ fuiſſe alienum, cur ergo Angelus ad Zachariam: *Uxor tua pariet tibi filium!* ſed ob hoc ipſum Joannes dici potuit natus patri ſuo, quia totus natus erat cœlo. Nullus filius majus gaudium attulit patri ſuo, quàm hic filius, qui inter filios hominum maximus fuit coram Domino. Nullus familiæ honorem magis promovit, quàm qui illam omninò neglexit. Filius magnus in oculis mundi ea parentibus gaudia parat, quæ jugiter ſunt luctui mixta, quæ citò decidunt, & cum mundo tranſeunt. Sed qui magnus eſt coram Deo, lætitiæ ſolidæ, conſtantis, atque nunquam deſituræ materiam ſubminiſtrat. In & pro Iſaaco Abrahæ Deus promiſerat exaltationem domûs hujus Patriarchalis, qua nulla major, cùm inde ſecundum

car-

carnem ortum duxerit ipſe filius Dei. Et tamen jubente Deo ipſe Iſaaci parens filium immolare paratus eſt. Nunquam Abraham Iſaacum dixerat filium ſuum, niſi quando duxit ad aras victimam, in hoc ſiquidem itinere bis eum nuncupavit: *fili mi! fili mi!* Gen. 22. v. 8. Et cùm in corde jam Domino hanc oculi ſui pupillam in holocauſtum obtulerat, promiſſiones ſibi majores fieri intelligit incrementi domûs ſuæ: *Quia feciſti hanc rem, multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli*, ibid. v. 16. & 17. Deum proin quàm promptiſſimè ſequi illum filiorum veſtrorum parentes ſinite, quem Deus ad ſe vocârit, nullam inde jacturam, ſed lucrum maximum familiæ veſtræ certò certiùs accreſcere conſpicietis. Optima Mater filium optimum, ac primogenitum ſuum juxta legis conſuetudinem æterno patri obtulit, atque ex ore Simeonis audivit: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Luc. 2. v. 35. Sic multi parentum dicunt, ſibi cor acerbo ſpiculo transfigi, & animam ê corpore exturbari, quando dura neceſſitate coguntur prolem ſuam Dei obſequio dedicare. Non ita tamen evenit in Deipara, cui Simeon verba antè adducta non dixit, cùm ipſa filium ſuum cœlo obtulit, ſed cùm ê brachiis Myſtæ ſenis Jeſum recepit. En dum ad aras ſponte ac libentiſſimè oblatum hoc præſtantiſſimum munus rurſus Maria recipit, tunc gladio doloris animam ſuam transverberandam intelligit, quid iis fiet, qui non niſi inviti dant, & ſubinaris auferunt? filius, aut filia Deo ſemel dicati, ut altari, aut clauſtro inſerviant, inde ſine ſanguine, & pernicie haud ampliùs abripiuntur, ùt plurimùm ejusmodi victimæ poſitæ ſunt *in ruinam multorum, & ſignum cui contradicetur*, ùt quotidiana docet experientia.

In negotio vitæ ſtatûs deligendi ple- 316.
rúmque videtur cor hominis non eſſe in manu Dei. Quos Deus pro ſe elegit parentes remis, & velis ad curas domeſticas retrahere nituntur, & quos Deus nunquam vocavit, homines iſti omni vi impellunt, ut ad Deum ſe conferant. Et id maximè dolendum, quod tam præpoſteræ agendi rationis cauſa unica ſit avaritia. Non vultis, ut ſecundò genitus veſter nuptias contrahat, licèt illuc â Deo ſe deſtinatum credat, ne ſcilicet ſuccidatur res domeſtica. Et ubi Deus non vult, ut primogenitus veſter matrimonium ineat, ſed exeat de domo, & cognatione ſua, ut in probata religione ſanctam paupertatem voveat, æque parùm id vultis, quia ſic non augeretur domûs veſtræ patrimonium. Servire filios veſtros aris vultis, non ut Deo ſerviant, ſed ut reditus Eccleſiæ ſeu ſanguis Chriſti, & pauperum ejus luxui, ac vanitati veſtræ deſerviant. Petebat â Deo filium Anna uxor Elcanæ, non ut eum ſibi haberet, ſed ut illo obſequium Dei promoveret. *Si dederis ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* 1. Reg. 1. v. 11. vos autem ſi Deo filios veſtros dicatis, ita dicatis, ut

ab eo ditiores recipiatis. Quod filiis veſtris ſerviatis Eccleſiæ bene eſt, ſed ſinite, ut ii totos Eccleſiaſtico ſervitio ſe ſe mancipent, & non, ut per illos Eccleſia vobis deſerviat. Domino illos date, ut fideliter magno huic Domino ſerviant, non ut ii fiant magni Domini, quibus vos abutamini, imò ipſo Domino cæli ad negotia profana mundi. Quot, uti mater Zebedæi, filios ſuos Deo offerunt, ut magnæ dignitatis ſedes referant: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei.* Matth. 20. v. 21. Nuptui tradite eos, quibus nubere convenit, ſed in eo ſpectate conjugium, non peculium, Sacramentum, non mercimonium. In ſponſa quærite animum, non aurum, virtutem potiùs, quàm dotem, hæc non auget amorem mariti, ſed plerumque uxoris faſtum. In primo matrimonio, quod Deus propoſuit cæterorum exemplar, dos defecit, amor profecit. Evam duxerat Adam ſolis inſtructam dotibus animi, & primis hiſce conjugibus benedixit Dominus. Abraham juramento adegit ſervum filio ſuo quærere non divitem, ſed malis moribus haud vitiatam thori conſortem: *adjuro te per Deum cæli, & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum.* Gen. 24. v. 1. & hoc, quod præcipuè in conjugiis ſpectari deberet, nec attenditur quidem, ſed ſubin carò luitur. Permiſſus eſt Eſau, ducere uxorem ex filiabus Hethæis, & illicò dicitur: *Senuit Iſaac, & caligaverunt oculi ejus.* Gen. 27. v. 1. Nempe malæ hæ filii uxores adeò offenderunt patris animum, ut & graviſſimæ acciderent velut ſenectus, & jugem lacrymarum fontem exprimerent per oculorum caliginem indicatum. Conjugia ea Eſau contraxerat invito patre, & hæc ferè ſemper in tragœdias deſinunt. Extorto parentum conſenſu alienigenam Thamnathæam Samſon duxerat, & hæc virorum fortiſſimo facta eſt cauſa ruinæ. Judic. 14. 3. Inſcio patre Suem duxerat Judas, & ex hac tres filios genuit, unum altero nequiorem, omnes & ſingulos ob immunditias â Deo plexos. Gen. 39. Quod in ſe peccârat, in filiis emendare voluit Judas, ſedita emendavit, ut remedium fuerit ipſo ſuo peccato pejus. Nempe pro patria poteſtate nec fors requiſito filii conſenſu *dedit Judas uxorem primogenito ſuo.* Gen. 38. v. 8. Sed non propterea dedit ei amorem ad hanc uxorem. Hinc quod ſervire debebat in remedium, factum eſt ipſi in exitium. *Meliùs eſt nubere, quàm uri*, dixerat Paulus, ſed non ſemper uri deſinit, qui uxorem duxit, ſæpe hîc in portu naufragium; nec rarò hauriuntur aquæ, quæ ignem accendunt, non reſtinguunt. Tunc ſacra ſcriptura Her laſcivum dicit, cùm uxoratum dicit. Gen. 38. v. 6. Sinant proin parentes, ut quivis Adam, ſi ipſi in Domino ita videbitur, ſibi copulet ſuam Evam, ut habeat ſibi ſimilem, & in ea adjutorium ſuum, alias efficient, ut conjugio juncta quidem ſit Lia, adamata verò Rachel.

Idea

Idea LIX.

Educatio â primis incunabulis.

317. NUlla avis, quæ per aëra volitat, nidum humi conſtruit. Aquila quæ cæteris altiùs volat, etiam ſublimiùs nidificat: *Elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum.* Jobi 39. v. 7. Difficile, ſi non impoſſibile eſt, in flammis naſci, quod in nivis candores adoleſcere debet. Id intellexit ſapiens Samuélis parens, quæ filium Deo jam dicatum illicò templo ſtitit: *& adduxit eum ſecum, poſtquam ablactaverat.* 1. Reg. 1. v. 24. ſed cur tantùm feſtinat ad domum Dei cum parvulo Samuele Anna, niſi ut ab infantia aſſueſcat ſervire Deo, cui eum deſpondit omnibus diebus vitæ ejus. Vult ut ſolam artem calleat tractandi Divina, ſeu ad cultum Dei pertinentia, ùt quid ergò tempus terat in crepundiis mundi. A lacte ad aram transfertur, ibíque velut ſtatua conſiſtit, donec Dei ſpiritu animatus totus formetur magnus Samuel. Imò antequam Anna conciperet filium, jam ita ipſa vixit, prout ſubin vivendum filio, ut Nazarenus eſſet omni potu abſtinens, qui poſſet inebriare; nam nec ipſa ejusmodi bibit. 1. Reg. 1. v. 15. Moyſis ſoror ſe ſe obtulit filiæ Pharaonis: *vis, vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantem.* Exod. 2. v. 7. quo caveret, ne peſſimos Ægypti mores â nutrice Ægyptia cum lacte hauriret tantus olim futurus Iſraëlitici populi Dux, & Dei ſervus. Tam citò radicem figunt pravi animi motus, ut naſci nobiscum videantur, vel ê mammis exſugi. Quid fiet, ſi parentes filiam ê clauſtris extrahant, ut ad choreas mittant? vel ſubin deliciis mundi ſæginatam redire jubeant ad jejunia, & rigores monaſticos. Semel educatur ex arcæ anguſtiis in liberiorem auram Noëtica columba, ſi hinc in caveam ſuam redeat, invita redibit, quia non habet, ubi conſiſtat: *Quæ cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam, aqua enim erant ſuper univerſam terram.* Gen. 8. v. 9. Neceſſitas, quæ columbam in arcam compegit ante diluvium, etiam poſt iſtud redire coëgit: hanc tolle, nec porrò ſe in ligneam eam domum columba recipiet. Sed quid mirum, filiam tuam non libenter pergere ad ſolitudinem, ſi educâſti jugiter inter ſæculi hujus ſtrepitum. Difficulter ex deliciis ad pietatis, & mortificationis exercitia illam deduces, vel ê palatiis, & viridariis reductam quatuor parietum carceri includes. Quomodo vis, ut illa ſolius Jeſu amore langueat, quæ nihil toto ſuæ vitæ tempore audivit, niſi perverſos ſui amatores? an caſti-

tatis liliis se se coronabit, quæ in puellarum coronis nihil vidit nisi Adonidis flores.

318. Omnia Deus potest, sed non omnia vult, quæ potest. Quando sua divisit hominibus dona, *uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum: unicuique secundùm propriam virtutem.* Matth. 25. v. 15. *pro viribus accipientium.* Glossa Interlinearis: seu pro ratione inclinationis hominum. Hinc Sanctus Jacobus de gratia Divinæ vocationis agens dicit: *susscipite insitum verbum.* Jacob. 1. v. 21. Amat enim Dominus quoque proportiones, qui optimus Geometra fecit omnia in numero, pondere, & mensura; plerumque vult, ut naturæ commensuretur gratia. Potest quidem ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, spinas convertere in lilia, ex lupo facere pastorem, ex corvo columbam, ex Saulo Paulum, sed hoc ipsum in linea quoque prodigiorum est prodigiosum quid. Non benè inscribitur titulus Angeli, vel filii Dei tabulæ dæmonem vivis coloribus actionum profanarum exhibenti. Maximo doloris sensu repletum est cor Jesu in cruce morientis, quando velut ultimam pœnarum suarum per os Prophetæ istam annunciavit: *Et super vestem meam miserunt sortem.* Psalm. 21. v. 19. Nisi aliud hic mysterium lateat, haud facilè quis dispiciat, cur tantum ex hac sortitione vestium doloris conceperit Servator! nunquid ægrè tunicam suam quis cedat carnificibus, qui lubenti animo totum suum corpus ipsis tradit excarnificandum? at verò si perpendatur mysterium, res hæc intolerabilis videbitur. Nam lictor cui sorte obtingeret vestis in consutilis, ea subin indui poterat, ac extrinsecus apparere Christus, & Filius Dei, qui interius erat scelestissimus homo, & pejor filio diaboli. Non petit Deus ea, quæ alteri sunt inscripta: *Reddite ergò quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Matth. 22. v. 21. Damnat Evangelista Lucas ignorantiam Petri in Thabore sua manu volenti ternas domunculas ædificare: *Si vis faciamus hîc tria tabernacula.* Matth. 17. v. 4. bonam enim hanc Petri voluntatem sanctus Lucas ita arguit: *nesciens quid diceret.* cap. 9. v. 33. Sed in quo denique suam hic insciam ostendit Petrus, nisi quòd ipse arte piscator architectum agere prætenderit, & cùm debuisset cogitare de reficiendis retibus, ideas moliretur in construendis aris, & tabernaculis. Hærere adhuc memori animo hominis poterant Servatoris verba, quibus piscatorem opificio sua vocatione ad nobiliorem piscatum transtulerat: *Erant enim piscatores, & ait illis: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4. v. 19. Nempe naturam Christus confortavit gratiâ, & laborem piscandi, in quo Petrus jam obcalluerat, vocatione sua Dominus reddidit suaviorem. Si â reti illicò traduxisset ad Pedum, ê navi ad ovile, & â piscatura ad Pastoris officium, fortè Petrus relictis omnibus non esset

illico

illicò ſecutus Chriſtum, reſponſurus id Chriſto, quod olim Sauli David: *non poſſum ſic incedere.* 1. Reg. 17. v. 39. Saul nempe armis ſuis Davidem induerat, utì militem, imò ductorem militiæ, ſed iis nihil ſe profecturum videbat contra hoſtem prævalidum, quippe qui ſic armatus ne quidem ſe poterat movere. Cur autem non potuit ſic incedere David, cùm iis armis inceſſerint Saul, & fors etiam alii, qui aleam tentare parabant contra Philiſtæum Gigantem. Quid quid ſit de aliis, nova res ea erat Davidi, ſic ipſe progredi non valet, quia uſum non habet: â puero ſubuculam pelliceam induerat, non jam ferre poteſt loricam ferream. Paſtoris pecudum munus ſemper geſſerat peræ, baculo, & fundæ aſſuetus, quomodò jam lanceam, vel gladium dextrè vibrabit. *Non poſſum, quia non uſum habeo*, faceſſant iſta, in funda, & baculo, & in nomine Domini exercituum victor evadam.

319. Infelicitas omnis generis humani inde ortum traxit, quòd Eva præpoſterè uſa ſit oculis. Viderat vetitum pomum ad lumen tentatoris diaboli transfigurantis ſe in angelum lucis, & oculos ſuos etiam ſaporis ſibi ignoti indices adhibuit: *vidit, quòd eſſet bonum lignum ad veſcendum.* Geneſ. 3. v. 6. Quid ineptiùs, cæcus indicat de colore, ſi viſus judicium ferre audeat de ſapore. Aquileges undas longiùs deducturi non ex valle, ſed monte derivant, aliàs ſeriùs, aut citiùs aqua refluet, unde fluere cæpit. Expergefacta ad vocem Ezechielis campi oſſa arida ſe ſe magno impetu commovent, unúmque alteri illicò jungitur: *Et ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa unumquodque ad juncturam ſuam.* Ezech. 37. v. 7. Additque Dominus: *Oſſa hæc univerſa domus Iſraël.* v. 11. Sic nempe fit in omnibus. Educationis malæ inveteratam conſuetudinem ad tempus ſopite, valet ſolatium unde unde adveniens; at ubi brevis hic ſomnus diſcuſſus eſt, in idem recidet. Caput aſſuetum regimini quamcunque ſibi vim intulerit difficillimè manum dabit obedientiæ, aut pedem obſequio. Os ſuo locô motum nunquam non dolet, ubicunque conſiſtat, niſi redierit ad juncturam ſuam. Non petit Chriſtus, ut vetus homo in novum tranſeat, ſed ut renaſcatur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto non poteſt introire, in regnum Dei.* Joan. 3. v. 5. Nempe ſapientia æterna faciliùs cenſuit mori ac renaſci, quàm exuere veterem hominem, & novum induere. Et cæcus hodierni ſæculi ſtylus cenſebit, poſſe in nictu oculi mores ex aſſe mundanos transformari in angelicam indolem. Invitatus ille ad cænam, ut ut multum dixerit, verum tamen dixit inquiens: *uxorem duxi, & ideò non poſſum venire.* Cum fœminis agere etiam tunc cum licitè agis, ſi non impoſſibile, certè difficillimum reddit, ritè agere cum Deo.

Quomodò ergò, qui collo tenus immerſus eſt rebus mundanis ex ſtapede ſe reſolvet, totum ſe vertere ad cæleſtia.

Quando

320. Quando Deus Moſen ad ſe vocavit, rubum ipſi oſtendit incombuſtibilem. *Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur*, Exod. 3. v. 2. Docere ſui populi ductorem voluit, in educendis Iſraëlitis de Ægypto nunquam defuturas flammas perſecutionum, & ſpinas tribulationum, quas tamen ipſe irretorto vultu debebat aſpicere; atque ut ejusmodi imperterritus ferret, oſtendit ipſi virgam illam prodigioſam dominii ſibi traditi inſigne, ſed ut etiam eam intueretur non tanquam ſceptrum, nec ùt aurum, & florem, ſed ùt ſerpentem viſu horridum: *projecit, & verſa eſt in colubrum*. Exod. 4. v. 3. Nec Iſaiæ labia ſacrata ſunt ad annuntiandum gentibus verbum Domini dulcibus violis, aut apum favis, ſed ignitis carbonibus, quos ne quidem contingere auſa eſt Seraphica manus: *Et volavit ad me unus de Seraphin, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*. Iſai. 6. v. 6. Prima viſio Jeremiæ non multùm grata oculis: *virgam vigilantem*, dicit ipſe, *ego video*. cap. 1. v. 11. Neque altera gratior acciderit palato, ait enim: *Ollam ſuccenſam ego video*. v. 13. Prudenter Samuelis parentes *immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum*. 1. Reg. 1. v. 24. Antequam enim placidum Deo Sacrificium in filio Majeſtati Divinæ offeras, quid quid in eo vitioſum, aut voluptuoſum eſt, antè, oportet, reſcindas. Non enim domum Dei quis ingreditur, ut ibi mundi deliciis paſcatur, ſed ut divino ſervitio totum ſe mancipet, & terrenis affectibus liber cœleſtia unicè anhelet. Hîc non decet roſis ſe coronare, ſed ſpinis, non ambulare ſecundùm veterem hominem, ſed renovari ſpiritu, & Deo ſe crucis victimam offerre in odorem ſuavitatis. *Et malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur*. 3. Reg. 6. v. 7. Non omnia contundenda in templo Domini, in campis Babyloniæ complanari debent aſperiora. Stulta fuit Abſalonis temeritas ad prælium ſine galea, & loricâ deſcendentis, ſi illam geſſiſſet, capillis non adhæſiſſet quercui; ſi iſtâ pectus obarmâſſet Joabi lanceæ non fuiſſent ejus cordi infixæ. Periit inconſultus juvenis, quia fatalem ictum non prævenit. Multi occurrunt in foris, & theatris, qui ſolùm ſpectari deberent in aris, & templis. Omnis perverſæ rationis cauſa huc recidit, quia cum ab unguiculis educari debuiſſent in Eccleſiis, adoleverunt in vanis ac profanis ſpectaculis. Incuriæ noſtræ corrigendæ ſerviat Regis Babylonici induſtria in pubis ſelectæ educatione. Unà ii vivere debebant, velut in bonarum artium Gymnaſio, quo Rex ipſe *doceret eos literas, & linguam Chaldæorum*. Dan. 1. v. 3. Ut inde olim eos educeret *eruditos omni ſapientiâ, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ*. Sic egregios aulæ ſuæ proceres obtinebat Monarcha Chaldæus; ſic creari deberent ab adoleſcentia ſupremo cœli, terræque Domino dicandi miniſtri. Hæ erant choreæ, hi ſaltus, ludi, & ſpecta-

ſpectacula Epheborum ſelectorum Babyloniæ ! Inter noſtros cultui Numinis jam â cunis addictos plerique vix prætextam ponunt, & jam in ſluſibus, popinis, comœdiis, ac pompis vanis ſunt toti, omnia ſciunt, quæ mundum, & fortè etiam Matrem Cypriam olent; omnia ea ignorant, quæ ſpiritum ſapiunt, nec bonis literis exculti ſunt, nec inſtructi ſacris templorum ritibus, nec loqui, multò minùs cantare ſciunt ſtylo curiæ Hierarchicæ. Quid ergò mirum, ſi ejusmodi homines in Eccleſia Dei non fiant vaſa gloriæ, ſed contumeliæ.

321. Qui venenatam arborem rigat, perperam queritur, florere noxiam plantam, ac halitu ſuo aëra inficere? Qui in carne ſeminat, de carne etiam metet: neque ex ſpinis, & tribulis uvas colliges. Fors ſole veſtietur mulier Apocalyptica, niſi tamen & lunam conculcet ſeu ſub lunaria, non decorabitur coronâ ſtellarum. Nempe eſſe debet *mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus*, ut coronari mereatur, ac audire, *& in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Apoc. 12. v. 1. In quem finem, rogabat ille, pigmentis uteretur cæci uxor? & cur filia tua, quæ ſoli virginum Sponſo placere debet, faciem calamiſtrat? oculos, labia, capillos, manus ſtudiosè compoſitas odit Magdalena, ubi ſolum Jeſum amat. *Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecùs pedes Domini, lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Luc. 7. v. 38. Duo lacrymarum fontes in oculis, facies humi demiſſa, labia, & capilli pedibus Chriſti adſtricti, cor in doloris Vulcanum, & oceanum amoris converſum ornatus eſt, in quem Deus oculos vertat. Reliquum mundi muliebris aditum quidem inveniet in regiis ædibus, non in palatio Regis Regum: *Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, in domibus regum ſunt.* Luc. 7. v. 25. Ad quid vanus iſte apparatus, ubi Paſſio Domini in Miſſæ ſacrificio recolitur, niſi ut rurſus patiatur Chriſtus? Heraclius Orientis erat Imperator, non monachus, & tamen crucis trabem â Perſis receptam Calvariæ inferre non potuit majeſtatis trabeâ indutus. Brev. die 14. Septemb. Mortuo Chriſto cœlum, & terra ocyùs parentârunt: *Tenebræ factæ ſunt in univerſam terram usque in horam nonam, & obſcuratus eſt ſol.* Luc. 23. v. 44. Et erit, qui mortis dominicæ memoriam veſte jucunditatis, & liliis, & inauribus, & dextrariolis, & ornamentis omnibus lapillorum lucidorum plena celebrare velit. Magis ſæpe videntium oculos adamas annulo incluſus perſtringit, quàm ſol in cœlis lucens, nec facilè cor alta ſapientis obtutus defiget in crucem. Æquè difficilè Chriſtus pendens ê cruce reſpiciet faſtum ſe ſe adorantis, certè Seniores illi proſtrati ante thronum Agni diademata ſua ſunt coacti deponere: *Et adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum.* Apoc. 4. v. 10. Non enim bene conveniunt, nec una ſede morantur modeſtia adorantis, & vanitas

nitas coruſcantis, ne plùs offendat ſplendor, quàm conciliet veneratio. Peccat Iſraëlis populus fidem ſuam contaminando vituli cultu: *Audiens autem*, id eſt populus, *ſermonem hunc peſſimum: non enim aſcendam tecum in terram* (ſcilicet promiſſionis) *luxit.* Exod. 33. v. 4. Sed ad has lacrymas non movetur Dominus, quantùm enim illæ inflectunt ad miſericordiam, tantùm vanus populi ornatus Deum incitat ad vindictam. Hinc jubet Dominus: *Jam nunc depone ornatum tuum, ut ſciam, quid faciam tibi.* v. 5. Hæ ſiquidem pretioſæ veſtes, hic gemmarum fulgor pœnitentem omninò dedecent; qui vult veniam, togam abjiciat ſplendidam, in cinere, & cilicio compareat habens peccatum, qui cupit Deum ſibi placatum. Depone ergò ornatum, ut ſciam, quid faciam tibi, ubi Lyra vertit: *ſi te videro humiliatum.* A Lapide in Chaldæo legit, *depone arma bellica*, cùm ſcilicet pacem depoſcis. Sed quæ bella veſtium & gemmarum inferat ornatus? primò diviſionem infert cordis, ne totum Deo cedat: Dein licèt ſanctitatem non aufferat, humilitatem tamen expugnat; dúmque vanitate ſua captivos tenet oculos, lacrymarum, quæ â pœnitente fundi deberent, exſiccat imbres. Ecce hîc quantùm adverſetur fallax hic veſtium ſplendor, veræ, quæ loco ornatûs ſaccum induere jubetur, ad cor redeuntium pœnitentiæ. Notant Patres fuiſſe ſplendidas eas Iſraëlitarum veſtes in eum finem aſſumptas, ut promulgandæ ſcriptæ legis ſolennitati decentiùs aſſiſterent: quid facere debuiſſent, ſi in offenſam ejusdem legis, vel in idololatriæ vitulinæ pompam fuiſſent adhibitæ? nempe fuiſſent factæ in laqueum, uti Tyriorum Regi, teſte Ezechiele, contigit: *omnis lapis pretioſus operimentum tuum*, cap. 28. v. 13. id eſt, ùt vertit Aquila: *omnis lapis pretioſus vinctio, & conſtrictio tua.* Rex infelix, gemmæ hæ tuæ ſunt catenæ, ſi caput ornant, pedem onerant, illis tu nimium quantum gloriaris, téque ſuperbè extollis, & æquè vel magìs ob eas ipſas deprimeris. Etiam mulier illa Apocalyptica non habet, quod lætetur in amictu ſuo, quantumvis ſidereo, licèt enim *amicta ſole*, lunam calcet, & ſtellis cinctum oſtendat caput, diſcrimen tamen imminet â dracone magno rufo, *qui ſtetit ante mulierem*, útque victoriam obtineret, *fugit in ſolitudinem.* Apoc. 12. v. 1. 3. 4. Et quidem ornatus hic erat cœleſtis, veſtis, quæ tegebat, *amicta ſole*, quid iis ornatibus fiet, qui retegunt magìs, quàm tegant, denudant potiùs, quàm nuda colli protegant? Et mulieri ſic comptæ draco deſit, qui poſtquam iſta infecerit alios, ipſa conficiatur? ſolitudo ſola proderit, ne ſcilicet videat, aut videatur, ne inviſa vanitate vel capiat, vel capiatur.

Sed mulier, quæ foras prodit, ut 322.
aſpiciat, amatque ab obviis aſpici, rarò redibit, qualis exierat. Pudica, virgo, filia Jacobo digna egreſſa eſt Dinna, *ut videret mulieres regionis illius.*

illius. Gen. 34. v. 1. Et visa est ab oculo, quo videri non debuerat, Sichemo Principi placuit, & ita placuit, ut sibi ipsi Dinna displicere debuerit mulier jam maximo suo destituta ornatu remissa in patris tentorium. Dicit sacer textus, quod filii Dei viderint filias hominum, non verò quòd filiæ hominum viderint filios Dei: *Videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ.* Hebræus legit, *quod essent bonæ.* Gen. 6. v. 12. Sed ex pulchritudine non æquo visâ oculo orta turpitudo, & ex bonitate malitia; nam nec ipsæ porrò remansêre bonæ, nec ipsi amplius jure dici meruêre filii Dei, adeò contaminati sunt in viis suis, ut vel diluvio fuerit opus ad eluendas eorum maculas. Nescio, quales, & qua viâ redierint fatuæ illæ virgines quæ ad emendum oleum abierant: *Dum autem irent emere.* Matth. 25. v. 10. Scio tamen, quòd reduces nec fuerint audite â Sponso, nec etiam admissæ. Dum enim ad portam clamarent, responsum est illis: *nescio vos.* v. 12. *& clausa est janua.* v. 10. Infelix comitis Juliani filia, quod incautè Roderico Regi Hispaniarum se non satìs decenter vestitam exhibuerit, se, & vastum illud regnum perdidit. Ita enim Mariana in rebus Hispan.: *Cùm aliqua ex parte nudâsset pectus Cava Juliani comitis filia, Regis animum ex fenestra respicientis succendit ad stuprum.* Nihil culpæ in flore, quòd elegans sit; hæc tamen elegantia exitii causa, dum manum aspicientis invitat, ut florem carpat. Formositas Susannæ innocua, ea tamen in ultimum penè discrimen honestissimam vel invita matronam conjecit: Senes enim, qui videbant *exarserunt in concupiscentiam ejus.* Dan. 13. v. 8. Hinc jubet divus Paulus mulieres velato capite templa ingredi: *Ideò debet mulier habere potestatem* (id est velamen) *super caput propter Angelos.* 1. Cor. 11. v. 10. Et quidem tale velamen, quod, dum tegit, non nudet, & tum protegit, non prostituat honestatem. Hinc ejusmodi cribri instar perforatis & subtilioribus velis utentes egregiè cribrat Tertullianus vocans illas *nundinatrices pudicitiæ.* de veland. virgin. cap. 2. & cap. 12. Jussi autem sui causam allegat Apostolus ipsos *Angelos*, qui olim testes erunt puritatis, vel lasciviæ earum, ùt censet Chrysostomus, vel prout visum est divo Ambrosio propter sacerdotes, qui licèt dignitate sint Angeli, naturâ tamen sunt homines, qui humanum quid pati possent, si, quod nec velle, nec amare vel possunt, vel debent, fors incautè viderent. Judithæ sandalia curiosiùs ab Holoferne aspecta hominem dementârunt, ut cum victoria, quam jam tenebat manibus, etiam vitam amitteret. *Sandalia rapuerunt oculos ejus.* Judic. 16. v. 11. Quot filii Israël Madianitarum victores periêre ob filias, & uxores eorum! Num. 25. Cúmque *armis vincerent, oculis labebantur.* Basil. Seleuc. orat. 66. Quid Samsoni oculos eruit, nisi malè visa mulier? *Hanc mihi accipe,*

quia placuit oculis meis. Judic. 15. v. 14. Honestati fortè Putipharis uxor studuerat, donec aspiceret impudicè castissimum juvenem Hebræum: *Injecit oculos in Joseph, & ait.* Gen. 39. v. 7. Sed hic, quia nunquam curiosè in eam fixerat obtutum, vicit. Hinc Sanctus Augustinus: *qui non capitur oculis, potest verbis resistere.* Serm. de Joseph. & Domina. Sanctus Ambrosius verò: *Non quidem vidisse crimen est, sed cavendum, ne origo sit criminis.* L. 1. de pœnit. Rarò vir mulierem aspicit, quin noxii ignis quidpiam concipiat: *Uritque videndo fœmina*, canit Virgilius Georg. 3. Lamentatur Jeremias: *Oculus meus depradatus est animam meam.* Thren. 3. v. 51. Hinc in lege: *si quis in servitute decretum*, Seleuci commendatur jubentis adulteris oculos erui, cùm hi sceleris fuerint auctores: *Si inspicienda est origo delicti, & causa faciendi quari debet, non factum benefeciſſe dicemus locrensium legislatorem, qui oculos erui adulteris lege sancivit.* Bene proin Tertullianus loco supra citato: *Ejusdem libidinis est videri, & videre, tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si â viro visa sit.* Perstringítque morem illum parentum, qui filias suas virgines dicunt, dum tamen crebriùs in foris & theatris obviorum oculis sistendo ipsi prostituant. Virginem meritò celebres, si talis fuerit, qualem Sulpitius producit. *O virginem glorioſam, quæ nec â Martino quidem passa est se videri.* in vita Beati Martini. Et tamen Sancti Episcopi oculi erant duo fontes salientis aquæ in vitam æternam, ejásque aspectus amore Dei replebat pectora. Et vos parentes in mercatum proferetis, quod nec licet, nec decet vendere? Lilium inter spinas claustri vix illibatum consistit, & vos niveum candorem servari posse in vicis, & compitis credetis? fragilitas ipsa naturæ filiam tuam impellit in lapsum, & tu inconsulta mater impulsum addis. Sit virginem tuam statuam esse marmoream potiùs, quàm fænum, aut stupam, scito tamen face admota etiam saxum frigidum incalescere, & si non ardeat lapis Parius inficitur tamen, & maculatur fuligine ignis.

Idea LX.

Esse sine Jesu tormentum, esse cum Jesu gaudium.

323. JAm serus vesper teste Sancto Marco Cap. 8. advenerat, & maris fluctibus jactabatur discipulorum Christi navicula: sudabant illi laborantes remis, & contis, dum venti summo impete quassabant cymbam. Cœlum noctis horrore, aut caligine plenum, maris fluctus spumantes utrumque feriebant latus, metúque territi remiges undarum, ac ventorum fiunt ludibrium, & vitæ amittendæ proximum dolent incurrisse periculum. Sed unde Apostolorum naviculæ tantum infortunium? quia nempe Jesus non aderat, tunc temporis â discipulis suis sejunctus, ac in continente existens: *Et Jesus solus in terra*, ùt dicit Evangelista v. 48. Ubi Jesus abest, aderunt illicò tempestates, labores, venti, pericula, mare fiet arena pugnarum, aër commotus, & decumani fluctus intentabunt naufragia, carbasorum auxilium vertetur in discrimen, &, qui in navi versantur, condemnatos se videbunt ad transtra. Sponsa canticorum dixerat: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni.* Cant. 3. v. 1. Et cur *per noctes*? an non aliàs quæsierat plenissimo die, cùm dixit: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Cant. 1. v. 6. Sed nox erat, quando sponsus deerat; si sol hic non luceat, tenebræ operient terram necesse est & caligo populos. Et non tantùm nox erat una, sed multiplex, *per noctes*, nox aurora, nox meridies, nox omnis diei hora, & quidem sine sole isto nox mala, & amara valde, plena angustiarum, & doloris, plena laboris, & caliginis! sed ubi solem suum quærit hæc sponsa: *in lectulo meo* dicit ipsa, quare non in aulis, in oratoriis, in ambulacris, in hortis? sed neque hic invenit, quæ quæsivit, & non invenit, quæsivit intra, & extra domum, non ùt aliæ, quæ quærunt procul, & coràm nunquam satis inspiciunt. Mulier illa, quæ drachmam amiserat, *everrit domum.* Luc. 15. v. 8. Ut rursus inveniat; & non excusserit sponsa omnem angulum, ut dilecti aspectu iterum potiatur? cur ergò dicit solùm: *quæsivi in lectulo meo*, sed qualis iste lectus? Oliva strom. 6. *Lectulum interpretor doloris, & stratum ægritudinis.* pag. 529. Si hic est cujusvis lectus, quilibet hunc tollere debet juxta illud paralytico dictum â Christo: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Marc. 2. v. 9. Et clariùs dictum

ctum omnibus: *Tollat crucem ſuam.* Matth. 16. v. 24. Hîc vivimus, hîc jacemus, hîc ſinguli morimur in lecto crucis: donec enim habeamus Deum, neque in quiete habemus ſolatium, in lecto ipſo invenimus crucem, & in otio noſtro gravamen. Totum hoc quæſivit ſponſa, ſed totum in lectulo ſuo, ſeu in dolore ſuo. In palatii ſingulis angulis ea indagabat ſponſum, & in lectulo ſolum ſe quæſiſſe dicit, nam dum non invenit, dum non tenet, quem diligit, in omnibus afflictionem, & cruciatum reperit. Sed nunquid ipſamet dixerat: *Lectulus noſter floridus.* Cant. 1. v. 16. Ita ſanè, ſed tunc floridus, cum apud ſe habet Jeſum Nazarenum. Noſter ergò lectulus floridus, ſed meus ſpinis obſeptus. Omnia pungunt, ubi ille abeſt, omnia florum inſtar recreant, cùm adeſt. Etiam rubus ut ut in medio flammarum poſitus rorem ſuaviſſimum dabit, ubi in rubo Deus ſe ſpectandum dabit: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio rubi... vadam & videbo viſionem hanc magnam.* Exod. 3. v. 2. & 3.

324 Sic prælaudata ſponſa edoceri petebat â dilecto ſuo: *indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Cant. 1. v. 6. & cur id? *ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Sciebat enim deficiente lumine hoc meridiano, quocunque ierit, in tenebris ſe ambulaturam. Noverat dulcedines fallaces ſe inter omnes creaturas inventuram, & veſtigia gregum potiùs quàm paſtorum ſecuturam. Nempe hîc non datur medium, aut inveniendus Chriſtus, aut laborandum in vanum, & iis cæcè inſiſtendum, qui errantis inſtar gregis â Deo aberrant. Si Jeſum non ſequeris, ſtulto labore conſumeris poſt veſtigia mundi, & inſanias falſas curendo, quidcunque demum curſu hoc comprehendas, nihil erit niſi vanitas, & afflictio ſpiritûs. Fugit Jonas â facie Domini, & naulum carò ſolvit, ut poſſit fugere, & ire in Tharſis, quod interpretatur *contemplatio gaudii*, & ideò ſolvit, ut vultui Divino ſe poſſit ſubtrahere: *ut iret cum eis in Tharſis â facie Domini.* cap. 1. v. 3. Miſer, ac infelix Propheta! â Deo fugis, & hoc ipſum pecunia pacta licitaris? nempe tibi ipſi malum paras peſſimum, vis, ut in tua conjurent carbaſa venti, ut maris fluctibus opprimâre? quid enim boni ſperet, qui â ſummo bono recedit? ut ut ſopore gravi demerſus videatur velle declinare ſui pavoris, & periculi ſenſum, brevì tamen ventorum, ac fluctuum ſtrepitu ſe ſe expergefactum ſentiet ad agnoſcenda mala, quæ undique ingruunt, donec fateatur peſſimi ſui conſilii culpam, & in mare projectus in vivum monſtri marini tumulum decidat, ibique carcerem inveniat quavis morte duriorem, atque etiam ejectus in littus poſt naufragium infortunia nova, & poſt ſepulchrum aliam mortem incurrat. En quid lucretur inconſulta à facie Domini fuga, & fœdifraga â divinis mandatis deviatio.

Erravi ſicut ovis quæ periit exclamat 325. David

David Psalm. 118. v. 176. & ita erravi declinando â semitis Domini, ut in viam redire nequeam, nisi ipse retraxerit; hinc addit: *quære servum tuum.* Fuit nempe errans David oviculæ Evangelicæ simillimus, quam post magnos labores vix iterum recepit Pastor Divinus, & tot onustam malis recepit, ut porrò nec pedem movere posset, *multum enim*, ut Tertullianus ait, *errando laboraverat*, necesse fuit inerti hoc pondere pastorales gravare scapulas, quò ad caulam suam rediret: *imponit eum in humeros suos.* Expertus id ipsum filius prodigus quàm citò evanuêre ex oculis picta gaudia, ac in fel, & absynthium versæ sunt somniatæ deliciæ! vix se subducit paterno aspectui, cùm omnium se egenum videt, & mortis angustiis jam oppressum: *ego autem hîc fame pereo*, ubi interea *in domo patris sui*, vel mercenarii abundant panibus. Ubi notanda antithesis, quæ tam indigum juvenem adhuc cruciârit magis, *hîc* nempè, quo illum insanus libertatis amor â suo patre amantissimo procul reduxerat, *& in domo patris*, ubi eum bonis omnibus affluentem providentia constituerat, *in domo patris* etiam famulis cibaria suppetunt, quibus ventrem impleant, hîc ubi etiam siliquæ desunt, quibus filius mortalis famis latratus compescat. Expertus est Cain, quando totius mundi Dominus, ubi â summo Domino recessit, ab omni terra exilium metuit: *Ecce ejicis me hodie â facie terræ, & â facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra.* Genes. 4. v. 14. Hoc deplorabant ambæ Lazari sorores Martha, & Maria, cùm dixêre Christo: *Domine si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.* Joan. 11. v. 21. & 23. Ecce Domine, quem diligebas, obiit, quia â te abiit. Quomodò mortem non incurreret, qui apud se vitam non habebat? quomodò non periret, qui te absente nihil boni retinebat? Scio equidem nunquam Christo defuisse, nec potuisse deesse Deum, id tamen etiam scio, quòd nostri causâ extremùm tristis exclamârit: *Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Matth. 27. v. 46. Quasi verò tot mala non potuissent opprimere Dei filium cum morte luctantem, nisi saltem ad apparentiam â Deo suo videretur derelictus, sed si tot mala obruunt, ubi solùm umbra invenitur absentiæ Divinæ, quot, & quanta prement, atque hominem undique inundabunt, quem Deus reverà deseruit! Nempe *omnes qui te derelinquunt.* ùt Jeremias ait cap. 17. v. 13. *confundentur, recedentes â te in terra scribentur*, seu delebuntur de libro vitæ æternæ, ut crucientur jugi morte flammarum averni. Lege glossam hîc. Ita contigit miseris illis ad cænam magnam â Deo vocatis; obverterunt prætensis frivolis excusationibus Deo dorsum, ne recederent â divitiis, & deliciis suis, nec ullus eorum hujus vitæ effugit miserias, aut unquam obtinuit æternæ lætitias: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Luc. 14. v. 24. Sic Deus, qui Jesum susceperunt, filiatione sua di-

dignatur: *quotquot autem susceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Joan. 1. v. 12. Eos autem qui filium suum habere noluerunt, in mala hac voluntate Deus obfirmavit, ut carerent omni bono, *& sui eum non recepe-runt.* ibid. v. 11. Sic etiam postquam mille mala populo suo minatus est Dominus, ultimo loco velut maximum malum istud addit: *sed & væ eis, cùm recessero ab eis.* Os. 9. v. 12.

Idea LXI.

Extra Deum nulla felicitas, in Deo omnis.

326. UT in maximis annonæ angustiis tutum redderet Isaacum Deus ab ingruente fame, quæ orta erat super terram, non tantùm panem, sed & circumsitas regiones Dominio ejus adjiciendas promisit, útque promissi amplissimi pignus haberet, Isaaco dixit: *eróque tecum.* Genes. 26. v. 2. Nempe cum quo Deus est, nihil illi deesse potest, non oberit sterilitas terræ, ubi adest ille, qui dat escam in tempore opportuno, cùm verò idem Dominus servo suo Moysi indicâsset flagella ingrato suo populo olim obventura, adjecit: *& invenient eum omnia mala, & afflictiones*, ita, ut ne unum quidem sit defuturum, & ut ipse populus dicturus sit: *verè quia Deus non est mecum, invenerunt me hæc mala.* Deut. 31. v. 17. quando autem ista Moyses à Deo intellexit, stabat populus in limine regionis fertilissimæ, quam paulo post possidendam ipsi tradebat Deus, mala nempe superventura erant *in terra, quam ingreditur, ut habitet in ea.* v. 16. Ecce unde hominis felicitas proveniat! unde oriatur infelicitas, atque adeò defectus felicitatis! si Isaac Deo dives est, omnia possidet etiam in tellure sterili, atque omnium inope: *eróque tecum*, túque eris præ omnibus felix, omnes tibi sortem beatam invidebunt; si populus cum veritate dicere possit: *Deus non est mecum*, etiam terram *lacte & melle manantem* ingressus infelix erit, neque ipsi ulla proderit telluris abundantia, quin omnibus careat, & vel maximos suos hostes ad misericordiam moveat. En Petri navicula tota jactatur fluctibus, & periculis, dum Dominus abest, vix illam conscendit Jesus: *cessavit ventus, & facta est tranquilitas magna.* Frustrá sine Deo sortem tibi propitiam, aut cœlum fausto sidere allucere speras. Jesum septem stellis instructum dilectus discipulus Joannes viderat, velut cuilibet hebdomadæ

domadæ diei ſingulæ præeſſent; nempe totius vitæ proſpera omnia in ſua manu habet Deus: *& habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Apoc. 1. v. 16. ut ſcilicet intelligeremus, nihil nobis obventurum felicitatis, ac ſortis ſecundæ extra Dei dextram.

327. Habeat Rex David ad latus Joabum egregium ducem, qui ſuo nomine urbes expugnet, trophæa referat de hoſtibus, in ſuum obſequium trahat omnem populum Iſraël, & ubi interrogandum os Domini, Sacerdos Abiathar ſibi fideliter aſſiſtat, David ipſe ubique ſit loco decem millium, quos uno ictu in Goliatho proſtravit. Si Deum ê partibus ſuis ſtantem non habeat, nihil habet. Itaque ipſemet agnoſcit, cùm ob peccata ſua ſe derelictum videns quaſi in ſe armat inimicos ſuos: *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat.* Pſal. 70. v. 11. Licèt totus mundus pugnet pro David, non erit, qui eripiat, niſi Deus eripuerit. Hinc, ut manus ſe perſequentium evadat, non petit armatas acies, ſed præſentiam Dei: *Deus ne elongeris â me.* v. 12. Quid prodeſt fædus inter quatuor Reges ictum, ſi etiam victores eorum exercitus ſuo vernarum trecentorum & octodecim manipulo Abrahamus fundit; nam ùt ſummus Sacerdos Melchiſedech dixit: *Benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt.* Geneſ. 14. v. 20. Ubicunque Deus protegit, victoria nunquam exulat. Ad quid Siſaræ deſervièrę triumphi, aut Laureæ coronæ Holoferni, ſi imbecillis Deboræ, ac Judithæ manus Dei roborata auxilio ſpolia de his gloriis legit, & in cypreſſos trophæa vertit? nempe *de cælo dimicatum eſt contra eos.* Judic. 5. v. 20. *Laudate Dominum Deum noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe.* Judic. 13. v. 17. Nulla videbatur firmiori nixa baſi felicitas, quàm Ammani, ſed nulla faciliùs, & altiùs corruit. Deus ſolus ex terræ pulvere componit ſtellas cæli: *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam.* Geneſ. 27. v. 17. Neque Scalam invenit Jacob, quæ ad petenda ê cœlo auxilia conduceret meliùs, quàm cui *Dominum innixum* vidit. Geneſ. 28. v. 13. Sic intelligimus, cur Jeſus, cùm patrem ſuum cæleſtem invocat, ut ſuos tutetur, illum non vocet *Deum, aut fortem: Pater ſancte ſerva eos.* Joan. 17. v. 11. Nos cùm adjutorio opus, fortitudinem potentiam, valorem inclamamus: at Jeſus, qui rem meliùs callet, ſanctum invocat, quia ubi etiam omnia ſumma, ad vincendum plùs confert ſanctitas, ac cætera omnia. Sic beati illi ſpiritus, quem exercituum Dominum prædicant, ter ſanctum venerantur: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Iſai. 6 v. 3. Velut dicerent, ex ſanctitate infinita optimè inferri fortitudinem pariter infinitam, ac valorem ſummum gloriâ replentem omnia regna terræ. Angeli autem illi, de quibus Pſaltes Regius Pſ. 23. licèt audiant: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* v. 8. Non tamen Dominum

gloriæ illum agnoſcunt, donec audierint: *Dominus virtutum*, hîc enim ſtatim & ipſi condicunt: *ipſe eſt Rex gloriæ* v. 10.

328. Solus nempe Deus felicitatum fons, & Scaturigo perennis, in quo ſemper habes, quod haurias. Deum qui habet omnia habet: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, inquit David Pſ. 22. v. 1. Interrogat diſcipulos Chriſtus: *quando miſi vos ſine Sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis, & illi dixerunt nihil.* Luc. 22. v. 35. Mirabile hoc, dum ea ipſa deſunt, quæ â Chriſto itinerantibus non fuerant ſubminiſtrata, quomodo hi reſpondent, defuiſſe nihil? ſed Deum habebant viæ comitem, & in eo habebant omnia, quibus in ea peregrinatione habebant opus. Nulla deeſt felicitas, quibus adeſt Deus. Joſeph ille Ægyptius teſte Scriptura *erat vir in cunctis proſperè agens.* Geneſ. 39. v. 2. Rara in orbe avis phœnix ubique felix! ſed unde Joſepho in tanta fortunæ inconſtantia ſortis proſperæ tam magna conſtantia? En ipſe Putiphar, licèt homo gentilis, id agnovit, quippe qui *optimè noverat Dominum eſſe cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.* ibid v. 3. Et paulò antè clariſſimè ex hoc antecedente: *fuítque Dominus cum eo*, hoc conſequens deduxit: *& erat vir in cunctis proſperè agens.* Ecce hîc veram radicem arboris proſperæ ſortis, cujus apicem tuto conſcendere licet, & fructus legere nunquam emarcituros. Id fixum habeamus pro felicitate nulla relinquendum Deum, ne hoc ſimul, & illâ careamus, ſi arborem ſervare velimus, potiſſima cura ſit circa radicem. Conſtans felicitas eſt ſicut umbra alarum Excelſi, huic verò quæ ſit par felicitas? ſi â Deo fugis, & umbram hanc Divinam declinas, & ſortem tuam optimam. Mancipium ante factus eſt Joſeph, quàm fieret vir in cunctis proſperè agens, ſed in ea ſervitute quovis erat beatior libero, quia Deum ſecum in vincula traxit. Una funda, lapis unus Davidi ſufficit, ut montem carneum Goliathum totum proſternat, quia ſanctus hic miles Deo comite in arenam deſcendit.

Id certum habeto, nec ſtellarum 329.
feliciſſimam, nec omnes in unum confluentes poſſe noctem vertere in diem, cùm id ſoliùs ſit munus ſolis. Quid in ſtellis quæris, quod unus dare valet Phœbus, quid ê creaturis emendicas, quod ſolum â Creatore ſperare potes. Totius oceani aqua nequit efficere, quod una cæleſtis roris gutta efformat in conchis margarithum, idque tam ſolidum, ut nec irati maris fluctus id emollire valeant. Quid evincit invidia fratrum Joſephi, ſi hunc polymitâ exuant, ſicco puteo defodiant, Iſmaëlitis vendant, & ab his in Putipharis domum mancipii inſtar deducatur ipſe: Deus enim hæc omnia Joſepho vertit in proſperitatem, & Deo dives Juvenis paulò poſt ùt *Præpoſitus gubernabat creditam ſibi domum.* Geneſ. 39. v. 4. Antiochus autem ſine Deo ut ut tot palmis, & laureis inſignis inter coronas, & ſceptra peſſimam ſuam

ſuam ſortem deplorat, & infeliciſſimus inter victorias perit. 2. Machab. 9. Felicitatem ſibi ſuam gratulatur ſponſa utpote hyeme, tempeſtatibus, ac pluviis jam libera, & veris deliciis affluens: *Jam hyems tranſiit, imber abiit, flores apparuerunt in terra noſtra.* Cant. 2. v. 11. ſed unde ſors tam propitia? en dicit ipſa, *En dilectus meus loquitur mihi!* Cant 2. v. 10. Deus præſens eſt, deeſſe non poteſt aëris ſerenitas, nec ſuus agris decor, ſpinæ vertuntur in flores, & cœlum in terraquam defluit. Flammæ, & fulmina rubum corripiant, ſi in ejus medio ſit Deus, nil efficient, niſi ut illuſtrent magis: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. v. 2. Ægyptus horreat cimeriis tenebris, cùm filii Iſraël in medio ſui habeant Deum, lucis abundè habebunt. *Ubicunque autem habitabant filii Iſraël, lux erat*: Exod 10. v. 23. Lapillus ſine manibus abſciſſus de monte, ſed tamen Numinis providentia in ſtatuam Nabuchodonoſoris propulſus maximas evertit orbis Monarchias, auream, argenteam, æream, & ferream. *Et factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Dan. 2. v. 35. omnia evertit, omnia vincit felix hæc petra, regnum enim ipſa erat â Deo ſuſcitandum, contra quod nec portæ inferi prævalebunt, quod in omne ævum ruinæ neſcium ſtabit: *ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* v. 44. nihil agit fruſtra omnia molitur homo, ſi vel paſſum ire præſumat, ut felicitati ſit propior, niſi Deus ejus greſſus dirigat. Sis unus inſtar quatuor, Janus ſis quadrifrons, inſtructus ſis ſagacitate hominis, conſtantiâ bovis, fortitudine leonis, acumine aquilæ, nihil promovebis currum ſortis tuæ, ut ê miſeriis evellas, ut ad felicitatis templum promoveas, Dei ſolius ductu moventur rotæ tuæ: *ubi erat impetus ſpiritûs, illuc gradiebantur.* Ezechiel. 1. v. 12.

Idea LXII.

Cum Deo ſua tranſigat, qui ſibi vult faventem Deum!

330. SUpremus ille cœli terræque Dominus, qui ſe vivum exemplar dedit in omnibus, quæ fecit, nobis factus via, lux, veritas, expreſſis verbis miniſtros verbi ſui, & in iis mortales cæteros hanc veritatem docuit: *ſine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. v. 5. laborare poteſtis, ſed in vanum, defatigari continget, ſed ſine fructu, útque magis urgeat nos,

quàm frequentissimè Deum accedamus, ibi felices in rebus nostris exspectemus successus; concludit: *quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* v. 7. En quàm nihil bene vertat, nisi ad opem Divinam se homo convertat! En etiam quid possit obtinere petendo, qui petit ab Omnipotente! Ita Jesus docuit, & verbo, & exemplo. Prædicationem nostræ redemptionis initium â baptismo, & oratione auspicari Servator voluit, utroque promeritus cœli pandere ostium: tot jam sæculis occlusum: *Et Jesu baptizato, & orante apertum est cælum.* Luc. 3. v. 11. A Jordane progressus in desertum jejunio iterum preces junxit: *cùm jejunâsset quadraginta diebus, & quadragirta noctibus.* Matth 4. v. 2 utique, ut liberiùs, velut olim Moyses res populi Israëlitici, ipse Dominus magnum salutis nostræ negotium cum Patre & Deo suo transigeret. Subin lecturus Apostolos, licèt ipsa Sapientia æterna omnes homines intimè nôsset, ut huic muneri quàm dignissimos eligeret, tamen etiam istam electionem cælesti Patri commendare voluit, fusis concubia nocte, & procul ab humano commercio ad eum precibus. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. & cùm dies factus esset, vocavit discipulos, & elegit duodecim.* Luc. 6. v. 12. & 13. Christo utique lux non deerat, qui ex essentia lux est non solùm mundi, sed splendor etiam gloriæ, & figura substantiæ æterni Patris, nec opus habeat deserto, nec monte, ut Deum certiùs inveniret, qui intra se habebat Divinitatem humanitati unitam. Docere tamen nos voluit, quid agendum, si quid agendum, ut nempe cum Deo transigatur, ut quàm optimè agatur. Maximum illud multiplicatæ escæ miraculum prodromus erat, imò prærogativa regia, qua moti homines Jesum Regem suum vellent, at ipse non acceptat coronam, sed *fugit iterum in montem ipse solus.* Joan. 6. v. 15. ut scilicet ibi rursus oraret, prout expressè addit Sanctus Matthæus: *ascendit in montem solus orare,* Cap. 14. v. 23. Domine, an non vides suis spebus delusam quater mille hominum turbam futuram velut gregem errantem sine pastore! Regem te volunt, ut eos gubernes rogant, qui venisti dirrigere omnium pedes in viam pacis. Sed his Christus haud movetur, ad orandum se confert, ut Deus eò certius hujus turbæ necessitatibus succurrat. Neque etiam ab oratione recedit luctantibus in mari discipulis suis, licèt videret *eos laborantes in remigando,* (*erat enim ventus contrarius eis*) nam solùm *circa quartam vigiliam noctis venit ad eos.* Marc. 6. v. 48. in oratione interea perseverans, ut subin efficaciùs iisdem opitularetur. Denique cùm totus avernus in ipsum concitaretur, â suis derelictus, sanguineo imbre perfusus, & præ dolore in agone constitutus *prolixiùs orabat.* Luc. 22. v. 43. cæcus sit opportet, qui oculos non aperiat ad tanti exempli splendidissimum lumen!

Sit Petrus licèt petra solida, sit Apo- 331.
stolorum

stolorum Princeps, paratus sit mori cum Magistro suo, si tamen cum Deo non sit in oratione, si hac non obfirmet animum, ne intret in tentationem, data occasione ruet, ad ancillulæ vocem negabit, & abjurabit Dominum. Nempe tentatus suum Magistrum reliquit, quem ante orantem deseruerat. Dum erat orandum dormivit, cúmque subin fidei suæ intrepida facienda esset confessio, â fide defecit: ægrè cum Christo mori volet in tentatione, qui cum Christo brevi tempore noluit permanere in oratione: *sic non potuistis una horâ vigilare mecum.* Matth. 26. v. 40. Vice versa licèt lupus sit rapax, licèt Ecclesiæ sit hostis juratus, licèt sit Saulus persecutor maximus pusilli gregis, modò oret, nil porrò ab eo timendum, Apostolus erit, Christi discipulus, vas electionis, Paulus illicò erit. Vade Anania, jubet Deus, vade, & *quære in domo Judæ Saulum.* Act. 9. v. 11. Neque timeas mala, quæ hactenus fecit sanctis Christi homo iste, neque sæviendi, quàm â Principibus Sacerdotum habet, potestatem reformides: *Ecce enim orat.* ibid. Lupina natura jam versa est in agnum, jam leo hic, qui manè comedit prædam, vesperi dividet spolia, ex Saulo factus est Paulus egregius Doctor, & Prædicator gentium. Sancta, innocens, multis ac magnis cæli favoribus, & virtutibus dives erat Eva, sed quia non orat, cum Deo sua non transigit, sed cum serpente fabulatur, ad primum hujus sibilum infatuatur, atque dona sua, se, & posteros suos perdit. Genes. 3. Agar verò â Sara Domina sua in reprobum sensum tradita, mancipium justè depressum, & Abrahæ ejectum domo, quia vel paululùm orans *levavit vocem suam, & flevit.* Genes. 21. v. 16. Angelum sibi adstare vidit, ac præsentissimam in afflictione maxima opem ferre. Primam Martyrii palmam legit divus Stephanus, sed ùt preces fudit, cælum vidit apertum, postquam scilicet orando pulsavit cæli ostium, Jesum intuitus est stantem â dextris Dei, quò sibi contra suos, & fidei hostes decertanti manum porrigeret, ubi ejus opem implorârat. Neque antè fecit orandi finem glorioſus hic protomartyr, quàm vivendi: *Et lapidabant Stephanum invocantem. . . positis autem genibus clamavit voce magna.* Act. 7. v. 58. & 59. Orans Jacob cum angelo luctabatur, indéque læso femoris musculo necdum dicitur claudus, nec tibiæ defectus notatur, donec locum orationis reliquit, id enim *Phanuel* sonat: *transgressus est Phanuel, ipse verò claudicabat pede.* Genes. 32. v. 31. ò quot defectus oratio vel tollit, vel saltem tegit, quot miserias & morbos nostros panacæa hæc sanat! En Magdalenam ad Christi pedes prostratam, en in Domini sui contemplatione unicè defixam! quid sanctæ pœnitenti nocuêre Pharisaica murmura, Sororis querimonia, Judæ contumelia? nihil, nisi ut exaltarent magìs, nihil, nisi ut ipsum Dei filium haberet boni sui operis laudatorem, &

malæ iſtorum detractionis vindicem.

332. Triſtes nuncii ad Regem Joſaphat deferunt fœdus contra ſe ictum ab Amonitis, Moabitis, ac Syriæ populis, addúntque magnis itineribus formidando exercitu propinquare hoſtes. Periculum erat proximum, quo Rex ipſe amitteret coronam, ſubditi libertatem, aut etiam vitam. Timore perculſus Joſaphat illicò fatetur: *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere.* 2. Paral. 20. v. 12. Attamen animis non concidit Rex pius, ad Deum protectorem, & rebus etiam conclamatis adjutorem clamare cæpit, atque viribus licèt præliando impar, Dei ope victoriam de hoſtibus retulit: *Joſaphat autem timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum.* ibid. v. 3. En validiſſimum murum, quem vi hoſtili oppoſuit, non alia ille propugnacula, non tela alia, non alios arietes circumſpexit, quàm calentiſſimas ad Deum preces, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & hujus præſidio tectus inimicis occurrit, non ut contra illos pugnaret, ſed ut de jam victis ſpolia referret. Hinc Chryſoſtomus homil. 58. in Matth. *Nihil eſt*, inquit, *homine probè orante potentius.* Invictum quidem Joſue ſtrenuiſſimi ducis robur, ſed, ſi Amalecitas vincit, non tam ſuis quàm Moyſis ad cælum erectis manibus victoriam debet. Generosè prælia Domini miſcebat Joſue, ſed qui vincebat hoſtem Moyſes erat orator. *Cúmque levaret Moyſes manus vincebat Iſraël, ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Exod. 17. v. 11. Ante thronum Agni aliquos vidit ſanctus Joannes cum ſignis in frontibus ſuis: *Et audivi numerum ſignatorum.* Apoc. 7. v. 4. Alios vidit victoriarum ſymbola dextris præferentes: *& palmæ in manibus eorum.* ibid. v. 9. Quænam hujus differentiæ Deo ſuo aſſiſtentium ratio? textus dicit poſteriores hos orâſſe, de iis enim aſſerit: *& clamabant voce magna.* v. 10. Si autem orârunt, haud mirum eſt, cantâſſe victorias, ac palmis inſtructos fuiſſe, nullum enim potentius vincendi medium, oratione. Miſera Bethulia, niſi jam ad extrema redactæ ſuccurreret Judith! dubium eſt tamen, an fuiſſet opitulata, niſi Deum potenti prece antè eſſet deprecata. Id certum eſt nihil aliud petiiſſe â contribulibus ſuis, quando urbem egreſſa eſt, ut ab hoſtibus liberaret, quàm ut pro ſe interea orarent: *& usque dum renuncie m vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me.* Judith. 8. v. 33. A Sacello ſuo domeſtico ſe ad veſtiarium contulit, ut congenitæ pulchritudini adſcititiam adderet, hoc enim gladio configi debebat arrogantia Aſſyrii Ducis. *Cùm ceſſâſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo jacuerat proſtrata ad Dominum.* Judic. 10. v. 1. Cúmque jam virago egregio facinori applicaret manum, cor ad Deum rurſus erexit: *flevítque Judith ante lectum orans cum lachrymis.* cap. 13. v. 6. Neque his contenta toties fuſis precibus novas addit, eo modo coronatura opus, quo cæperat: *cúmque evagi-*

vaginâſſet illum (pugionem ſcilicet Holofernis) *apprehendit comam capitis ejus, & ait: confirma me Domine Deus in hac hora.* v. 9. confirmata ope Dei toties in vota enixiſſimis precibus vocati denique *percuſſit bis in cervicem, & abſcidit caput ejus.* v. 10. fecítque ſalutem in Iſraël. Periculi pleniſſimum itidem erat Eſtheris negotium, quo agebatur de nece, & vita totius Hebraici populi, ſed illa antequam aggrederetur rem arduam, & humanis mediis ſuperiorem, *vade*, inquit Mardochæo patruo ſuo, *& congrega omnes Judæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me.* Eſther. 4. v. 16. & medium hoc eſt experta validiſſimum.

333. Nec pauca, nec parvi moliminis negotia tractanda habuit David, quis autem viro iſto frequentior in Deo per orationem conſulendo. Hac ſe armabat in præliis, illa ſe ſe exercebat in regiis. Lux, inquiebat, repercuſſa â vultu Dei inimicorum machinas diſſipat, & artes eludit: *Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis.* Pſalm. 17. v. 13. Dei præſentia territi aufugient, atque contriti cadent etiam hoſtium validiſſimi: *Infirmabuntur, & peribunt â facie tua.* Pſalm. 9. v. 4. ita nempe brachium Domini obtinetur, ut hominis erigatur infirmitas: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam â dextris eſt mihi, ne commovear.* Pſalm. 15. v. 8. omnis ſceleris purus vivet, qui orando cum Deo vivet: *& ero immaculatus cum eo,* Pſalm. 17. v. 24. vice verſa, qui cum Deo non ambulat, iter ingreditur iniquitatis: *non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Pſalm. 9. v. 26. atque ideò de ſe vir ſanctus fatetur: *ſervavi mandata tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Pſalm. 118. v. 168. Ideò magna illa Regina apparuit undique ornata virtutibus, quia nunquam â Regis ſui latere diſceſſit: *aſtitit Regina â dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Pſ. 44. v. 10. Eja puſillanimes, quid vanis timoribus conſumimini? orate, & ipſi difficultatum tumuli velut liquor cereus colliqueſcent. *Montes ſicut cera fluxerunt â facie Domini.* Pſ. 96. v. 5. Ipſi Seraphini velut eſſent tales, vel ne â ſuis deſciſcerent ardoribus teſte Iſaia pedem fixerant ſuper Domini ſolium excelſum: *ſtabant ſuper illud.* Cap. 6 v. 2. ex inacceſſæ lucis fonte jugiter haurientes, *ſtabant*, & conſtantes, & ſecuri *ſtabant*, quia Deo proximi, *erant ſex alæ uni, & ſex alæ alteri*, ut dum throno Divinitatis adſtant, unà volare poſſint ad apicem ſummæ perfectionis, & miniſterii ſui ad noviſſimos apices implere queant exercitium. Neutiquam ad ſuum opus volat, qui in Deo fixus non ſtat, nec cum Deo ſtat, qui ad ea non volat, ad quæ tenetur. Utrumque neceſſarium eſt, & quidem uno eodémque tempore ipſis Seraphinis, ſtare, & volare; ideo ſubditur, utrumque ab iis fuiſſe præſtitum: *ſtabant, & volabant.*

Infelix Petri navicula, quæ malate 334.
exſpectant,

exſpectant, ſi â Jeſu deſtituta ducaris in altum! Chriſtus in telluris continente ſubſiſtit, & tu audes maris undas ſulcare! quot hæc audacia luenda erit procellis, *ipſe abiit in montem orare.* Marc. 9. v. 46. tibi fluctuum montes incumbent! ventis contrariis jactabere, remis opus erit, ac ſudoribus, ut tanto diſcrimini te ſubducas. Eſtne poſſibile, quòd diſcipuli Chriſti malint experiri oceani irati motus, quàm exemplo Magiſtri ſui ſolitudinis quietem? velint potiùs laborare remigando, quàm noctem tranſigere orando? poſſunt quidem illi ſe ſe excuſare dicendo, coactos ſe â Magiſtro, ut naviculam peterent: *coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim* v. 45. Sed nec iſta excuſatio ſufficit, cùm id ſolùm Chriſtus præceperit, *dum ipſe dimitteret populum.* ibid. Non autem, cúm ſubin oraret. Sed ii inconſultè navigationem prætulerunt orationi, & luctari potiùs voluerunt cum morte in aquis, quàm cum Domino inter preces. Certè parùm affectos fuiſſe orandi exercitio vel illud demonſtrat, quòd Magiſtro ſuo ultimum oranti ſolùm corpore non animo adſtiterint. *Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum.* Matth. 26. v. 40. Et tamen hi ipſi vigilias noctis tolerare poterant, quando etiam nullo operæ pretio erat vigilandum: *per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Luc. 5. v. 15. Adeò ut integram noctem vigiles exigant modici lucelli, ſeu piſciculi capiendi ſpe, at ut cum Jeſu quàm utiliſſimè orent, nec horam unam ſine ſomno tranſigunt. Quot noctes Coſmophili pro mundo vigilatis, damnati ad tranſtra vanitatum veſtrarum? quoties luctamini cum paſſionum variarum fluctibus *laborantes in remigando?* quàm fortiter occurritis ventorum vi contrariæ, malis deſideriis, quæ homines mergunt in interitum? *Erat enim ventus contrarius.* Nihil dormitis, quum id petit mundus cum concupiſcentiis ſuis, jugiter vigiles, ac *per totam noctem laborantes*, quando verò Deus id petit, nec unam horam cum Jeſu orando expendere vultis; *ſic non potuiſtis una horâ vigilare mecum!* Nempe cum hominibus per dies, & noctes alacres, & ſine defatigatione agetis, ſi cum Domino veſtro agendum, illicò torpor labia, Sopor oculos immigrabit. In oratione Dei continua oſcitatio! in rebus mundi nunquam non læta converſatio! non ſolus eſt Pilatus qui largos cum ſcribis, turbis, & militibus ſermones miſcebit, & nec unum verbulum audire volet, cùm vel ipſa veritas loquitur: hanc ipſe rogârat: *quid eſt veritas?* ſed reſponſum non exſpectârat: *& cum hoc dixiſſet, iterum exivit ad Judæos.* Joan. 18. v. 38. Quot inveniuntur, qui cum vaccis illis Philiſtinorum, ſi Arcæ Domini applicentur, ingenti velut pondere ſe ſe oppreſſos murmurant: *ibant in directum vacca pergentes, & mugientes.* 1. Reg. 6. v. 12. Quis dubitet, quin boves iſtæ aliàs majoribus fuerint oneratæ molibus, atque etiam totas dies arando laborârint, totas noctes lactendis vitulis ſuis impenderint, ídque citra mugitus;

gitus, at verò cùm arca ad modicam distantiam trahenda, nihil auditur, nisi boatus inconditi. Quanti tota die sudant in opere suo malleum vel ligonem, calamum aut acum tractando, hilares, & inter cantilenas vix sentient, aût non sentire se fingent laborem suum, & hi ipsi vix horæ quadrantem in templis, & sacris expendent, quin præ tœdio centies oscitent. Inter spinas fragrantem odorem exhalat rosa, inibi læta vivit, & velut inter flores cæteros triumphat, aris ea ipsa imponatur, quàm citò languet, tristatur, moritur. Etiam calcatus suavissimè olebit Nardus, at verò ut fumum det sacratiorem in sanctuariis igne opus erit, idem erit benedici, & cremari. Magistrum Divinum læti comitabuntur discipuli, licèt sursum sit eluctandum, modo ad thaboris glorias sic valeant eniti; at verò ubi vel in mediis hisce montis deliciis orandum esset cum Christo, egregii hi comites morpheo ocyùs indulgent: *Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant somno.* Luc. 9. v. 32.

335 Hoc quod sequitur adhuc graviore dignum nota. Inveniet Jesus, qui se pauperem sequatur calce mundum proterens, ùt Matthæus, qui parentibus illicò valedicant, ut se totos Domino mancipent, ùt Jacobus, & Joannes: qui peregrinantem Christum quocunque ierit, nullibi relinquant, ùt discipuli omnes: qui jejunent, famescant suæque necessitati succurrant vellendo spicas, qui sine cibo, & potu etiam deserta loca petentis vestigia premant, quám plurimi occurrent, at verò, ubi secedit ad fundendas preces nullus sequi volet: *ascendit in montem solus orare.* Matth. 14. v. 23. Quantumvis decumanos fluctus cieat procellis undique agitatum mare, gravi sopore detentus jacebit Jonas, ut verò orando ad Deum se vertat ceti utero erit includendus, unde subin meliora sapere doctus *Oravit Jonas ad Dominum Deum suum.* cap. 2. v. 1. Etiam David adversis agitari debuit, ut ad Deum recurreret, ipse id testatur: *ad Dominum cùm tribularer clamavi.* Psal. 119. v. 1. sed id vel maximè mirum, quòd tot Sancti in Ecclesia Dei glorioſis meritis, ac tot palmis insignes, non nisi viginti quatuor ampullas orando impleverint: *& viginti quatuor seniores habentes singuli citharas, & phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Apoc. 5. v. 8. Hinc sponsa mortificationem monti, adorationem autem colli comparavit: *ad montem myrrhæ ad collem thuris.* Cant. 4. v. 6. mons totus crucibus, ac spinis horret, solùm collis oratione repletur. Præcatiuncula aliquot vocum latro bonus post blasphemias, & flagitia complura expugnare voluit cælum: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. v. 42. & Christus tam raram sementem ampliore est dignatus fructu, quàm omnes Magdalenæ lachrymas, ac tam rara sibi impensa charitatis obsequia; Huic enim solum dixit: *vade in pace.* Luc. 7. v. 50. latroni verò oranti respondit: *hodie mecum eris in Paradyso.* Luc. 23. v. 43.

Idea

Idea LXIII.

Qui Deum fidenter accedit, illum sibi propitium jugiter invenit.

336. INvestigabiles viæ Domini! ignoti nobis fines ejus! quis tamen in animum inducet, ut credat: ideò miseriis nos obrui, ut eo majoribus ipse nos repleat misericordiis? infinitè Deus amat suas perfectiones, sed nullibi magis Zelotypus, ut ita dicam, videtur ejus amor, quàm ubi agitur de clementia. Majestatis suæ offensam omnem acerbè nostro loquendi modo sentit Deus, sed id omninò sibi intolerabile, ut quis dubitet, an non ultra se extendat bonitas sua immensa, ac quò attingere valet etiam maxima hominis malitia! teste Divo Hieronymo Deum longè magis offendit desperabunda Judæ pœnitentia, quàm sacrilega filii Dei proditio. Christo multò atrocius fuit martyrium Judas desperatâ veniâ è laqueo pendens, quàm suum ê cruce pro omnium redemptione suspensi tormentum. *Pro clementia Domini*, inquit Sanctus Doctor, *hæc dico, quia magis ex hoc offendit Dominum, quia se suspendit, quàm quia Dominum prodidit.* in Psalm. 108. ad illnd: *oratio ejus fiat in peccatum.* Deum tangit, qui honorem Dei quomodocunque peccando lædit, sed pupillam amoris ejus ferit, qui non satis bene de clementia ejus sentit, qui de infinita illa bonitate diffidit. His proximè accedit, qui ne quid â Deo petat Dei liberalitati derogat. Magno solatio illum privas, si nihil ab eo petas cui nihil magis volupe quàm dare, quod petitur. Hortatur Deus: *petite & dabitur vobis.* Matth. 7. v. 7. quasi gratiam â nobis poscere, vult ut nos poscamus, quod nobis donare possit. Maximum Deo erit gaudium petitio nostra, si nos quàm maximè gaudere viderit concessione sua. Nunquam de erit largissima manus dantis, si nullibi defecerit fides petentis.

337. Hujus suæ liberalitatis luculentissimum paradigma Christus dedit Lucæ 11. ubi nos orare docuit: *cùm oratis, dicite.* v. 2. Quando se amico comparat, quem media nocte amicus alter importunè pro panibus interpellat, & ille suo jam clausis januis strato incumbens huic instanter petenti respondet: *noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi.* ibid. v. 7. Duo siquidem hic Divus Chrysologus notat, primò, quòd amicus ille fuerit ad dandum promptissimus, qui eo loco jacere voluit, ubi illicò

posset

posset petentem audire. *O quàm*, inquit sanctus Doctor, *pulsanti iste gestivit occurrere, qui secreti sui cubile ipsam collocavit ad januam.* Adstrictum præterea se voluit sic cubando ad concedendum, quod posceretur, si non amore petentis, saltem ut molestia liberaretur somni sui ulteriùs ac diutiùs interpolandi. Alterum quod sanctus Doctor advertit, est cura hominis in beneficio amicis præstando, siquidem ipse vel media nocte illicò amici sui vocem agnovit, ut ejus necessitati succurreret: *qui dormientibus servis pulsantis necessitatem solus, & primus audivit.* Ita Divus Chrysologus, *Solus*, quia si alius domesticorum etiam excepisset strepitum ad fores pulsantis, probabiliùs sua manu ipse paterfamilias non porrexisset cupitos panes. Et *Primus*, quia ipse qui rogabat necdum petitionem suam plenè protulerat, & alter jam penitus illius indigentiam intellexerat. Sed jam exoritur dubium: si amicus gratiam â se petitam alteri nolit indulgere, ad quid prædicta studia? si verò petitis velit annuere, cur repeti debent petitiones, cur molestis ac iteratis januæ pulsibus se & somnum suum fatigari permittit? sed hoc ipsum est, quod indicare lubuit Christo, ut scilicet intelligeremus, nunquam quiescere misericordiam Divinam, sed jugiter cupere nostris lassari precibus, Præelegit molestari importunis nostris petitis, quàm quietè spectare ingratissimam sibi de ejus bonitate diffidentiam. Differt tantisper maximopere propensum votis nostris vellificandi animum, ut diutiùs audire possit voces supplicantium. Ita videtur rem hanc â Davide intellectam, dum ad Deum dixit: *verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum.* Psalm. 5. v. 2. Et cur? *quoniam ad te orabo.* v. 4. addítque: *manè exaudies vocem meam*: quasi diceret, ita clamabo ad te Domine, ut etiam dormienti tempore matutino molestus sim futurus, vel quod peto, concede, vel tibi obtundi clamoribus meis aures benignus sustine. Cujus ergò Tyriorum ac Sydoniorum terminos Jesus adit, nisi ut Chananææ mulieri ob filiam supra modum afflictæ opem ferat: *Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri, & Sydonis.* Matth. 15. v. 21. *Et ecce mulier Chananæa â finibus illis egressa clamavit dicens: miserere mei Domine fili David.* v. 22. sed cùm Jesus quasi in occursum fœminæ hujus processerit, cur inventam non illicò suis votis damnat? ideò, quia delectari vult prolixiùs in precibus rogantis, qui jam fixum habet filiam sanare, & fidem laudare ad se clamantis. Eja mortales, si miseriarum vestrarum levamen petitis, ab eo petite, qui & vult, & potest abundè conferre: cum fiducia accedite, ùt filii, & propitium Patrem invenietis nunquam ejus beneficentiâ fraudandi.

Notatu dignum, quod de Tobia se- 338.
niore in sacris paginis legimus. Laudem utique ille merebatur ex productis crebrò jejuniis, ob solutas juxta legis præscriptum decimas, ob ultima

ultima charitatis officia defunctis fratribus impensa, atque ita impensa, ut interdiu cibum de nocte somnum abrumperet, quo ipsis justa persolveret. Sed his omnibus prætermissis, quando angelus merita viri sancti commemorat, unicè preces ab eo fusas ad Deum â se fuisse delatas affirmat: *quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & abscondebas eos per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. 12. v. 12. Sed nunquid non etiam ad thronum Divinitatis digna erat offerri Tobiæ cæci patientia Jobiana vix inferior? integritas vitæ hominis nunquam non in toto corde suo Dei memoris! constantia in adversis, in quibus captivum licèt traheret corpus, jugiter libertatem gerebat filiorum Dei! fides inter tot Idololatras ac etiam fratres ab ea deficientes nunquam non in Dominum suum probatissima misericordia cum ærumnosis proselytis ac vita functis semper promptissima, atque plurima hujusmodi virtutum ornamenta, an non Raphael Archangele videntut tibi digna, quæ Divinæ Majestati coràm sistantur? sed ille optimum se stitisse certus, *obtuli*, inquit, *orationem tuam.* Orâsse sufficit, una oratio est, quæ præ virtutibus cæteris Dei favores recipit. Omnes quidem huic virtutum Domino & singulæ placent, sed illa quam angelus obtulit in oculis Dei primatum tenet. Hinc seniores illi Apocalyptici Deo ex calicibus suis non propinant opera justorum alia, licèt meritis gravia, sed una precum libamina, *habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Apoc. 5. v. 8. Quid hoc rei? ubi lapides pretiosi Stephani? craticula Laurentii? catenæ & gladius Pauli? cruces Petri & Andreæ? nihil horum dignum est, ut in odorem suavitatis ad Divinum solium ascendat, nisi incensum fuerit fiducia conditæ orationis. Nec lilia puritatis, nec rosæ mortificationis, nec violæ humilitatis, nec sanguis Martyrum effusus tantam fragrantiam exhalat, quàm dona thurea sanctarum precum. Cælestes genii justorum preces in vasa aurea colligent, nec de reliquis erunt soliciti. Tres dies jejunium protraxerat Saulus, ac sibi uni aut potiùs Deo vivens ad cætera omnia oculos clauserat. Nihil tamen horum sacer historiographus celebrat, sed unam ejus ad Deum mentis elevationem: *Ecce enim orat,* Act. 9. 11. Hæc enim una cor Dei ad se rapiebat, hæc sola Dominum sibi omnino reddebat propitium.

Errabat infelix Agar per deserta in- 339.
numeris oppressa malis, & sine nota impatientiæ, sine murmure, sine querula voce contra molestias sibi â Sara Domina sua in Domo Abrahæ illata errabat in solitudine, tolerabat exilium suum, licèt humana ope ubique destituta, atque etiam diu cælesti carens. Ut autem orare cæpit, *ut levavit vocem suam & flevit.* Gen. 21. v. 16. Illicò adesse sibi vidit cæli auxilium, *exaudivit autem Deus . . . vocavitque Angelus Dei Agar de cælo. v.* 17. Quàm

magnus

magnus Dei favor! Eliæ in deserto alio superbæ Reginæ odia passo corvus panem ministrat, ac velut vivi Dei œconomum agit. At Agari oranti ipse Angelus Pincerna assistit, ac aquam porrigit. Abrahæ honor quidem obtigit, ut in domo sua tres Angelos iter agentium specie hospites exciperet, ac liberali iis instructa mensa pro virili deserviret: sed Agar paucis effusis precibus meretur, ut Angelus ipse sibi deserviat, & quo maximè indigebat ad filii restinguendam sitim, frigidæ potum unà recipiat. Christo itidem in deserto adfuêre Genii ætherei: *& ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Matth. 4. v. 11. Sed factum id evoluto dierum quadraginta curriculo post longissima jejunia, post replicata prælia, post relatas de avernali hoste nobiles victorias. At verò Agar licèt mulier peccatrix ad primæ vocis in cælum clamantis sonitum illicò videt Angelum, qui solatia impendat, & obsequia. Quid non poterit oratio justi, nisi peccantis deprecatio tantum profecit, ut seræ posteritatis matri adgratuletur cæli terræque Dominus, *quia in gentem magnam faciam eum.* Gen. 21. v. 18. Quàm parùm precibus nostris ferventer ac cum fiducia ad se missis resistere potest omnipotens! cor ipsum Altissimi penetrant, omnia ocyùs impetrant. Ora, geme, clama in angustiis tuis, Deumque propitium in tua vota trahes. Quò pluribus adversitatum fluctibus obruâre, quò magis omnia elementa in te conspirent, ad Deum nihil hæsitans suspira, in sinu Dei portum invenies, in oculis ejus gaudium, lætitiam cordis in amabilissima clementia illius.

Pacem & quietem animi appetimus 340.
omnes, sed inveniunt pauci, quia ab eo illam non petunt, qui solus dare potest. Flos hic non oritur in Adonitis hortis, nec in Babylonicis agris, nec in valle lachrymarum, neque in terra spinas, ac tribulos germinante, floret solùm in regione viventium. At verò ubi etiam in hujus mortis umbra radius beatæ tranquillitatis luceat, ê solo Dei vultu elucet. Hic solus ex cumulo laborum suscitabit quietem, ex tenebris splendescere faciet lumen, & ex ignominiis abjectæ nostræ glebæ glorias Thaboris educet. Ducit illos in montem excelsum seorsum. Matth. 17. v. 1. *Et transfiguratus est ante eos & resplenduit facies ejus sicut sol.* v. 2. Jam visione se perfusum beatifica putat Petrus, jam nihil, quod alibi cor suum requirat, habet, jam clamat: *Domine bonum est nos hîc esse.* v. 4. Hîc hominis pectus superabundat gaudio, hîc pax vera lætificat. Id clarè indicare voluit regius Psaltes, cùm dixit: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Psalm. 20 v. 7. *lætaberis*, si Deum præsentem habueris, *in gaudio lætaberis*, si vultum Domini contempleris! sed nunquid non omnis lætatur, qui in gaudio qualicunque demum versatur? minimè gentium, sunt multi perfusi gaudiis mundi, & sentiunt gravedinem animi. Sola Dei facies ita cor nostrum exhilarat, ut in lætitia gaudeat, vel lætificetur in gaudio.

Vana mundi gaudia nunquam dolore vacant, tum quia cor hominis utpote infiniti boni capax explere non valent, tum quod mille crucis illud replent, difficulter inter tot adversa obtinentur, facillimè ubtenta amittuntur, hinc optimè Sapiens: *risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Prov. 14. v. 14. Gaudium ergo divinum sectare homo, quod est plenum, quod nullus tollet â nobis! insigniter Hipponensis: *cui enim bene erit sine illo? aut quando malè esse poterit cum illo?* Tract. 51. in Joan.

Idea LXIV.

Qui habet, quod ploret, oret &c.

341. TAm rarò invenies in hac lachrymarum valle, qui nihil inveniat lachrymis dignum, ut facilè concesserim, nihil orandum illi, cui nihil deplorandum, modò etiam mihi detur, orandum esse omnibus iis, quibus est plorandum. Nullus putet solis Carthusiæ aut eremi incolis propriam esse orandi rationem, illi qui in aulis versantur, utpote periculis expositi majoribus, ne pereant, adhuc magîs isto medio indigent, cum omnibus locutus est Christus, quando de extremo, & universali est locutus judicio, atque adeò pro omnibus Epiphonema illud subjunxit: *vigilate itaque omni tempore orantes.* Luc. 21. v. 36. Vult nimirùm Servator noster, ut semper vigilemus orando, aut semper oremus vigilando: idque non solùm cœnobitis, aut choro adstrictis dictum putes, quia omnibus omninò convenit, quod subjungitur: *ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* v. 61. Oret, inquit hominum quivis, qui stare olim cupit ante thronum Filii hominis, ubi vel ipsa sidera consistere haud poterunt: *& stellæ de cælo cadent.* Math 14. v. 29. Uti ergò plurimi refert, ut erecti stemus die illa tremendi judicis, ita omnibus orandum est, ne lapsu haud ullo ævo reparabili corruant. Orandum est non tantùm ne in peccata labamur, sed etiam, ut filio hominis, cùm quemvis judicaturus adveniet, districtam petenti rationem valeamus respondere. Christus vigilare nos jubet, & orare, ut queamus stare in die judicii, qui neutrum facit, quo pacto tunc consistet? qui diem istum non timet, quid tandem timeat? quis eo tempore nil habebit quod plorare oporteat? Ecce unde prædestinatio sanctorum teste Apostolo: *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Ephes. 1. v. 4. ab æterno Deus in Christo elegit,

git, quos prædestinavit, sanctos vult electos suos, & sanctos *in conspectu ejus in charitate.* ibid. cùm ergò omnium sit quærere prædestinationem, & salutem, omnium pariter esse debet ante Deum, seu in Domini conspectu prostratos orare.

342. *Quid dormitis?* inquit discipulis suis Christus: *surgite, orate.* Luc. 22. v. 46. & illicò hujus rationem addit: *ut non intretis in tentationem.* ibid. non dicit, ne tentemini, sed ne tentationem ingrediamini; nam qui intrat in tentationem, in tentatione cadit. Si ignis te corripiat, fugiendo evades ignem, at si sponte flammas insilias, quid supereſt nisi ut ardeas? tentatio quæ ab intrinseco ingruit, metum incutit, ac cogit ad fugam, sed quæ ultroneè accersitur denique volentem incendit. Ideò flammæ assimilatur tentatio. *A pressura flamma, quæ circumdedit me.* Eccles. 51. v. 6. non enim crematur, qui ab illa recedit, sed qui incautus ad eam accedit, illámque intrare præsumit. Furnum Babylonicum, qui sponte ingreditur, in cineres redigetur, sed quem illuc injicient, modò ad Deum oret, ignis ille nec continget quidem. Leg. cap. 3. Daniel. Quæro jam, quis majori discrimini intrandi tentationem obnoxius est, an ille, qui in medio nationis pravæ positus eam continuò videt, & ridenti vultu videt, an verò, qui procul â sæculi vanitate nec detegit quidem? si ergò omnibus Christi assertô orandum, ac vigilandum est, ne intrent in tentationem, iis utique majori cura id erit faciendum, qui cæteris sunt tentationi propiores. Si Petro jam Christi declarato in terris vicario, continuò Domini lateri adhærenti, & paulò ante pane fortium munito, nihilominus dicitur: *orate ut non intretis.* Quid iis faciendum erit, qui sunt mundi hujus limo infixi? mille laqueis circumdati? vanis desideriis pleni, quæ mergunt hominem in interitum? nisi velit quàm sæpissimè tentationi succumbere, ac pereundi certissimæ aleæ se exponere. Nulla occupatio ita hominem detinet, ut nullo tempore liceat ab ea non nihil animum avertere: Nulla tamen unquam nos â Deo debet avellere. Ratio dictat negotium Dei, & animarum nostrarum unicum esse debere, quod præ cæteris curandum: *porro unum est necessarium.* Luc. 10. v. 42. Certúmque est, nos id curare posse, quod vel maximè rationi congruit. Contemplare Isaacum juvenem, amantem, divitem, nobilem, ac filium unicum patris sui, eúmque contemplare pridie diei nuptialis, cùm in campos egreditur non ad captandam auram, sed Dei aucupandam orationis adminiculo gratiam. *Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata jam die.* Genes. 24 v. 63 Septuaginta legunt: *exerceri ad vesperam.* Nempe ut precandi exercitio ibi liberiùs indulgeret, aliorum consortio se surripiebat, ut solus cum Deo solo quietiùs ageret. Egrediebatur, non ut colligeret vanos flores, sed ut orando virtutum omnium sertum contexeret, non ut herbas & alias plantas coleret, sed ut eradicaret animi vitia, ut luctaretur cum passionibus

nibus ſuis, ut pravos affectus extirparet. Nec in eo deerat cæteris ſui ſtatus obligationibus, ſed potiùs ut hiſce defungeretur pleniùs, novas ab hiſce pietatis exercitiis vires cogebat. Conſidera Jacobum â Socero Labano fugientem, mulieribus, filiis totius familiæ, ejúsque ampliſſimæ, præpeditum impedimentis, conſtitutum in itinere difficili, longo, ac malè tuto ob inſidias Eſau cum quadringentis vernis ſuis reduci Jacobo occurrentis, inter ſpem & metum, an ut hoſti, an verò ut fratri obviaret? ſed in anguſtiis hiſce tempus haud deeſt Patriarchæ, ut concubia nocte os Domini conſulat, atque res ſuas cum eo tranſigat. *Vidi Dominum â facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Geneſ. 32. v. 30. En fructum recurſus ad preces uberrimum, hoſpes per mille pericula denique ipſe cum ſuis in patriam rediit! inſtitit ipſe inter turbas ſexcentas antiquæ ſuæ Deum de nocte adorandi conſuetudini, nec filiorum, uxorum, aut ſervorum ullus quietem ſacram turbare audet, quin nec frater aliquid contra eum armata ſua manu tentare præſumat, niſi contra ſe pro Jacobo militantem Deum experiri velit. Dum vir ſanctus ſupremum Regem adorat, nullum habet, quem timeat. Intuere Samuelem filium precum, & electi populi ſummum Pontificem. Contra viri tanti regimen Sacrum Iſraël pene totus conſurgit, Regem ſibi dari poſtulat, baculo paſtorali ſceptrum præferens, & tiaræ coronam regiam. Quid autem rebus ſic turbatis Samuel? ad Scutum ſuum confugit, antequam quidquam aliud moliatur, cum Deo agere incipit: *oravit Samuel ad Dominum.* 1. Reg. 8. v. 6. Non cogit concilium amicorum, non cum primoribus rem tam arduam libratis pro merito rationibus diſcutit, ſolum Deum ſuper eo conſulit, & cauſam ſuam Deo cordi eſſe, quàm maximè intelligit: *Non enim te abjecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos.* Ibid. v. 7.

Aſpice ipſum Chriſtum Dominum, 343.
quid ille ſuis daturus documentum agere voluerit, ùt prædicationis munus â Deo ſibi demandatum ſuſceperat, illicò fama prodigiorum ac doctrinæ ejus Evangelicæ ubique locorum in Paleſtinæ regionibus pervagata eſt: *perambulabat autem magis ſermo de illo, & conveniebant turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.* Luc. 5. v. 15. Sed tamen munus iſtud Salvatori tam proprium ad tempus relinquebat, ut ad orationem ſe conferret: *Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat*: ibid. v. 16. Domine ſed quid interea animæ iſtæ verbi tui ſupra mel dulcis tam famelicæ, & hi infirmitatibus ſuis detenti, qui præſentiam tuam ſuſpirant, ut morbis ſubleventur? quomodo illas vel ad tempus ſolatio, & auxilio deſtituis, quomodo ſpirituali, & corporali pharmaco privas? nihil refert, de iis curabit providentia Patris, mihi autem ſecedendum, & orandum. *Secedebat, & orabat.* Non omne ſibi tempus vindicet Martha aliquid etiam tribuendum Mariæ. Lia operetur, &

ſoror

ſoror ejus Rachel contempletur. Prior magis operativa, & fæcundior ſecunda, ipſi tamen Liæ filii imò pater Jacob, Rachaelis partui ſeu orationi olim cibaria, & poſſeſſiones ſuas omnes debebunt: *Præmiſitque me Deus, ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis.* Geneſ. 45. v. 7. Interdiu docebat Chriſtus in templo, noctu orationi litabat: ita expreſſè ſanctus Lucas: *Erat diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui dicitur Oliveti.* Luc. 21. v. 37. colligebat nocte, quod de die ſeminaret, non quia ipſe neceſſe eo haberet, ſed quo nos inſtrueret, quid hac in parte agendum nobis? Saltem aliquid quotidie precationi neceſſe eſt tribuere, quæcunque premunt negotia, unum prorſus eſt neceſſarium etiam ſomni, aut refectionis virium jactura comparandum, ut vel parùm te aliis ſubducas, quo totum te Deo in oratione colendo tradas.

344. Neque hîc ulli excuſationi locus. Quæcunque aliæ occupationes diſtineant, quantumvis graves, atque etiam ſacerrimæ, ſcito, virgam Aaronis nullibi florere, niſi *coram Domino in tabernaculo teſtimonii.* Num. 17. v. 7. Ita regimen omne flores, & fructus Deo, & hominibus charos producet, ſi coram Domino ſteterit quotidie, ac irriguum ſuperius identidem per preces accerſitum obtinuerit. Patriarchæ ſuo indicit Deus: *non vocaberis ultra Jacob, ſed Iſraël erit nomen tuum.* Geneſ. 35. v. 10. nam neque miles fortis, neque luctator prævalidus, ſed orans, & contemplans Deum nuncuperis opportet. Nempe jam tempus adeſt, quo tuam proſapiam augeri neceſſe eſt: *Creſce, & multiplicare. Reges de lumbis tuis egredientur.* v. 11. alii quidem cenſerent hunc in finem magis conducere bellatoris, quàm precantis nomen. Ego verò Dominus, qui judico rectum judicium, orationem præſcribo, cui regna promitto. Orare ſciat, qui vincere volet, in ſe quidem ſit Jacob, ſeu vir fortis, vocetur tamen Iſraël, ſeu pius, ac devotus, nam ſi incenſis inter orandum affectibus luctari cum Deo noverit, etiam in prælio trophæa legere de hoſtibus ſciet: *quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.* Geneſ. 32. v. 28. Regalis virga Jeremiæ oſtenſa ſimilis erat ſceptro, ſed altera ſui extremitate oculo vigili inſtructo: *virgam vigilantem ego video.* Hier. 1. v. 11. Sine oculis, qui identidem in cælum erigantur, & Deum reſpiciant, non erit ſceptrum, ſed iners baculus. Reges erant, qui in ſtella Deum agnoverant, ſed Reges thure æquè, ac auro abundantes, id eſt non minùs precibus ac divitiis regnorum ſuorum proſpicientes felicitati: *obtulerunt ei aurum, & thus, & Myrrham.* Matth. 2. v. 11. hi nempe ſunt theſauri regii, quos profundere decet in bonum ſubditorum, *apertis theſauris ſuis.* ibid. nempe charitas, oratio, ac mortificatio per tria illa munera denotatæ. Ecce hîc juxta

amoris Dei normam etiam orationem, & pœnitentiam incedere. Rex erat David, & quidem Rex magnus bellator ſtrenuus, ac aſſiduus victor, ſed quotidie manè ſurgebat, ut cum Deo per preces ageret: *in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.* Pſalm. 62. v. 7. atque gratus agnoſceret felicitatem omnem ſuam â Dei bonitate profluere. Nec ſolùm manè, ſed etiam media nocte id inſtitui vir ſanctus ſectabatur: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* Pſal 118. v. 62. Ita orabat David, & rex erat, ac ſuppremus in regno ſuo judex, lites forenſes æquè, ac criminales decidens, dux erat exercituum pugnare, æquè, ac vincere gnarus, Pater erat, ac maritus rebus ſuis domeſticis ubique intentus, horum muniorum nullum Davidem ita diſtinebat, quin ſolus cum Deo ſolo ageret. De magno Iſraëlitici populi Duce non conſtat ex ſacris paginis, quòd multum orârit, donec gubernandum â Deo accepit Iſraël. Sed neque regimen hoc obtinuit, usque dum cum Deo loqui potuit. Regere occepit, cùm contemplandi initium fecit: *vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Exod. 3 v. 3. *& mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum.* ibid. v. 10. Poſt orationem ad Deum aſſumptus eſt Daniel ad miniſterium regni Chaldaici. Cap. 2. v. 18. 19. & 46. Enim verò, licèt multum deferendum ſit experientiæ in tractandis negotiis, plùs tamen precibus dandum, quæ omnium optimè ſucceſſum illis felicem conciliant. Ita ſenſiſſe Davidem cenſent communiter Patres, cùm dixit: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Pſal. 18. v. 3. Experientia diurna valde conducit, ut ſcias, quid die altero præſtandum, noxque una confert, ut notitiam majorem obtineat nox altera: at cùm interdiu diuturnior haberi poſſit experientia, quàm de nocte, cur regius Pſaltes experientiæ priori tantùm *verbum* poſteriori verò integram ſcientiam attribuit? *nox nocti indicat ſcientiam.* Ratio eſt, quia ipſe nocturnum tempus cum Deo tranſigebat, & expediendis negotiis vel unius noctis oratio utilior eſt, quàm multorum dierum, imò annorum hauſta experientia, nempe inter utrumque tantum intercedit diſcriminis, quantum inter verbum unum, & ſcientiam integram.

Aliquid proin temporis orando im- 345.
pendat, qui lucra in rebus ſuis magna prenſat. Ita exemplo ſuo docuit maximum Principum Exemplar Chriſtus Dominus, qui jam complendo redemptionis præſtantiſſimo operi proximus Teſte Luca ab Apoſtolis ſuis ſeceſſit, *avulſus eſt ab eis.* cap. 22. v. 41. eo ſcilicet tempore, quo vel maximè eorum conſiliariorum ſolatio, & ſubſidio videbatur indigere. Arboris evulſio â tellure fieri nequit citra violentiam, radicum ſuarum partem illa amittit, glebæ verò fruſta complura ſecum abripit. Non minor vis infertur cordi, cùm avellitur ab eo, quod amat. Sed vis hæc denique toleranda, ubi orare opportet, orandúmque

dúmque omni, qui magna in commune bonum operari cupit. Hoc est â terrenis animum avellere, ut ad cælestia, & ad Deum convertas. Lapis Nabuchodonosori visus etiam ille â monte avelli debuit, ut in montem excresceret: *abscissus est lapis de monte*, Daniel 2. v. 34. *lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* ibid v. 35. virga Aaronica neque ipsa germina sua protulit, nisi ab arbore decisa, & â terra omnino separata Dei sacrario inferretur. *Sequenti die regressus invenit germinâsse virgam.* Num. 17. v. 8. Ecce ramum siccum intra unam orationis noctem virentem! sic sceptra florent, ac fructus proferunt! ita cælum etiam prodigiis editis ostendit electos ad Divini cultus ministeria.

346. Omnia relinquere oportet, ut omnia cum Deo conferas, virginitatis glorias, & laudes prosecuturus Apostolus, virtutem tam excelsam dixit, ut nec Divinis legibus comprehendi posset, sed intra Domini consilium staret: *De virginibus præceptum Domini non habeo.* 1. Corinth. 7. v. 25. æstimabilitatem tamen inde maximam inde deducit gentium Doctor, quod vel maximè orationi virtus isthæc conducat: *porrò hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* v. 35. Nempe id dicere sufficiat, quod virginitas animum disponat ad agendum cum Deo, ubi unà pretium ipsius orationis extollere voluit, dum statui virginali, qui est omnium perfectissimus, eam propriam dicit. Notandum tamen â S. Paulo non dici Matrimonii vinculis ligato impossibilem esse orationem, sed solùm difficilem, impedimentum tamen hoc vinci potest; cùm ergò conjugium cum oratione componatur, & status conjugalis tantùm conveniat fragilitati humanæ, necessarius præterea sit ad generis humani conservationem, & ad sacramenti rationem â Christo evectus, cur Apostolus illud relinquendum suasit, solùm ideò, ut faciliùs orationi vacare quis possit? nisi una censuisset, meliùs esse sine impedimento hoc posse orare, quàm cum illo genus humanum propagare. Esse autem impedimentum orationis matrimonium Isaac docuit; nam hîc licèt tam sanctus, licèt victima Deo sacrata, & sanctitatis paternæ ex asse hæres, licèt adhuc madentes haberet oculos ex lachrymis in matris funere sparsis, ut tamen sponsæ suæ adventum vel â longè agnovit, illicò oratione abrupta in Rebeccæ occursum properavit, cúmque elevâsset *oculos, vidit camelos venientes procul.* Genes. 24. v. 63. quid igitur impedimenti in aliis inducet matrimonii status in ordine ad agendum cum Deo, si viri tam perfecti meditationem quantocyus impediit!

347. Quid autem de iis sentiendum, qui ex rationibus frivolis tantæ utilitatis exercitium negligunt, cùm Paulus etiam gravissimas præ orandi consuetudine

tudine omittendas prædicet? non est jactura major, quàm temporis orandi malè consumpti, nec tamen sentitur, aut fletu digna ea jactura censetur. Jacobus mortua Deborâ matris suæ Rebeccæ nutrice, tam copiosis illi parentavit lachrymis, ut sepulturæ locus subin dici meruerit: *quercus fletûs*. Gen. 35. v. 8. Paulò post etiam fatis ex partu cessit lectissima Patriarchæ uxor Rachel, nec tamen lachrymulæ unius fit in sacris paginis mentio, solùm dicunt: *mortua est ergò Rachel, & sepulta est in via*. ibid. v. 19. quænam hujus causa? aliqui dicunt Jacobum planctu abstinuisse in morte Rachelis puerperæ, quia marito suo Benjaminum moriens dabat, *filium dextræ*, & rarò fletibus comitamur funus testamento legantis cupitam hæreditatem. Alii censenr Jacoum Deborâ mortuâ ita fuisse orationi deditum, ut nihil caducum porrò æstimaret, superni hujus luminis ductu æterna solùm curare doctus. Non desunt, qui iter allegoricum hoc sectentur. *Rachelem* cum sancto Augustino, & aliis Patribus orationem interpretantur, Deboram matrem lactis seu hujus vitæ dulcedinis nuncupant, dicúntque, quid mirum, si tantum Jacob fleverit in morte Deboræ, & nec unam lachrymam sparserit in morte Rachelis, cùm quotidie hoc videamus contingere, amissa hujus vitæ caduca bona lachrymarum imbribus defleri, cùm jacturam orationis ad Deum fundendæ nec ex mille unus vel paululùm sentiat. Quinam gemitus non eduntur vel una gemmâ deperdita? ut hanc inveniat mulier illa Evangelica domum totam susdéque vertit: *everrit domum*. Luc. 15. v. 8. si dies unicus transeat, ubi vel sinistri quid accidat, vel res non fluat ad votum, quot querimoniæ non exaudiuntur! sed si vel menses sine prece abeant, quisnam idcircò conqueritur? Cain primo loco deflet se hac terrâ pulsum, subin Dei præsentiam sibi subtractam dolet: *ecce ejicis me hodie â facie terræ, & â facie tuâ abscondar*. Gen. 4 v. 14 infelix homo, qui terram rem inanem, & vacuam præfert pulcherrimo Dei vultui! si illius amissio tam altè aculeum figit, quid hujus jactura facere deberet? maledictio hæc fuit, & fratricidii supplicium! & istam sponte eligis, quiscunque terrenis totus defixus nunquam oculos in cælum attollis, ut Dei vultum aspicias, ut in oratione cum Deo tuo agas! vide, ne quando subin quæsieris, non invenias, vel non nisi tibi iratum invenias!

Idea

Idea LXV.

Qui nihil agit, nec vivit, nec aliquid agit!

348. TRium vitâ functorum, quos â mortuis excitavit Servator, mentionem faciunt Evangeliſtæ. Puellæ, de qua Matthæus cap. 9. v. 25. adoleſcentis, cujus meminit Lucas cap. 7. v. 15. Denique Lazari jam virilem ætatem ingreſſi, quem Joannes memorat cap. 11. v. 43. Cúm que hi, utpote vitâ, ac omni operandi facultate deſtituti nihil prorſus agere poſſent, vivis iſtos reddere Chriſtus noluit, niſi vitaliter illicò operarentur reducendo in actum potentiam illam, quam rurſus vivendo recipiebant. Lazarum jubet pedibus inſiſtere, ac ê monumento intendere greſſum eidem acclamans: *Lazare veni foras.* Adoleſcenti dicit, ut ipſe ſe â ſandapila erigat: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Et licèt puellæ manum porrexit, ut ſe ſe attolleret, textus tamen ſcripturæ habet: *& ſurrexit puella.* Quaſi ipſa propriæ actionis exercitio reſtitutæ aliena virtute potentiæ vitali illicò cooperaretur, imò alii legunt, *dixit puellæ, ſurge.* Sed ſi Dominus ipſe vitam ternario huic reſtituit, cur non etiam ê tumulo iſtos vitæ redditos extrahit? cur jubet, ut ad vitam in ſeſe erigant? quia nempe voluit, ut & vivi ipſi eſſent, atque etiam vivi aliis apparerent. Si Chriſtus mortuos ê ſepulchro extraxiſſet, videri poterant vivi, quin tamen eſſent, ſi ipſimet prodierent, inſuper vivere debebant; ideò vitam iis reddidit, & vitalem illicò operationem in vitam revocatis præſcripſit. Dein ut vivas, & aliis vivus appareas, neceſſe eſt, opereris, quò ergo aditantes viderent reverà vivere, quos Chriſtus in vitam revocârat, ideò ipſimet feretro egredi ſunt juſſi. Limo terræ, ex quo formatus Adam, inſpiravit Deus ſpiraculum vitæ, ſed non ideò vivere cepit primus viventium parens, quia paſſivè vitam accepit, ſed quòd ipſe activè reſpirârit: *& factus eſt homo in animam viventem*, alii legunt, *loquentem.* Geneſ. 2. v. 7. vixit, quando anima ejus agere occepit, aut ipſo exercitio vitam oſtendit. Niſi actio acceſſiſſet vitalis, mortuæ potiùs ſtatuæ, quàm vivi hominis fuiſſet ſimulacrum. Oſſa illa arida, quibus in campo concionem habuit Ezechiel, & vocem, & ſpiritum â Propheta acceperant: vitæ autem receptæ manifeſtum indicium unicè refunditur in oſſium motum: *factus eſt autem ſonitus prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad junctúram ſuam.* cap. 37. v. 7.

Prodigium resurrectionis aridorum ossium non constitit in eo, quòd vocem, & vitalem spiritum acceperint, sed quia vocem Prophetæ loquentis exceperint (nam ad mortuos etiam vox pertingere potest, qui aures habent, & non audiunt) & quia accepto spiritu vitæ etiam addidêre motum vitalem, *et accesserunt ossa ad ossa.* Sic ergò suscitantur mortui, ita vita verè recuperatur. Hæc non est passio, sed actio, & operatio, & qui nihil operatur, neque etiam vivit.

349. Non statuæ, sed lilio comparatur homo ex justitia vivens. *Justus germinabit sicut lilium.* Os. 14. v. 6. Imago eam formam recipit, quàm artifex dedit: quàntumvis ad vivum sit expressa, imago tamen est vitæ omnis expers: flores illi convallium in se ipsis vitam habent, & ab intrinseco augmenta capiunt: *considerate lilia, quomodo crescunt, non laborant.* Matth. 6. v. 28. Id est non laborant extra se, licèt in se ipsis elaborent niveos suos candores, & omnem quo fulgent ornatum. Si cælum etiam stellarum rorem in lilia deplueret, nisi ipsa alimentum hoc intus susciperent, nunquam ita cooperirentur prout *Salomon in omni gloria sua.* v. 29. ut ut irrigetur pluviis hortus, non tamen florebit, nisi vivant insitæ areolis plantæ, vel hortulani manus sudore suo mixtam affundat aquam, vel cæli sine labore distillent fœcundam pluviam, nec elegantiam, nec fragrantiam proferent germina, nisi aliunde acceptum liquorem aqueum variis modis intus dispescant. Vos ipsi, ad Colossenses scribit Apostolus, expoliare debetis hominem veterem, ac induere novum, nec sufficit, ut alii hoc vobis præstent: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum.* cap. 3. v. 9. item: *Induite vos sicut electi sancti, & dilecti Dei viscera misericordiæ benignitatem, modestiam, patientiam.* ibid. v. 12. Sic virtutum vestes induunt electi Dei, ipsi actibus piis contrahentes habitum, & operantes manibus suis, ut luceant propriis, non alienis operibus. 350.

Dicit quidem sponsa: *trahe me post te.* cap. 1. v. 3. cum dilecto suo loquens, at illicò subjungit: *curremus*, suam operationem addens tractioni in funiculis charitatis. Haud satis est trahi â Deo, venire etiam oportet, & pedem movere, ut accedat ad Deum. Nam illos beatorum catalogo adscribit David: *qui ambulant in lege Domini.* Ps. 118. v. 1. Quod utique actionem non passionem significat. Ire oportet, imò currere, ut coronam accipias; esse debemus ùt illi, qui in stadio se se exercent: *hi omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* 1. Corinth. 9. v. 24. & statim addit: *sic currite, ut comprehendatis.* Deus homini arma suppeditat, sed homo est, qui armis instructus pugnare, ac vincere debet: *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & galeam salutis assumite.* Ephes. 6. v. 13. Certum est, plus aliquid dicere converti ad Deum, quàm sinere se moveri ad Deum, eò te movere debes, & gratiæ datæ tuápte sponte cooperari, ut denique Deo vivas. Audi Tridentinum: *siquis dixerit,*

rit, liberum hominis arbitrium â Deo motum, & excitatum nihil cooperari . . . sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passivè se habere, anathema sit. Sess. 6. de Justific. Can. 4.

351. Dices fortè, omnia hæc vera quidem esse, sed intelligi debere de iis, qui novitii sunt in virtute, aut parùm in ista progressi, qui habent, quod inducant, atque etiam exuant, quod destruant, & ædificent, quod plantent, & evellant. Illi verò qui veteris hominis jam abjectis exuviis undique gratia, ac lumine superno collustrantur, ut unum Deum identitem contemplentur, & ad fidei lucem, quantum fieri potest in loco isto caliginoso, uti ipsi in cælis beati, considerant incircumscriptum Divinitatis vultum, istis quidem nil opus habent. Hi operatione alia non indigent, nisi ut jugiter in amore crescant Divinorum attributorum, & cælestium consolationum manna comedant, ac ambrosiam cælitùs sibi propinatam, quàm liberalissimè hauriant, id sibi occini dicentes: *comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. v. 2. Haud dubiè nemo inficiari potest, aliquos Numinis favore eò adduci, ubi dulci velut somno consopiti parùm, vel nihil porrò agant, ut eorum quivis dicere possit: *introduxit me Rex in cellam vinariam.* Cant. 2. v. 4. Ubi torrente voluptatis potentur altissima magnalium Dei absorpti contemplatione: *Nam si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Ecclesiastic. 39. v. 8.

Attamen specialis hic favor in pau- 352.
cissimos cadit, doctrinæ loco, quod singulare est, assumi nequit. Hoc est donum illud, quod nullus satis capit, nisi qui recipit; est nomen ignotum, *quod nemo scit, nisi qui accipit.* Apoc. 2. v. 17. Dulcedo illa cælestis est, de qua Augustinus l. 10. Confess. cap. 40 cùm dicit: *introducis me in affectum inusitatum, & nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, ignoro quid futurum sit.* Hæc sunt arcana Dei, quæ si percipere potuit Gentium Doctor, exprimere tamen non potuit. Talia sunt, *quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. v. 4. Quis autem erit, qui doceat, quod experti Augustinus & Paulus ignorare se dicunt, aut saltem loqui non posse? scimus scriptas ab Hipponensi meditationes, ut alios in meditando manu duceret, sed in aquisita hac cælitùs contemplandi ratione vel non voluit, vel non potuit instruere alios. Rosa non diu vivit extra rosetum, in quo sua habuit incunabula, qui aliò defert certò certiùs languorem iis affert. Delicias eas in unius Dei contemplatione defixæ mentis solùm sciunt, qui gustant, nec aliis communicantur, nisi quibus cælitùs dantur. Nec ars, nec potestas humana cælos cogere potest ad fundendas pluvias: irriguum istud superius ab uno Dei nutu pendet. Sublimis ea contemplatio ab ascetis cælesti pluviæ simillima dicitur, tam parùm itaque industria hominum acquiri

poterit, quàm parùm ipsa pluvia sic obtineri valet. Unius Dei hoc est munus, quod nulli datur, nisi cui ipse voluerit dare, hinc dicitur: *si Dominus magnus voluerit.* Etiam cælum, quod tamen sub meritum cadit, ingredi non possumus, nisi cùm Deus invitat, cùm Dominus benè se gerenti servo dicit: *intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23. Quid ergò fiet de sublimi illo contemplationis dono in hac lachrymarum valle, quod â nobis mereri posse noluit Deus? hinc sponsa dixit: *introduxit me Rex*, quomodo enim aliàs huc auderet pedem inferre.

353. Et quis tam audax, ut præsumat sacris hisce abundare deliciis! quis se eo provectum censeat, ut volatum suum ad tam sublimia extendi posse auguretur? qui sibi videatur iis virtutum ornamentis vestitum, ut primum in magno illo convivio locum prenset, & non potiùs timerè debeat illud: *amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. v. 12. Vel alterum illud: *da huic locum.* Luc. 14. v. 9. Et in tenebras ejiciatur, qui totus volebat ambulare in lumine. Satius est præstolari, ut huc te introducant, atque etiam vis tibi inferatur, ut cælestis paterfamilias jubeat: *compelle intrare.* Luc. 14. v. 23. Vallis hæc lachrymarum non honorum, sed molestiarum est ferax, cruces, non delicias in ea oportet quærere. Quis filius prodigus nisi humanum genus? omnes ergò eo nomine venimus. An osculum patris audebunt petere mille adhuc luxuriis fætentia illa labia? an non felicissimum se reputabit, si vel pedes paternos tam degener filius osculari queat? excessus amoris fuit, quod fecit misericordia motus pater, *& osculatus est eum.* Luc. 15. v. 20. Non autem effectus temerariæ petitionis. Ipsa sponsa ut ut tot virtutibus ornata, osculum hoc non audet petere, sed solùm voluit optare: *osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. v. 1. Ad quid ergò serviet id docere, quod neque explicari, neque intelligi, neque etiam sine temeritate peti potest? hujus scientiæ Magister unus est Deus, noluit tamen eam docere præceptis, sed paucis suorum illam infundere solis experimentis. Malè theoriam ejus quis indagat, quod sola praxis monstrat. Ipsa sapientia Increata ùt in hunc mundum venit, & iter ad cælum hominibus ostendit, & media illuc perveniendi omnia nobis paravit. Nec semel de contemplatione differentem quisquam audivit, cùm tamen orationis plurima & exempla, & documenta dederit.

Sed ut ut sit. Istud ipsum mysterii 354.
plenum silentium, dulcis ille animæ somnus, suspensio ea potentiarum, mira elevatio mentis, ac quies extatica, & quocunque nomine sublimior ea contemplatio veniat, meo quidem judicio neutiquam obtineri potest, nisi anima operando obtineat, nisi virtutum exercitio illâ potiatur. Facilè id probari posset, atque etiam evinci tam ê Philosophia, quàm Theologia petitis rationibus, sed cùm hominibus hisce

hiſce, ac ſcholarum placitis tam malè inter ſe conveniant, ut omnem ſcholaſticorum ſcientiam ipſi reputent ſtultitiam mundi, demus ipſis, quod Paulus Corinthiis, ac dicamus: *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudêntes in Chriſto.* 1. cap. 4. v. 10. rémque irrefragabilibus ſacræ ſcripturælocis, eorúmque, qui contemplationis favore Numinis ſunt participes facti, teſtimoniis confirmemus.

355. In veteri lege Jacobo fuiſſe hanc prærogativam ſemel, iterúmque conceſſam diffitebitur nemo. Prima vice, quando in campo dormiens vidit ſcalam myſterii plenam, quæ ſummitate ſua cœlum contingebat, parte ſui infima telluri innixa. Vidit in ea Deum, & Angelos aſcendentes, ac deſcendentes. Locutus eſt Dominus Patriarchæ, & iſte vidit Dominum, & audivit maxima ſibi, & ſemini ſuo promittentem. Quod ſi Jacobus nec verbulo vocem loquentis Domini interpolârit dormiens, ſomno tamen eo myſtico ſolutus illicò in affectûs plenas voces ora ſolvit: *Cúmque evigilâſſet Jacob de ſomno, ait: verè Dominus eſt in loco iſto.* Geneſ. 28. v. 16. Ecce hîc puræ fidei actum ipſa Dei præſentiâ animatum! *Pavénsque, quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt hîc aliud, quàm Domus Dei & porta cœli.* v. 17. Ecce alium actum timoris reverentialis, admirationis religioſæ, & amoris ſpe pleni, nec non ſenſa alia iis verbis contenta, quibus ſui cordis flammas Vir ille ſanctus manifeſtare voluit. Neque etiam continui Angelorum motus prætermittendi, quos edidêre, licèt profundiſſima contemplatione defixi in vultum Divinum, quippe qui Veritate teſte: *ſemper vident faciem Patris.* Matth. 18. v. 10. cœleſtes tamen hi genii non obſtante iſta contemplationis quiete ſemper ſurſum, ac deorſum moventur. In quo Patres Angelorum indefeſſam charitatem conſiderant, quæ dum ſummo ſuo bono quieta ſuaviſſimè fruitur, unà creaturarum Dei bonum crebra actione ubique procurat. Simile quid horum Angelorum Iſaias vidit in Seraphinis illis, qui duas alas cordis ſui agitando continuò, atque ardenter volitabant, explicabántque incenſi amoris ſpiritus, affectum ſeraphicum, & in aliis duabus alis eorum facies velabant, maximam demonſtrantes Domini ſui venerationem. Neque etiam deſunt, qui in extenſis horum Seraphinorum pennis crucis figuram contemplentur, ut ſcias ſummæ quoque contemplationi haud repugnare gratam memoriam redemptionis Dominicæ Sed in rem noſtram id potiſſimè conſiderandum, quod notanter in ea viſione Propheta expreſſit, cùm dixit: *clamabant alter ad alterum, & dicebant, ſanctus! ſanctus! ſanctus! Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus!* cap. 6. v. 3. ſic nempe alternatim illi ſe ſe ad debitas Deo ſuo texendas laudes animabant, ita actuabant ſtatum admirationis tam ſublimis, clamando alternis vicibus: *ſanctus! ſanctus! ſanctus!* ídque non cum tædio, ſed voluptate Domini ſedentis ſuper

ſuper ſolium, in cujus gloriam adoratio ea repetita cedebat.

356. Ipſe Iſaias, qui ea in viſione abſorptus utique tunc temporis donô contemplationis ſublimis dici potuit dotatus, in affectus prorupit varios, ùt contritionis ſuper culpas proprias, & indignationis contra alienas, dum ajebat mirabilia illa videns: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutis labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* v. 5. Et antagoniſtæ noſtri ſuſpirant pro oris ſilentio, & affectuum, & cogitationum ceſſatione omnimoda, quam veræ contemplationi ipſi affingunt, velut in hac nullus locus foret locutioni, operibus, deſideriis, ac cogitatis, cum interea videamus Seraphinos his omnibus fræna laxare, & Iſaiam de ſuo ſilentio dolentem: *væ mihi, quia tacui!* Sanctus Joannes Evangeliſta de quatuor animalibus in Dei, ac Agni præſentia â ſe viſis, qui undique oculis erant inſtructi ad contemplandam Domini ſupremi excellentiam, id ipſum teſtatur, quod Iſaias de prædictis Seraphinis, atque addit irrequieto jugiter fuiſſe corde, & ore ob continuam actuum ſuorum repetitionem: *& requiem non habebant die, ac nocte dicentia: ſanctus! ſanctus . . . cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum.* Apoc. 4. v. 8 & 9. Ecce hîc altiſſimam contemplationem mixtam omnis quietis experti operationi! ut ſcias, neque in cælis, neque etiam in terris locum eſſe illi contemplationi, quam aliqui Phanthaſiæ ſuæ plùs nimiò indulgentes concipiunt, ut ſcilicet ſit mera inſenſibilis, ùt ita dicam, paſſibilitas, ceſſatio pura ab omni verbo, affectu, & opere, quæ nihil omninò agat, ſed irriguum ſuperius duntaxat recipiat. Bene eſt, recipiant illi, quod Deus ipſis liberaliter communicat, ſed una etiam æſtiment, & adorent id, quod accipiunt, neque alios ſpernant, qui itidem datum bonum obtinent â Patre luminum.

357. Nec minori efficaciâ nobis inculcat affectuum exercitium altera Jacobi contemplatio, quando Deus nomen Patriarchæ immutavit: *nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.* Geneſ. 30. v. 28. ſeu *videns Deum.* Et ipſe Jacob nomen loco, ubi Deum viderat, aliud dederat: *vocavítque Jacob nomen loci illius Phanuel dicens: vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* v. 30. in hac ſiquidem contemplatione tam ſublimi, in iſta tantæ elevationis extaſi, in cæleſtibus hiſce deliciis, ubi terrenis omnibus valere juſſis ſuperna ſolùm anhelabat Patriarcha: *traductíſque omnibus, quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus.* Geneſ. 32. v. 23. in hac tantæ dulcedinis cum Deo ſuo converſatione, in qua ſi oſculum non obtinuit oris Divini, certè amplexum meruit ipſius Divinitatis, in hac, inquam, tam dulci converſatione en luctam affectuum quàm diutiſſimè productam! *& ecce vir luctabatur cum eo uſque manè.* v. 24. neque timuit inde ſuæ contemplationi detrimentum, ſed cæleſtium

ſtium benedictionum ſperavit auctarium, cúmque ipſe tam diu inſiſteret luctando, *non dimittam te*, inquiens, *donec benedixeris mihi*. v. 26. in nomine Iſraëlis obtento repromiſſionem illius conſecutus eſt, quod aliàs ſibi dici audierat: *Benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ*. Gen. 28. v. 15. quis jam ſuſtinere audeat, contemplantibus præſcribi â Deo *in actionem* illam totalem, ſeu ceſſationem ab omni actione omniúmque potentiarum immobilitatem, cùm potiùs illam contemplandi gratiam amicis ſuis communicet, ut luctentur, ac affectibus ſuis litent, ut rogent, atque inſtanter petant, ut pugnando, & reſiſtendo majores Dei favores obtineant?

358. Vix præſentiam dilecti ſui conſequitur ſponſa, cùm illicò eum tam arctè amplectitur, ut dimittere nolit, donec matri ſuæ ſeu Eccleſiæ innoteſcat: *tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ*. Cap. 3. v. 4. Quod ſi dicat ſe veluti ſopitam contemplatione dilecti ſui: *ego dormio*, illicò addit, amoris agitatione continua æſtuare ſibi præcordia: *Et cor meum vigilat*. Cap. 5. v. 2. Et cùm ſponſus dilectam ſuam dulci hoc ſomno quaſi ſepultam videt, ac filias Jeruſalem adjuret, ne illam ſuſcitent, aut evigilare faciant, eo ipſo tempore Angeli ipſam celebrant omni pigmentorum, ſeu virtutum genere refertam: mirabundi dicunt: *quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii*. Cap. 3. v. 6. Ecce ſomnum contemplationis ſponſo gratæ! non ille eſt, qui otio torpet, ſed qui in vapores pœnitentiæ ſymboli myrrhæ reſolvitur, cujus amarities dulcedine Divini amoris perfunditur, qui incenſi ſeu orationis halitum odoriferum ubique ſpargat, qui diſtillet fragrantias aromatum, ſeu pulcherrimarum virtutem in activo, eas quàm creberrimè exercendi, fervore. Neque hîc dormienti ſponſæ dicatur: dilectum præ millibus jam tenes, quid ultra appetis: illius pulchritudine jam es capta, iſta unâ modò quiete fruere! en ſummas ejus perfectiones, en omnium virtutum compendium! en ipſum creatorem poſſides, quid extra illum ampliùs deſideras! delectare unicè in hoc dilecto tuo, favores ejus recipe, os ita comprime, ut nec labium porrò moveas! non, inquam, hæc illi dicantur, cujus ut ut dormiat, jugiter cor vigilat. Probè enim illa memor eſt præcepti ſibi â ſponſo dati: *ſonet vox tua in auribus meis*. Cant. 2. v. 14. *fac me audire vocem tuam*. Cant. 8. v. 13. atque ſcit optimè non placere dilecto ſuo amorem, qui nihil operatur. Si nihil ago, vix â mortuo differo? at quomodo dicar amare multùm, ſi neque pro amato operer parùm? dum otio amoris vaco, deſidiam operationis fugio: *in me vita nulla deſidioſa, quàm cavere debet otioſa*. Aug. ſerm. 27. de verbis Domini. Ita amando & operando mereor ſponſi amplexus: *læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur*

amplexabitur me. Cant. 8. v. 3. Et licet Deus amoris mei robur celebret: *fortis est ùt mors dilectio.* v. 6. vult tamen, ut & cordis affectu, & pii operis brachio ipsum magìs diligere studeam: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ibid. En licèt amore sponsa lanqueat! licèt altissimæ contemplationi innatet! tamen operari jubetur: *pone me*, ipsi dicit dilectus, si me habere velit. Operetur ipsa, si vult, ut magna ego operer in ipsa, agat amore mei, si vivere vult in jugia more meo. Requies est dulcissima hæc operatio, sed quies ab omni opere non amor est, sed otium, desidia est, & vitium.

359. Videamus jam, an aliud quid in testamento novo occurrat? nequit concipi major annihilatio illâ, quam filius Dei factus homo primo instanti sui in mundum adventûs suscepit, quando scilicet sacrosanctæ Christi humanitati omnino passivè se habenti juncta est unione intima & hypostatica Divinitas ipsa, tunc nempe teste Paulo *semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Philipp. 2. v. 7. nec dubio locus relinquitur, quin animæ Christi sanctissimæ concessa fuerit contemplatio, omni Angelicâ, & aliâ, quæ in puram creaturam cadere possit, longè sublimior. Audiamus jam quos actus ediderit anima illa in excellentissima hac contemplatione constituta: ipsa sic loquitur ex ore vatis sui: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Psal. 39. v. 6. sic etiam Apostolus de Verbo incarnato ad litteram loquitur ad Hebr. 10. v. 5. Ingrediens enim mundum illicò se victimam Christus divino suo Patri obtulit in redemptionem hominum, illicò dixit: *Ecce venio*, ut generi humano virtutis omnigenæ & documenta, & exempla daret. Jam in utero matris culpas hominum deflere cepit, quas olim lachrymis, & ipso suo sanguine erat abstersurus. Dolor hic pro peccatis hominum primò conceptus, semper subin pectori Christi inhæsit juxta Davidicum illud: *& dolor meus in conspectu meo semper.* Psal. 37. v. 18. & sui oblatio Patri primitùs facta minimum toties, ac preces Christus subin fudit, repetita. Ubi ergo silentium illud cogitationum, quod illi contemplationis veræ Encomiastes tantùm commendant, ubi illa suspensio affectuum extatica, & ab omni actione cessatio, quam orationi contemplativæ propriam quarto modo dicunt! penitùs contrarium invenitur in suprema Christi contemplatione, quippe, qui ab initio usque ad finem vitæ suæ & plurima pro hominis salute egit, & atrocissima quæque est passus.

360. Id adhuc luculentius: Thaborem conscenderat Jesus, testésque, ac participes gloriæ suæ assumens Eliam, & Moysen, ac suorum discipulorum ternarium se ipsum in lucis imaginem transfigurat, in qua sibi ipse Pater complacuit. Visio hæc erat, qua omnes & oculis, & animis in extasin raperentur, sed tamen præsentes visioni vocem

cem cælitùs delapsam ocyùs percipiunt: *ipsum audite.* Matth. 17. v. 5. Imò Elias, & Moyses hac in contemplativa visione defixi ora solvunt, vaticinia proferunt, de charitate, passioue, & morte Christi non multò post in mundi salutem impendenda: *& dicebant excessum, quem completurus erat in Jerusalem.* Luc. 9. v. 31. Quis ergò porrò dicet non dari contemplationem sublimem inter ratiocinia affectûs, & colloquia? non posse agnitioni Divinitatis in ea misceri memoriam humanitatis Christi, passionis Dominicæ! an non extra viam errat, & aberrat turpissimè, si ab illo in ratione contemplandi desciscit, qui de se ipso dicit: *ego sum via, veritas, & vi-*
361. *ta.* Joan. 14 v. 6.

Non omittendum hîc, quod ab æterno de filio suo dixit Pater Divinus: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matth. 17. v. 5. Sed cur Psaltes regius ab æterno genitum Verbum Patris, hodie dicit genitum? *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ps. 2. v. 7. Nempe dies iste est æternitatis, hæc enim diem omnem includit. Semper Pater generat filium, quia ab æterno generat, igitur semper ad eum dicit: *ego hodie genui te.* Non autem apud Psalmistam Deus repetit complacentiam suam, quam in hoc filio habet, quia Dei operatio una est, ac simplicissima. Non tamen fuit, nec erit unquam vel unum temporis instans, quo non dedit verbo filiationem, quo sibi de filio non infinitè complaceat. Deus in una eadémque complacentia perseverat per totam æternitatem, & homo unus alterum damnabit velut rationis contemplandi inscium, si eandem oblationem voluntatis suæ per horam repetitò Divinæ faciat majestati? Filius Divinus in horto per tres horas continuas eandem orationem repetit: *& oravit tertiò eundem sermonem dicens.* Matth. 26. v. 44. Christus, & Ecclesia nobis præscribunt quàm sæpissimè iterare orationem Dominicam: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster.* Matth. 6. v. 9. Et erit, qui adhuc damnet repetitionem unius, ejusdémque affectûs?

Ipsa æternæ sapientiæ Parens, ac 362.
omnis virturis Magistra in contemplatione sua non otiosa quiete distinetur, sed perfectissimarum virtutum jugi exercitio. Vix nuncium Archangeli Gabrielis ore exceperat, ac humillimo in Divinam voluntatem resignationis actu se ipsam Deo obtulerat, cùm ecce ab altissima tanti mysterii, quantum erat Verbi Divini Incarnatio, contemplatione illicò cum festinatione ascendit in montana, ut præcursoris sanctificationem maturaret, ut cognatæ Elisabethæ tanta Domina constituta jam cæli, terræque Regina deserviret, ut pro se, & toto humano genere bonitati Divinæ debitas gratias persolveret, magnifico illo cantico, quòd â suo primordio *Magnificat* nuncupari solet, eum in finem adducto. Similia plura in Deiparæ vita Evangelistas legenti occurrent, quæ utique ê diametro videbuntur opposita affectatæ illi quieti otiosæ aliquorum contemplationis. Sinamus igitur animas, quas dono

contemplandi instructas voluerit Deus spiritu intelligentiæ repleri, sed sinant etiam ipsi, ut anima ejusmodi intelligentiæ spiritu repleta id faciat, quod minimè contrarium est contemplationi: *aperiet in oratione os suum, & pro delictis deprecabitur.* Eccles. 39. v. 7. Et quò plus talis anima hauserit de fluentis liberalitatis Domini, illud fiet, quod idem Ecclesiasticus est vaticinatus: *tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino.* v. 9. Magna illa theologiæ mysticæ magistra sancta Theresia de Jesu dicere erat solita, etiam in cælesti patria se quàm creberrimè dicturam Davidicum illud: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Ps. 88. v. 1. Ecce an contemplationi illi beatarum mentium officiat os solvere in Cantica! Sanctus Pater Ignatius in libello exercitiorum suorum Pauli tertii Bullâ confirmato, ubi de regulis orationis agit, sapienter monet: *Occurrente nobis spirituali motu ad colloquia veniamus.* Nempe amicos nos suos vult Deus, ut amanter cum ipso agamus tunc præcipuè, quando ipse plura nobis dat amoris sui signa mentibus nostris lucis, ac gratiæ suæ dona infundens, tunc enim verò tempus est in amoris prorumpendi affectus, de suis defectibus, ac negligentiis in Divino obsequio commissis dolendi, in actus variarum virtutum solvendi ora, ne simus illis statuis similes, *quæ os habent, & non loquentur . . . & non clamabunt in gutture suo.* Ps. 113 v. 13.

Concludit Doctor gentium usque 363.
ad tertium cælum raptus, ac in altissima absorptus contemplatione. *Domine*, inquit, *quid me vis facere.* Actor. 9. v. 6. Non dicit, quid me vis recipere: meum est facere, tuum mandare. Dum facit oblationis promptæ voluntatis suæ actum se ad plura alia facienda paratissimum offert, idque tunc agit, quando ipsemet testatur, nescire se, an id contigerit, *sive in corpore, sive extra corpus.* 2. Cor. 12. v. 2. Seu quando erat contemplatione sua adeò absorptus, ut omninò ignoraret, quid in se fieret. Nimirùm ipsi quoque beati in cælis minimè degunt otiosi, etiam illi potentias suas vitales exercent, non enim ex eo solùm felicissimi, quòd lumen gloriæ recipiant, sed quòd eo mediante videant, ac ament Deum, sicut nobis viatoribus lux solis non sufficit ad videnda objecta, nisi oculis simus instructi, vel illos lumini solari aperiamus, quo res ipsas videre possimus. Opus est nostra operatione, ut intellectus cognoscat, voluntas amet, quæ viderit esse cognoscenda, & amanda, qui enim nihil agit, neque vivit, neque aliquid agit.

Idea

Idea LXVI.

Ingratitudo maxima, non nôſſe eum, qui beneficiis innoteſcit.

364. DIxit quàm optimè Seneca: *Parentes non amare, impietas eſt, non agnoſcere, inſania.* 3. de benefic. Cap. 1. Qui gratus non accipit beneficium, jam ingratitudinis notam incurrit, cùm tamen ſe adhuc videt idcircò obſtrictum, fors aliquando adhuc illud rependet, qui verò nec ampliùs beneficium agnoſcit, ſemper ingratus vivat neceſſe eſt, adeoque maximam ingratitudinem committat. Oculis laborat, qui lucem fugit, ſed qui videre non poteſt, omninò cæcus eſt. Hujusmodi eſt hominum ingratitudo, ne enim ſe Dei beneficiis obſtrictos fateri debeant, eorum nec meminiſſe volunt. Quis diceret ab Apoſtolis non ampliùs agnoſci Jeſum etiam tunc, cùm ſupra mare illis occurrit, ut in præſenti periculo ſuccurrat? *vidit eos laborantes*, inquit ſanctus Marcus, *venit ad eos.* Cap. 6. v. 48 Ipſi autem, licèt verſus ſe gradientem cernant, *putaverunt phantaſma eſſe.* v. 49. Quàm phantaſtica hæc ignorantia! Chriſtus oculos habet, ut â longè videat ſuorum neceſſitates, quo remedium ſollicitus afferat, diſcipuli ejus oculos ſuos claudunt, ut beneficia ſibi conferentem nec agnoſcant quidem: Invenias homines omnia ſua pro Chriſto relinquentes, ut ipſum ſequantur, non tamen ut beneficia ſibi præſtita gratitudine debita proſequantur. Si Jeſum amant, ut ejus amore cætera deſerant, cur non ita amant, ut beneficium quoque, quod actu exhibetur, grati agnoſcant? hæc eſt nempe ingratitudo noſtra, fingit magis arduum eſſe beneficentiæ Dei meminiſſe, quàm ſua omnia pro Deo reliquiſſe; iſtud enim ſibi Deum obſtringit, illud ſe Deo. Phantaſma citiùs Deum credent, quàm ſe obſtrictos Divinis beneficiis. Uterque Joannes turpiſſimæ hujus ignorantiæ ectipon affert: Baptiſta cùm dixit: *Medius autem ſtetit, quem vos neſcitis.* Joan. 1. v. 26. Evangeliſta: *& mundus eum non cognovit.* Joan. 1. v. 10. Sed ingratitudo hæc non nihil decreſcit ex eo, quod illâ laborent, qui vel cæci ſunt, vel mirùm quantùm laborant oculis. Sed quòd in navi Petri, quòd in ſinum matris Eccleſiæ recepti ita judicent de beneficiis â Deo, â filio Dei ſibi tam liberaliter exhibitis, monſtrum eſt ingratitudinis

titudinis, & res vel maximè dolenda. Pro re nihili quàm plurimi se mundo obstrictos fateri non erubescent, pro gratiis maximis nihil se Deo debere dicent, vel fingent se nescire, quid debeant. Paraliticus triginta octo annos in infirmitate habens voce, & imperio Christi integram jam Sanitatem receperat, cúmque tanti prodigii fuerit receptio pristinæ salutis in hoc homine, homo iste nec Medicum agnoscit, qui sanitatem tam prodigiosè restituit: *is autem, qui sanus effectus fuerat, nesciebat, quis esset.* Joan. 5. v. 13. An istâ concipi possit magis affectata ignorantia? cæcúsne erat Paraliticus ille? ita sanè non corpore sed animo. Nescio quidnam intenderit Pharisæus, cùm Jesum convivam in domo sua habere voluit, id scio, quod neq; Deum neq; etiam Prophetam in Jesu videre voluerit, ne fortè eidem esset obstrictus ob favorem mensæ suæ exhibitum. *Hic, si esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum.* Luc. 7. v. 39. Sed eheu ingratitudo tam detestanda, quæ Deum, ac beneficia ejus agnoscere detrectavit, non solùm in discipulis, in paralitico, in pharisæo, & mundo solo resedit!

365. Etiam populus electus, populus tot beneficiis â Deo affectus Dominum suum nôsse recusavit, prout ipse Deus per Isaiam maximo doloris sensu queritur: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit.* cap. 1. v. 3. anne possibile, agnoscant jumenta herum suum, pugillum avenæ, vel herbæ sibi porrigentem, & Israël populus dilectus meus, cui vitam, & bona tot, ac tanta dedi, *me non cognovit?* væ populo huic peccatis suis velut densis tenebris obcæcato, ne agnoscat illum, qui est notus in Judæa Deus: *væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis!* ibid. v. 4. Et ne quis putet hæc solùm quadrare in veteris testamenti assecias, audiat sanctum Joannem Evangelistam scriptorem novi: *& omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* 1. Epist. c. 3. v. 6. certè pessima hæc Dei ignorantia non deest etiam in Christi Ecclesia, dum in multis peccatum adest. Quomodo enim Dominum cognoscit, qui offendit? aut qua fronte offendet, si verè agnoscat? sed in hoc peccatum horum factum est peccans peccatum, quia nôsse eum noluerunt, ut eò possent liberiùs in illum delinquere. De his illæ Jeremiæ querelæ: *Adulteri sunt, cœtus prævaricatorum, & extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacii... & me non cognoverunt dicit Dominus.* cap. 9. v. 2. & 3. En tot malorum rationem unicam spontaneam in cognitione Domini cæcitatem. Alibi idem Propheta: *& vastata est omnis terra.* cap. 5. v. 20. omnes corruunt, nullius pes stat in directo, quæ iterum universalis prævaricationis causa? *quia populus stultus meus me non cognovit, filii insipientes sunt, & vecordes: sapientes sunt, ut faciant mala, benè autem facere nescierunt.* ibid. v. 22. in iis, quæ mundi sunt lynces, in

in his quæ Dei talpæ. Conqueritur Christus de discipulis suis, sed magis de hujus farinæ hominibus: *tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me.* Joan. 14. v. 9. Mecum vivitis, & in me, ac de me vivitis, & tamen me non agnoscitis. Et certè si nôssent, non ita Deum suum haberent: *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 2. Cor. 2. v. 8. Timeant hi, ne in cæcitate, ac tenebris suis perpetim relinquantur, qui lumini suapte sponte oculos occlusêre. Timeant, ne si illum scire nolint, olim audire debeant: *Nescio vos.* Timeant, ne si modò â Deo benefico cum cæco illo Evangelico petere nolint: *Domine ut videam.* Luc. 18. v. 41. olim ab irato Judice in eum carcerem detrudantur: *ubi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 8. 12.

366. Terribilis sensus nostros fascinatio tenet, nam amarum sæpè dicunt, quod dulce est: *Putaverunt phantasma esse.* Marc. 6. v. 49. Ubi non occurrunt, nisi amoris illicia, finguntur nescio quæ honorum umbræ: & in quo omnis est splendor cælestis gloriæ, in eo mera luscis his apparent spectra, & terriculamenta; Jesus est, qui supra fluctus ambulat, ut sit eis auxilio, & ipsi in salo fluctuantibus oculis se credunt videre phantasma, quod magis mentem turbet. Conspexerant Dominum, ac Magistrum suum: *omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt,* & opus fuit, ut verbo oris sui Jesus meticulosos confirmaret: *Ego sum, nolite timere.* ibid. v. 30. Quod discipulis suis Christus dixit, id plurimis aliis accinere posset: *Nolite timere!* Quænam enim in me causa timoris, ubi fontem habetis omnis amabilitatis? quid illum fugitis, qui, ut vos quæreret, de summo cælo venit? venite & vos, & videte, quoniam suavis est Dominus? sin minùs, & ab eo jam discedatis, reverà habetis, quod timeatis, quæretis enim subin, & non invenietis. Qui Deum negligit, dum respicere deberet, meretur â Deo contemni, ac malo suo tradi in desideria cordis sui. Ut liberiùs cupiditati fræna laxaret, Patris declinavit conspectum filius prodigus. A Patre recessit, & â longe recessit: brevique eò miseriæ se redactum vidit, ut undique fatisceret, & exclamare cogeretur: *Ego autem hîc fame pereo.* Luc. 15. v. 17. Denique omnis consilii inops, cùm relicto patre non haberet, quem consuleret, turpissimo se mancipavit famulatui: *adhæsit uni civium regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* ibid. v. 15. O quot mortalium id ipsum accidit! nolunt hi pati jugum suave Dei Patris sui, dicentes: *non serviam,* & infamem dæmonis tyrannidem subire coguntur: *Ecce Rex vester.* Joan. 29 v. 14. acclamat illis per os Pilati justitia Dei Jesum digito monstrans, & illi reponunt: *tolle eum, crucifige eum, non habemus regem nisi Cæsarem.* v. 16. vel cum aliis apud Lucam respondent: *Nolumus hunc regnare super nos.* c. 19. v. 14. non dicunt se nolle Regem, sed nolle se Regem Deum, vel talem, quem

Deus dedit, sícque Rex eorum erit vel dæmon, vel ille, quem ipse dæmon designârit. Nullus invitatus ad cænam illam magnam se excuset, quia si officii sui jugo uno se liberet, quinque alia collo suo inducet, quæ vel denos boves fatigent. *Juga boum emi quinque, & eo probare ea.* Luc. 14. v. 19. dicit se probatum ire, quod sine ulteriori disquisitione, probum sit, nec ne, ipse jam emit, nempe delicto suo ignorantiam prætexit, certè si emptorum jugorum onus priùs, quàm emeret, suis imposuisset humeris, emisset nunquam. Unum jugum relinquit, & quàm suave illud, quod comparari meretur *jugi convivio*! quinque alia dorso suo injicit, eheu quàm gravia? unum negligit, sub quo licèt sudaret vultus, non tamen latraret venter, nam panem ministrat, imò mensam apparat. Quinque assumit, in quibus, velut populus Israëliticus sub opere lateritio, gemat, & unà fame pereat. Æquum est, ut qui cænæ interesse renuit Domini, jugum trahat quintuplicatum diaboli. Jesus præterquam, quòd suis jugum suave imponat, etiam gratiâ sua adjuvando illud facilitat, dæmon ut ut grave injiciat, gravius adhuc tyrannide sua id effecit. O jugum Divinum verè leve, & suave hominibus, quippe rectæ rationi ex asse conforme! O jugum diabolicum stolidis etiam bobus graviſſimum, quia contra omnem rationem jugiter stimulante orci domino ferendum! Ecce quorsum deveniat, qui licèt invitatus ad Dei mensam non venit! ad miserrimam nempe dæmonum famem! En quàm onus suum aggravet, qui leve onus Christi respuit! Fugit Judas â Jesu, & incidit in infelicem arborem. A Magistro recedit, qui docet viam salutis, & incurrit in dæmonem, qui ipsum ad laqueum, & inde ad inferos trahit: *introivit in eum Satanas.* Joan. 13. v. 27. cum Christo erat Apostolus, relicto Christo factus est sui carnifex, pro vili lucello non tantùm deserit, sed omninò vendit Filium Dei, & vitam, animam, cælum in æternum amittit infeliciſſimus nundinator.

Semel dilecto suo tergum obvertit 367.
sponsa, etiam vocanti, & ad cor pulsanti aures, & fores occludere ausa! sed carò stetit amanti repulsa; nam paulò post sponso destituta ingemuit: *manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſima.* Cant. 5. v. 5. Præterea: *Invenerunt me custodes . . . percusserunt me.* ibid. v. 7. Ecce omnes, quibus priùs affluebat, deliciæ versæ sunt in amaritiem, in merum absynthium, in myrrham probatiſſimam. Nec hîc finis malorum, ut omnis boni reliquit principium, â Deo suo relicta tot est plagis afflicta, ut ê digitis & manibus nihil distillaret, nisi amaritudinem amariſſimam. Inter alia hæc afferri potest ratio. Tellus cordis nostri ejus est naturæ, ut si virtutum frugem non producit, vitiorum spinas progerminet, nisi triticum verbi Divini proferat, zizania exoriatur, quæ bonam sementem corrumpat:

simul

ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Luc. 8. v. 7. Cùm non ampliùs appeterent manna cæleſte filii Iſraël, illicò ſuſpirârunt cepas, & allium Ægyptiacum, quod ex oculis lachrymas eliceret. Qui Moyſe relicto aſpirabant ad ollas Ægypti, morſibus ignitorum ſerpentum icti interière, ut alii meliora ſaperent. lege Num. cap. 11. Ita eſt, quilibet ſtat in bivio Hercules. Vel eundum ad terram promiſſionis, vel in deſerto pereundum veneno Draconis avernalis. Aut ſequi debes Moyſen electi populi Ducem, aut ipſum perſequi, ſi id placeat, mare rubrum feliciter transibis, ſi iſtud cum Pharaone fluctibus hauſtus peribis. Qui cum Loth non quæſierit in monte ſalutem, uti non quæſierunt generi, qui accepturi erant filias ejus, flammis ardebit ſulphureis. Geneſ. 19. omnes qui Noë ſalutaribus monitis ſuſdéque habitis non ingreſſi ſunt arcam, merſi ſunt diluvii aquis. Gen. 6. Primi parentes in paradiſo ex arbore vitæ nihil guſtantes, ex arbore mortis commederunt ſuam, & filiorum perniciem. Geneſ. 3. Fugit ex domo viri ſui inconſulta Agar, ſed quò devenit? in ſolitudinem, in loca deſerta, ubi fame, & ſiti cum prole crucietur. Eò miſeriæ redactam inveniens Angelus dixit: *unde venis, & quò vadis.* Geneſ. 16. v. 8. attendeſis Agar, perpende quid in Abrahæ ædibus relinquas, quid in deſerto iſto obtineas! *revertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.* ibid. v. 9. ſi durum id tibi videatur, durius tamen eſt fame, & ſiti hîc perire. Ibi Abrahamum habes, qui tibi ſuccurrat, ſi Saram experiris, quæ te affligat. In loco iſto nihil vides, niſi certam perniciem. Recogita id anima, cùm Deum pro mundo deſeris, vide quem relinquas, & conſidera, cui adhæreas, interroga te ipſum, antequam ultimatò decidas: *unde venis, & quò vadis.*

Idea LXVII.

Qui ſine Deo ſe perdidit, cum Deo ſe iterum inveniat.

368. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, eſt apophtegma magni Auguſtini. Malum te effeciſti propria culpâ, bonum efficere non vales, niſi divinâ gratiâ. Ut fieres filius diaboli, tibi ipſi ſufficiebas: ut fias filius Dei, te ipſo, ac Deo eſt opus. Niſi tu id effeceris cum Deo, ne ſperes, id Deus efficiat unquam ſine te. *Domine, quid me vis facere.* Act. 9. v.

9. v. 6. in signum animi ad Deum plenè conversi dicebat Christo divus Paulus. Ecce hîc paratissimum me auxilio tuo id agere, quod jusseris. Non peto, ut Omnipotens tua manus de me faciat sanctum, quæ olim me fecit hominem, sed scire cupio, quid velis, ut faciam ego, quod tu cupis. Ego vas perditionis me quidem feci, jam promptus sum, cum Divina gratia tua me constituere vas gloriæ, & honoris. Domine quid me in hunc finem vis facere? jube, ut exequar. Ita dicere debent omnes, ut qui se ipsos peccando destruxerunt, ac perdiderunt, gratiæ Dei cooperando iterum reficiant, atque inveniant se ipsos. Tu te feciſti corvum, nisi te columbam ipse facias, nullus faciet. Tu â Deo adjutus tibi texere debes coronam, currere ad illum debes, aliàs non coronaberis. Colonus granum frumenti in tellurem projicit, ac infra eam sepelit, sed nisi moriatur, id quod granum erat, neque in herbam, neque in aristam, & spicam abibit. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet.* Joan. 12. v. 24. Christus Saulum humi stravit, sed Saulus Dei obsecundans voluntati Paulum se fecit. Zachæo Jesus præcepit descensum ex arbore, voluitque, ut se domi suæ haberet hospitem, sed ipse gratiæ sibi oblatæ ductum secutus, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, & reddidit quadruplum illis, quos defraudavit: Luc. 19. v. 8. Ipse se fecit Christi discipulum, quia antea se constituerat publicanum. In campo constrato mortuorum ossibus, quem Ezechiel vidit, *factus est sonitus*, ipso prophetante, *& ecce commotio.* cap. 37. v. 7. sed ossa eo sonitu animata ipsa se movêre, *& accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad junctturam suam.* ibid. Ita ad vitam redit cadaver: Propheta dat sonos, spiritus sanctus insufflat: ossa tamen arida commovere se debent; ut singula apto se loco collocent. Mandatum, & potentiam ê tumulo surgendi Lazaro dedit Christus: *Lazare veni foras.* Joan. 11. v. 43. sed motum progressivum addere debuit ipse defunctus: *& statim prodiit, qui fuerat mortuus.* v. 15. Plantet Paulus, riget Apollo, det Deus incrementum, sed si planta ipsa nihil agat, nunquam crescet.

Non vult Deus Justos suos statuis, 369.
sed liliis similes esse: *justus germinabit sicut lilium.* Os. 14. v. 6. Statua nihil addit formæ sibi ab artifice datæ, lilium irroratum liquore cæli sibi ipsi est artifex, & faber felicis suæ sortis. Phœnix sibi nova incunabula format suis ê cineribus Solis flammis combustus, si mithologis habenda fides. Magdalena non stitit in malè, & peperam â se patratorum cognitione, sacrificium insuper amoris fecit se ipsam & instrumenta offensæ vertit in signa pœnitentiæ suæ: *lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat.* Luc. 7. v. 38. non dicit Paulus, venite, & induam vos pretiosis virtutum vestibus, *sed induite vos sicut electi*

Dei

Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ. Coloſſ. 3. v. 12. ſic etiam ſponſus dilectæ ſuæ: *pone me* inquit, *ut ſinaculum ſuper cor tuum.* Cant. 8. v. 8. Poterat ſponſus ipſe imaginem ſuam cordi ſponſæ velut teneræ ceræ imprimere, ſed voluit, ut ipſa id præſtaret, *pone me.* Impreſſiones enim illæ mentibus noſtris eò profundiùs inſident, quas ipſi nos impreſſimus. Filii tenebrarum non expectant, donec ab aliis coronam accipiant, ipſi ſibi hanc imponere volunt: *coronemus nos roſis,* Sap. 2. v. 7. quid facere oportebit filios lucis? ſi voluptas noxia roſas colligit, quæ deliciis hîc affluat, ut ſubin æternùm doleat, cur non pænitentia generoſa amplectatur ſpinas, licèt non nihil pungentes, ut aliquando coronam gloriæ nunquam emarcituram obtineat? Non præſtolatur impius alienam manum, ut gaudia ſua ſibi paret, & juſtus non ipſe ſibi ſacrificabit cruces ſuas, ſed Angelos ê cælo deſcendentes volet, qui illas afferant.

370. In delicioſis cæli hortis omnia florent exceptis ſpinis, ne has illuc differas, ubi nullæ ſuccreſcunt, tu, ſi ſapis, ibi eas colliges, ubi quàm plurimas offendas, ut iis non tantùm pungâre, ſed etiam compungâre. Imitâre in eo Canticorum ſponſam, quæ de ſe ipſa dicit: *meſſui myrrham meam.* cap. 5. v. 1. quilibet meſſor eſſe debet proprii doloris in hac lachrymarum valle, ubi nihil eſt niſi labor, & dolor. Ipſa Rachel contemplativa concipere, ac parere debet Benoni ſuum, ſeu filium doloris. Gen. 33. v. 28. Clarè id dixit Chriſtus, cùm ad ſui ſequelam mortales invitaret, ut ſcilicet quivis ducis ſui ardua premeret veſtigia: *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemet ipſum, tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Luc. 9. v. 23. ſemel duntaxat in canticis legimus ſine indagine ſponſæ inventum eſſe ſponſum. *faſciculus myrrhæ,* inquit ipſa, *dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. v. 3. ſed parùm duravit gaudium hoc utpote abſynthio non quæſito miſtum. Citò à ſponſa receſſit ſponſus, adeò, ut quò abierit, & ubi foret inveniendus, ipſamet neſciret: *quæſivi illum, & non inveni.* Cant. 3. v. 1. ultrò ipſe venerat, ultrò abiit, quia virtutes, quas nullo noſtro molimine obtinemus, nullo negotio iterum amittimus. Firmiores radices humi figit arbor cæli influxibus ê tellure ſuccreſcens, quàm ſi â ſtirpe ſua deciſus alibi transplantetur, hinc ubi revertitur ſponte dilectus â ſponſa ſua illicò audit: *fuge dilecte mi,* Cant. 8, v. 14. quia ſcilicet currere vult poſt veſtigia ejus, & labore ſuo obtenta retinere diutius. Proin ipſamet fatetur: *inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. v. 4.

Virtus, & ſanctitas, quibus cælum emitur, ac reſeratur, minimè 371. ſunt ùt flores agri, quæ in manus prætereuntium involant nullo labore collecti. Fodere opportet, ſi divitias has ipſi regno cælorum comparando ſuffecturas, conſequi velis. Hinc dixit

dixit Christus: *simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Matth. 13. v. 44. Non vult Deus, ut recipiamus in sinum nostrum perfectionis auream pluviam, sed, ut emamus: *suadeo tibi emere â me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Apoc. 4. v. 18. vendere vult, licèt haud carò, non tamen omninò dare gratis. Inter illos, qui convivio vel inviti accumbere debuêre: *compelle intrare*, illicò inventus aliquis unus ea sessione omninò indignus: *vidit hominem non vestitum veste nuptiali.* Matth. 22. v. 11. si symbolam suam conviva debuisset solvere, fortè digniùs accessisset, sed quia sine merito introductus est, demerito suo subin ejici meruit. Nullus tibi probè manus laverit, nisi tu ipse eas abluas: ut aris assistas dignè, ita illas lava, ut suas Moyses, & Aaron. *Lavarúntque Moyses, & Aaron, ac filii ejus manus suas, & pedes, cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare.* Exod. 40. v. 29. & fors, quia Apostoli magis lavari voluerunt, quàm lavare, ideò tam citò reversi sunt ad sordes suas. Dicat Paulus: *Domine quid me vis facere*, & ipse subin faciat, quod perfectum vult Deus.

Idea LXVIII.

Cæli stellam sequere, sive huc, sive illuc monstret iter.

372. MAgna victoria Dei recens nati relata de ternario Regum: non armis opus, sed stellis, ut capita hæc coronata videret Dominus ad pedes suos prostrata. Bethlehemi oritur Verbum Patris, & in oriente novum relucet sidus, quod Regis supremi jussu Magis iter indicit. *Vidimus* inquiunt ipsi, *stellam ejus in oriente, & venimus.* Matth. 2. v. 2. unum idémque fuit nôsse ductum cæli, ac sequi, idem videre stellam, ac venire. Ita lux obedit primæ Dei voci: *dixit Deus fiat lux, & facta est lux.* Genes. 1. v. 3. Ita creatio rerum cæpit â lucis obedientia, ita reparatio hominis ortum habuit â stella Redemptoris obtemperante jussis. Præceperat Verbum, recèns exortum sidus hoc se spectandum daret in oriente, atque illicò oriri occepit, ut Reges viderent, & in sidere Dei vocem audirent. Sed attendendum hîc, ductum stellæ secutos. Reges tam ad stabulum Bethlemiticum, quàm

quàm ad Herodis Jeroſolymitanam curiam: Neque aliâ viâ ad propria reverſos eſſe, quàm dictatâ ab ipſa hac cæli face. Ita in omnibus ſecuti ſtellæ lumen non ſolùm ipſi meruerunt videre, & adorare Chriſtum lucem mundi, ſed etiam plurimos alios ex tenebris adducere in admirabile lumen. Quòd appetas olim, ut ſtella fulgere in perpetuas æternitates, benè eſt, ſed ubi ita velit Deus etiam conculcari debes velle, ùt pulvis terræ. Hi ſunt mirabiles ductus Providentiæ ſupremæ reſpectu illorum, quos in ſuos, & Abrahæ filios adoptat. *Multiplicabo*, inquit Deus Patriarchæ iſti, *ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Geneſ. 22. v. 17. quid lucidius ſtellâ? quid arenâ deſpicabilius? at ſi, ut ambabus ſimilis fias, petas cælum, & ſtella, & pulvis, vel arena ſis oportet. Neque ſtella perennis erit, qui nec aliquando arena eſſe voluerit. Qui ſolùm lucere quærit, filius Abrahæ non fiet, ſed evadet *tanquam pulvis, quem projicit ventus â facie terræ.* Pſalm. 1. v. 4. ſi quando Deus te ponere velit inter arenam maris, quæ omnium pedibus teritur, cave ne reſiſtas, ne margaritam te ipſe conſtituas ornamentum capitis, ne, dum vel invito Deo lucere nimiùm cupis, olim projiciaris in tenebras averni. Inter cæli ſtellas ſunt aliquæ errantes, fixæ aliæ, evectæ multæ, aliæ depreſſæ. Sol occurrit, ùt luminare majus, quod præſit diei, utì & luna, ſeu luminare minus noctis præſes. Si etiam ſtella fueris, talis eſſe velis, qualem te vult Deus; nam nullæ meliùs adverſus ſtygium Siſaram decertant, quàm quæ in claſſe, ac motu ſuo nutum Dei unicè ſequuntur, illæ feliciter victorias loquentur, quæ ſunt *ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo*, hæ fauſto omine *adverſus Siſaram pugnaverunt.* Judic. 5. v. 20.

Etiam Chriſtus, ita volente æterno 373.
Patre ſuo, diabolicæ tentationi objici haud reſpuit: *aſſumpſit eum diabolus*, & hac ratione meruit obſequium Angelicum: *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Matth. 4. v. 11. Secutus eſt ductum voluntatis Paternæ Dei filius, & dæmonum ê manibus tranſit ad palmas Seraphinorum. Etiam in Luciferi manibus tutum ſe vidit, quia Dei ordinatione in illas inciderat, ſi periculum labendi potuiſſet imminere Chriſto, â propria ſolùm voluntate impendere potuiſſet. Providentiæ Divinæ ſe penitùs conformavit, & in tanti diſcriminis itinere contra avernalem draconem armatos habuit Angelicos manipulos: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Pſal. 9. v. 11. ſi Joſephus in Ægyptum non deſcendiſſet, ſi reſtitiſſet Iſmaelitis venditus, ſi mancipatum Putiphari auffugiſſet, ſi ab adultera diffamatus ſubduxiſſet ſe carceri, ſi per adverſa hæc ad ſublimia ducenti ſtellæ non eſſet obſecutus, nunquam vidiſſet eventum prophetici ſui ſomnii, nunquam factus eſſet Ægyptius Prorex. Sed in adverſis omnibus reſpexit Dei nutum, & ita obtinuit omnis

gloriæ

gloriæ cumulum. Sors tam prospera in triticeis manipulis, in stellis, sole, & luna filio huic accrescenti fuerat exhibita: *vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Gen. 37. v. 7. *quasi solem, & lunam, & stellas adorare me.* ibid. v. 9. ut ipse, & in illo nos intelligeremus, non potuisse se adorari â sole, & stellis, nisi ante se conspexisset in paleis, neque fore, ut luceret in cælis, nisi antea gemuisset in vinculis. Omnia generosè sufferenda, quæ Deus immittit, quia qui mediis â cælo destinatis refragatur, finem redditum subin impossibilem ùt plurimùm conspicatur. Iter illud tenendum, quod Deus dictat, si velis terminum attingere. firmiter tibi persuadeas, unum idémque manna esse posse panem Angelorum, & vilem vermiculum: *dimiserunt quidam ex eis usque mane, & scatere cœpit vermibus.* Exod. 16. v. 20. Inter quatuor animalia currûs divini ab Ezechiele visi illud solùm se conspexit versum in Cherubim, quod bovis figuram non detrectavit. leg. Ezech. cap. 1. v. 10. & cap. 10. v. 14.

374. Omnis vera felicitas nobis obvenire debet â Deo, prout illum in Apocalypsi vidit sanctus Joannes Evangelista: *& habebat in dextera sua stellas septem, & de ore ejus gladius utraque parte accutus exibat.* cap. 1. v. 16. Ita est, ense opus, qui noxia resecet, sanguinem eliciat, neque semper stellis coronandum caput. Per iter incedere oportet, quod voluntas Divina præscribit, etiamsi eundum per tela, per ignes, si ad osculum pacis admitti volumus, & sidera aliquando scandere. Ubi Deo visum fuerit per viam nos conducere serpentibus confertam, illam tutiùs, quàm rosas calcabimus. *super aspidem, & basiliscum ambulabis.* Ps 90. v. 13. quando obediit Jonas rectà præscriptum sibi à Deo iter legens Niniven versùs, etiam infra aquas feliciter ad littus enatavit: *& erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Jon. 2. v. 1. *& evomuit Jonam in aridam.* v. 11. cùm autem refractarius aliò vela intendit, licèt in ligno naviget remis, ac carbasis probè instructo, illicò mille naufragii, & mortis pericula adivit: *facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri.* cap. 1. v. 4. Regem se facit Absolon quando, & quomodo ipsi videtur, & locò coronæ sibi laqueum texuit, loco throni lapideum vel tumulum, vel cumulum. Arrogat sibi Judas marsupium, quo reciperentur eleemosynæ Christo factæ, & en sibi in eo furcam tanquam furi, & infernum tanquam iniquissimo proditori invenit. Volebant Zebedæi Domino inservire velut primi ejus aulæ ministri ad dextram, & sinistram supremi Principis sedentes, quando poscebat Jesus, & vestigia humilitatis, ac crucis suæ sequerentur, & en sibi dici audierunt: *nescitis quid petatis.* Matth. 10. v. 38. ac ignorantiæ notâ se meritò perstringi. Bonum adhuc ipsis, quòd malam eorum voluntatem alio Servator detorserit, & nullatenus sessionem illis parârit ad sinistram suam,

nam

nam hæc, utpote reproborum, ſupremæ illis ceſſiſſet ruinæ. Periit dives, quia immiſericors, ac ſuperbus. In ſinum Abrahæ deportatus eſt Lazarus, quia pauper, nudus, ac ulceribus plenus. Perſtitit ipſe in ſtrato miſeriarum, in quo illum tantiſper poſuerat Deus, ut illinc ab Angelis deportaretur ad æterna gaudia. Luc. 16. v. 22. firmavit faciem ſuam ille, ne vel latum unguem recederet â purpura, & ſplendidis epulis, cúmque boni genii eum non inveniſſent, ubi Deus illum eſſe voluiſſet, dæmones mali eo loco deprehenderunt, quo ad tartara transferrent: *factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Luc. 16. v. 22.

375. Oſtendit Deus Nabuchodonoſori erectam ſuæ fortunæ ſtatuam capite inſtructam aureo, pectore, & brachiis argenteis, ventre æreo, femoribus ferreis, pedibus denique ferreis, & luteis. Dan. 2. v. 23. ſed Chaldæi Regis arrogantia Divinis placitis ſe ſe opponere auſa, ſtatuam aliam ſtruxit â capite ad pedes ex puro auro effictam. *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream.* Dan. 3. v. 1. & idcircò dici ſibi audivit: *ab hominibus ejicient te, & cum beſtiis, & ferис erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes.* Dan. 4. v. 29. Noluit eſſe argentum, æs, ferrum, lutum, uti Deus ipſi monſtrârat, ſed merum aurum, & factus eſt brutum ſylveſtre, fœnúmque bovis inſtar edit. Ita Deus juſto judicio homines ſuo potiùs, quàm cæli ductui inſiſtentes in barathrum ruere permittit! qui verò manum ſupremi Patris, quacunque ducat, ùt filioli faciles complectuntur, non ſolùm ad æthereas ſedes, ſed ad ſupremam maternitatis Chriſti dignitatem pervenient, uti claris verbis Servator teſtatus eſt: *quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Matth. 12. v. 50. Et verò cæcitas maxima eſt, ut quis viæ ducem cæcum, id eſt ſe ipſum ſequatur. Omnibus dixit Jeſus, qui eſt via, & lux mera: *venite poſt me.* Matth. 4. v. 19. Etiam Seraphini trahentes Dei currum non ſuo, ſed ſupremo ſpiritu regebantur: *ubi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur.* Ezech. 1. v. 12. idcircò rectà ſemper procedebant, nunquam ſubſiſtentes, multò minùs retrò progreſſi: *nec revertebantur, cùm ambularent.* Et verò quomodo non niſi optimè progrediatur, qui cælo duce iter auſpicatur.

Idea LXIX.

Nullus finem ſuum ultimum conſequitur ſuis, ſed Divinis mediis.

376. ACceſſerant ad Jeſum Scribæ, & Phariſæi dicentes: *Magiſter volumus â te ſignum videre.* Matth. 12. v. 38. convinci volebant intellectum, ut aſſentiretur veritati: videntur velle bene agere, cùm velint intelligere, & luci approximent, ac fonti gratiæ, ſol juſtitiæ illuxiſſe videtur eis. Sed videtur id quidem, non tamen revera ſic eſt. In eo ipſo, quod illi dicunt, nihil lucis apparet, ſed meræ tenebræ. Miraculum petunt, ut ſcilicet credere poſſint: turpiſſimè errant, qui prodigia ſic profanant. Quaſi verò dari nequeat fides, ubi nullum ſignum vides. Nempe ejusmodi homines non credunt, prout debent, ſed uti volunt credere. Hinc Chriſtum non *Dominum*, ſed *Magiſtrum* ibidem vocant, eidem quidem intellectum, non tamen liberum ſuum arbitrium ſucjiciunt. Imò illi quoque videntur velle dominari, qui eſt omnium Dominus. Non enim ejus, ſed ſuum fieri volunt beneplacitum, *volumus*, dicunt, quod eſt verbum authoritatis, non ſubjectionis. Sed Jeſus quia non vult, quod ipſi volunt, quia malè, & irrationabiliter volunt, rotundè illis, quod petunt, negat, atque reſpondet: *ſignum non dabitur eis, niſi ſignum Jonæ.* ibid. v. 39. Fruſtrà nempe hi ſe torquent, illas ſalutis quærentes vias, quas Pater neutiquam præſcripſit. Prodigia illi volunt, ut credant, ut ad finem ſuum ultimum tendant, cùm tamen alia longè illis præfixerit Deus, ſcilicet filii ſui paſſionem, crucem, mortem. *Sic erit filius hominis in corde terræ,* v. 40. Generationis hujus pravæ filii multi! quot ſalutem operari quidem volunt, ſed eâ, quæ ſibi, non Deo placet, ratione! cùm tamen nemo finem ſuum ultimum conſequatur, niſi auxiliis, & mediis â Deo ſibi paratis. Etiam fidem in Chriſtum ſpondebant, qui illudentes dicebant: *ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Matth. 27. v. 42. hi credere volebant, ſi ſe adhuc vivum morti eriperet, credere noluerunt, cùm paulò poſt jam mortuum ſe ſe rurſum reddidiſſe vivis agnoverunt; hoc eſt illudere Deo, *illudentes dicebant*, ſed peſſimi hi illuſores deluſi ſunt ipſi, dum ſalute ſua exciderunt, quam non Dei, ſed ſuis obtinere mediis præſumpſerant. Nullus in inferno gemit, aut unquam gemet, niſi qui reti-

relictis viis Domini ivit, aut ibit post adinventiones suas. Lucifero Deus obtulerat Principatum inter angelicas Hierarchias, supremum ducem cæleſtis exercitûs parabat constituere: sed inter summas etiam has glorias adstare debebat throno altissimi: sedere voluit, ac in profundum infelix cecidit, dicebat: *in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo.* Isai. 14. v. 13. & illicò malè prensata sedes versa est in ferale pegma, dominium in condemnationem, solium in supplicium, ascensus in abyssum. *Veruntamen in infernum detraberis, in profundum laci.* ibid. v. 15. Ita perit, qui pro sua libidine se salvum cupit, ita damnatur, qui non aliter, quàm vult ipse salutem sibi suam machinatur.

377. Dixerat Deus Sauli: constituam te regem populi mei, Dux eris, & victor hostium per circuitum. Vindictæ gladium in manus consigno, sed quo Amalecitæ omnes pereant, ferro, & igni homines pariter, ac pecudes, & omnia, quæ illorum sunt, perdas. Ecce viam Domini, quæ ostensa est Sauli: *Non parcas ei*, claris verbis dicit Deus, *& non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* 1. Reg. 15. v. 3. Sed Saul non hanc, sed aliam elegit semitam, pugnavit quidem strenuè, vicit feliciter, debellavit Amalecitas, at non omnia internecione, prout Deus jusserat, delevit: *pepercit Saul optimis gregibus ovium, & armentorum.* ibid. v. 5. Voluit Rex infelix iter ingredi clementiæ, cùm tamen ipsi præscriptum fuerat iter rigoris, & audire debuit ex ore Prophetæ: *abjecit te Dominus, ne sis Rex.* ibid. v. 23. Quid autem in eo peccavit Saul, quòd non nihil hostibus ignoverit? quòd hostias aliquas in Sacrificium Domini reservârit? in eo peccavit, quia de via â Domino sibi indicata declinavit: mentitur Saul in collum suum, cùm dixit: *ambulavi in via, per quam misit me Dominus.* v. 20. Via Domini erat, ut Saul gratis serviret: & ille in præmium obsequii sui sibi reservabat greges optimos, quibus pepercit. Debuisset esse executor justitiæ Divinæ, & ille fucata pietate constituere se præsumpsit Sacrificiorum Præsidem. Aberravit â viis Domini, ivit in adinventionibus suis, idcircò reprobatus, & abjectus est, thronum amisit, quia non ritè Domino servivit. Vult Deus, ut per arctam viam paupertatis cælum conscendas, tu divitias sequeris, his thesauros cæleſtes nundinari paras, iter hoc tuum rectà te ducit ad perditionem. Vult Deus alium per semitam ducere spinis, & tribulis plenam, abjectione, humilitate, contemptu, & crucibus instratam, & ille honorum, gloriæ, & deliciarum vestigia ubique premit, qua ratione talis ad portam cæli deveniet? tertium invitat, ut cruce onustus conscendat Calvariam, & ille ad Thaboris delicias omni nisu eluctatur, quomodo iste finem suum ultimum attinget?

Talenta sua prout vult, distribuit, 378.
Deus, *uni dedit quinque talenta, alii verò unum.* Matth. 25. v. 15. Si qui

duo obtinuit, Deo talentis quinque voluisset deservire, perperam fecisset, uti & ille, qui quinque ejusmodi instructus donis, duo sola in servitium impendisset Domini sui. Hinc qui unum solum acceperat, quia id solo defixit, quod nummulariis tradi debuerat, in tenebras projici meruit. Potuisset cum unico lucrari unum illud, quod omnibus hominibus necessarium est, uti cum duobus, & quinque id ipsum lucrati sunt illi, qui benè negotiando duo, & quinque alia lucrati sunt. Cum uno lucrum facere noluit, & animæ suæ, ac finis ultimi detrimentum est passus. Eo passu ad felicitatem supremam cuilibet pergendum, quem Providentia Dei singulis præscripsit. Sequatur Christum Petrus usque ad mortem crucis, & Joannes maneat, ùt Deus eum vult manere. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Joan. 21. v. 22. Martha prout decet, Domino ministret, ídque sine nimia solicitudine, Maria autem nec attollendo pedem vocem Domini excipiat: *Sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius.* Luc. 10. v. 39. Et sic Soror utraque viis quidem diversis ad terminum tamen unum, eundèmque pervenient. Quid sacratius cibo cælitùs in desertum delapso? *Manhu quid est hoc?* Exod. 16. v. 15. Dicebant Hebræi. Panis est Angelorum, cibus delectamentum omne in se continens. Et tamen virulentum quid fuit illis, qui manna sunt abusi. Aliqui in diem crastinum servârunt, & locò alimenti iram sibi Moysis toties jam cædium spirantem comparârunt: *Et iratus est contra eos Moyses.* Sed quid irascitur populi Israëlitici Ductor, quòd cæli dona, quæ superant, ipsi sibi reservent! nunquid non & ipse Moyses id ipsum fecit! *sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor, & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.* ibid v. 33. Si ergò malum est asservare, cur id fecit Moyses: Sin minùs, quare illud asservantibus ipse irascitur? sed inter utramque asservationem discrimen interceßit. Mosaica tunc, & eo modo facta est, prout fieri voluit Deus: *sicut præcepit Dominus.* ibid. Sed altera facta erat contra præceptum Domini in crastinum populo servare prohibentis, adeóque meritò isti iratus est Ductor populi.

Currui suo animalia diversa junxit 379.
Deus, nimirùm bovem, leonem, aquilam, & hominem. Triumphus, ac gloria potissima animalium, ut quodvis incedat, prout vult Deus, singula currum promoveant in conspectu ejus. *Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Ezech. 1. v. 12. Si unumquodque istorum Providentiæ Divinæ placita sequatur, optimè inservient gloriæ magni Dei; id non fieret, si aquila agere vellet bovem, aut leonem, vel bos aquilam, aut hominem. Peribit bos, ubi volatum affectabit aquilæ, & pessimè verteret aquilæ rugitus leonis, aut incessus bovis: vice versa, si regia hæc avis instinctum secuta naturæ sublimia peteret, quando bovis comitari debet vestigia

stigia, non gloriæ Dei, sed suæ litaret vanitati. Quàm absurdum foret videre pedem in locum capitis subvectum, caput verò ad hominis bases depressum, ubi harmonicum quid efformant humana membra suis quæque locis consistentia. Nullus itaque recalcitret, nullus ductum stellæ recuset, illuc eundum, quò, & quà vult Deus. Si navis cursum intendat occasum versùs, licèt ortum respiciat vector, occiduas tamen attringet oras. Non eò abripi nos sinamus, quò inclinat; indoles, quò fluctus abripiunt inordinati affectûs, quò nostra nos trahit voluptas, sed illuc vertenda carbasa, unde cælestis favonius aspirat, cum sponsa dicamus Deo: *trahe me post te, curremus*, non ambulabimus viam salutis. Ita quisque inveniet finem suum, si aliter se trahi sinat, nihil habebit, nisi perdita sine fructu media sua. Aquæ Jordanis naturali suo instinctui refragatæ, ut Dei voci obsecundarent, *& tu Jordanis, quia conversus es retrorsum.* Ps. 113. v. 5. quàm optimè promoverunt gloriam Divinam, Arcam Dei seu cælestis patriæ typum suscipientes. Cæteræ quæ cursum naturæ secutæ sunt, periêre, delatæ ad mare mortuum inferni Ecclypon. Ecce quò delabitur, qui non Dei, sed corruptæ suæ naturæ instinctum sequitur.

380. In suis desideriis ac cogitatis evanescit cor hominis queruntur mannæ tædio affecti Israëlitæ: *anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Numer. 25. v. 5. Quid ergò Angelorum hoc cibo repudiato petunt hi homines? audiamus: *recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis.* Num. 11. v. 5. Pergunt illi sibi ipsis salivam movere. *In mente nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepæ, & allia.* ibid. Dignæ scilicet brutis appetitibus escæ! denique aliquid se dignius suspirant homines carnales: *quis dabit nobis ad vescendum carnes?* En gustum suum delicatuli isti præferunt gustui Dei, sed demus ipsis & *pisces* Nili, & ollas, & cucumeres Ægypti sapidiores ipsis videri pane Angelorum, nunquid omnem saporem in se uno omnium reliquorum ciborum non continebat manna? de eo certè in sacris paginis scriptum legimus: *deserviens unius cujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Sap. 16 v. 21. Nec dici potest solis justis favorem hunc specialiter fuisse â Deo impensum, non verò gulosis illis Ægyptiacas dapes suspirantibus, & contra Dominum murmurantibus, nam textus dicit: *unius cujusque* atque adeò Israëlitas omnes & singulos complectitur, & id altera vice repetit dicens: *ad quod quisque volebat.* Si ergò in manna omne id habent, quod desiderare possunt, ut quid illæ querimoniæ! ad quid suspiria! nempe id terreni homines â terra expectabant, quod â cælo venit, saporem petunt, quem ipsi appetunt, non quem dare dignatur supremus Paterfamilias. Ecce cæcitatem! en miseriam humanæ infirmitatis! sed non soli sic Israëlitæ!

multi in eadem navi detinentur alii. Sudant, ut vel panem comedant in hac lacrymarum valle! *in sudore vultûs tui vescêris pane tuo.* Genes. 3. v. 9. Ut verò panem cælestem, Angelicam dapem, quem tam liberaliter omnibus obtulit Deus, gratis accipiant, præcepto insuper divino opus est. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. v. 54. Nec tamen omnes mandato huic Dei parent. Extendet Elias manum, ut corvinam sportulam capiat. *Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes, manè similiter panem, & carnes vespere, & bibebat de torrente.* 3. Reg. 17. v. 6. Sed ut panem subcinericium comedat â cælo missum, excitari, & tangi debet manu Angeli: *Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi surge, & comede.* 3. Reg. 19. v. 3. Homines nempe sumus, nos ipsos, & nostra quærimus, quæ spiritûs sunt, & â cælo veniunt rarò sapimus. Joannem Principes Jerusalem Messiam dicent, si ipse dici voluerit: *miserunt Judæi ab Hierosolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, tu quis es?* Joan. 1. v. 19. & licèt Jesus verus fuerit Messias, & ipse Joannes testimonium hujus perhibeat, & opera, ac prodigia â Christo exhibita id ipsum loquantur, pro Messia tamen illum non accipient, nempe Jesus ex se ipso, vel Dei voluntate Messias in mundum venerat, Joannes venisset sua electione, & ipsorum petitione. Sic nulla fuit natio tam barbara, quæ Deum sibi non finxerit, licèt verum Deum cæca non agnoverit, nempe humana malitia etiam infinitam Dei bonitatem eam vellet, quam ipsa petit, non quæ esse debet, Deus enim per essentiam est, non per electionem.

Idea LXX.

Cura est Deo de omnibus, sed non unam, eandémque impendit omnibus.

381. NOn omnes cælum intrant per eandem portam: duodenario numero januas cælestis regni definiit Joannes: *& duodecim portæ.* Apoc. 21. v. 21. totitem tramites per mare rubrum apertos Israëlitis â Deo quidam docent, ut tribus singulæ alia viâ ex Ægypto â Pharaonis tyranide fugerent. Octo beatitudines numerat sanctus Matthæus, quas Dei filius patere voluit filiis hominum, beatam illam Sionis arcem ingressuris, cap. 5. â v.

â v. 3. Sanctus Lucas quatuor adducit. cap. 6. â v. 20. quia plures modos ad patriam cælestem pergendi suis ostendere voluit Dei Benignitas, ut unus isti, alter illi homini deserviret consequendæ animi saluti. Quod enim remedium est isti, venenum potest esse alteri, ac vice versa. Ut gramina crescant rigari debent, ut vites fructum proferant, suo tempore putari. Abietes inter nives, ac Boreæ frigora ad astra tollunt caput, ut citri floreant â gelu probè muniri debent. Cereum angelum oris halitus, ac digiti effingent manûs: ut marmoream statuam formes totum impendas hominem, sculpello, & malleo insuper armatum necesse est. Lux, & reliqua in rerum genesi producta, ut fierent, uno Dei jussu habebant opus: *dixit Deus fiat lux, & facta est lux.* Genes. 1. v. 3. Sed ut homo existeret ad Dei imaginem, manus, & mens, intellectus, & voluntas Dei concurrere voluêre: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Genes. 1. v. 26. Non quia his necesse habuit Artifex, sed ut sic magis commendaretur artefactum. Ut Jesus ad se traheret Petrum, & Andream, Joannem, & Jacobum unica suffecit vocula. Matth. 4. v. 8. & 21. Sed quo Saulus reduceretur, & ex persecutore evaderet Apostolus Christi, vocibus, tonitruis, ac fulminibus, quæ hominem ex equo prosternant, opus fuit. Act. 9. v. 3. Quò statione cedant dæmones ê duobus energumenis, de quibus divus Matthæus, verbulum unum impendit Jesus, *ait illis, ite.* Cap. 8. v. 32. Et illicò abeunt in pace relictis, qui ante his spiritibus infestabantur: ut verò sanaretur lunaticus ille, adhibendæ fuêre minæ, increpationes, jussa, & post hæc omnia, si denique pellitur dæmon, antea sævit in hominem, ut ferè mortuum relinquat. *Comminatus est spiritui immundo, dicens illi: surde, & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo.* Marc. 9 v. 24. Fors sæpiùs peccârat Magdalena, quàm ad ultera illa deprehensa in flagranti, & tamen priori nihil obvenit nisi favor, nihil dictum est, nisi quæ ad pacem pertinent, *fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Luc. 7. v. 50. Posteriori datur quidem licentia abeundi, sed additur monitum salutare, ne porrò delinquat: *vade, & jam amplius noli peccare.* Joan. 8 v. 11. Fortè ideò id factum, quia adultera magis terrebatur grandine lapidum, quám conterebatur magnitudine scelerum, Magdalena verò plorabat culpas, nihil curabat petras. Sed id certum, ita Jesum voluisse curare ambas, & si aliter sibi remedium illæ quæsissent, malis suis nullum aliud invenissent.

Dexteram porrexit Christus Jairi fi- 382.
liæ, dum eam â mortuis reduxit ad vitam: *tenuit manum ejus, & surrexit puella* Matth. 9. v. 25. Sed, ut Lazarum vivis restitueret, clamores, fremitus, preces, & lacrymas Dominus applicare voluit: *Jesus ergò rursum fremens in semetipso . . . voce magna clamavit: Lazare, veni foras.* Joan.

11.

11. v. 38. & 43. Animarum aliquæ cervis sunt similes, quæ non pariunt nisi tonitruum strepitu excitæ. *vox Domini præparantis cervos.* Ps. 28. v. 9. Lege Lorinum ibid. aliæ ad id moventur dulcedine vocis Divinæ : *anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Cant. 5. v. 6. Ut ad frugem redeat Petrus, sufficit unus oculi nictus: *Et conversus Dominus respexit Petrum.* Luc. 22. v. 61. Nam illicò rupta petra cordis, & ex oculis egressi torrentes aquarum: *Et egressus foras, flevit amarè.* ibid. v. 22. Ut alii convertantur ad cor, neque Christi signa, & prodigia sufficiunt: *væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in Cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Matth. 11. 21. Cæcus erat ille Jerichuntinus, cæcus itidem alter Jerosolymitanus utrobique morbus idem, diversa omninò utriusque curatio: *Dixit* (Jesus) *illi : respice: fides tua te salvum fecit, & confestim vidit.* Luc. 18. v. 42. Ut alterum curaret, *expuit* (Dominus) *in terram & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei, vade, lava in natatoria Siloe.* Joan. 9. v. 6. & 7. Una erat Aaronis, & Mariæ Moysis Sororis murmuratio, illi solùm ludibrio, huic insuper elephantiaco morbo stetit: *& ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix.* Num. 12. v. 10. Ecce hîc qua ratione operetur, ac homines curet Deus, hunc sic, alterum autem sic, omnibus curam impendens, sed non eodem modo singulis. Sicut non una morbis omnibus præscribitur medicina, ita neque culpis omnibus eadem injungitur pœnitentia. Deo relinquendus modus, quo utamur ad salutem nostram: cum Paulo dicamus crebrò: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. v. 6.

Hic gentium Doctor non cupit viam inire, quam tenuit Petrus, vel Joan. 383.
nes in Christo sequendo, sed indifferenter se offert Domino suo, ut quamcunque ipse voluerit, præscribat, sive pœnitentiæ opera dictet præstanda in deserto, sive contemplationem jubeat in eremo, sive conciones imperet habendas in plateis, sive silentium indicat in penetralibus, sivequodcunq; sui obsequium aliud â se exhiberi mandet: *Domine, quid me vis facere?* Actor. 9. v. 6. Faciant alii, quod Deus ab illis petit, ego nihil aliud efficere volo, quàm quòd â me expectari intelligam: cúmque Apostolus iste nihil determinatè pro se postulârit, indiscriminatim ut omnibus prodesset, â Deo obtinuit: hinc ille de se ipso: *omnibus omnia factus sum.* 1. Cor. 9. v. 22. Imitatores sui in eo voluit Corinthios Paulus, ut scilicet quivis se Deo ad omnia offeret, ídque sine discrimine, nihil excipiendo, nihil determinando. *Volo enim*, inquit, *omnes vos esse, sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* 1. Cor. 7. v. 7. Quilibet fungitur munere suo in curru gloriæ Dei: hic faciem leonis, alter aquilæ, tertius bovis, hominis denique quartus ostentat. Ezech. 1. Omnes

diversæ

diversæ rationis in eo conspirant, ut Divino obsequio totos se se impendant. Martha ministrans, & Magdalena plorans Christo placent, quia utraque id sedulò agit, quod ambas agere jubet Deus, licèt etiam diversa agant.

384. Ambo publicani Matthæus, & Zachæus divites ambo, unus in Apostolatum assumitur, alter inter discipulos numerari meretur: unus relictis omnibus, quæ in telonio possidebat, sequitur Christum, alter retenta parte suorum bonorum dimidia Domino adhæret, nam ipse dicit: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus.* Luc. 19. v. 8. nempe sic voluit tunc Deus, neque melius quid facere ambo poterant. Nemo crucem invideat, quam â Deo ferendam accepit alter; qui mihi placere velit, inquit Christus, *tollat crucem suam*, non alienam, *& sequatur me.* Luc. 9. v. 23. Quilibet amaritudines suas, utì & dulcedines â Deo sibi concessas prompto animo capiat, aliorum ne appetat quidem. Dicat cum sponsa: *messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cant. 5. v. 1. & sic erit Christi bonus odor. Quivis accipiat, quod suum est, nec sit sollicitus de iis, quæ sunt alterius. Persuadeat quisque sibi dici illud Patrisfamilias: *tolle quod tuum est, & vade.* Matth. 20. v. 14. Non soli Paralitico, sed omnibus applicari potest, quod â Christo sibi dictum accepit ipse Paraliticus: *Tolle grabatum tuum, & ambula*, sícque rectà omnes viam cæli decurrent. Dicat mundus cum Pharisæis suis, *non licet tibi tollere grabatum tuum.* ibid. v. 10. & crede, te non aliter, ùt decet, secuturum Christum, nisi sublato in humeros grabato tuo. Uni, velut centurio servis suis, dicit Dominus, *vade, & vadit, & alii veni, & venit.* Si prior venire vellet, ut Deo suo propior, elongabitur magìs, & si alter ire velit, ut alibi gratum quid Deo faceret, quando venire jubetur, neque is placeret Deo. Christum sequatur Petrus ad crucem usque, ita eum Servator vocat: *tu me sequere.* Joan. 21. v. 22. Joannes autem eo loco maneat, ubi vult Deus, & ita quàm proximè sequetur Deum, *sic eum volo manere.* ibid. clavibus contentus sit Apostolorum Princeps, & dilectus discipulus arripiat calamum, tu Petre me negâsti in atrio, & ille mihi adhæsit in calvario, tu uxorem domum duxisti, ille virgo in suam accepit virginum virginem: ergo in virgineo meo sinu recumbat Joannes, tribus clavis affixus ligno moriatur Petrus, ternarium hunc meruit trina in domo Annæ negatio. Tu Petre mihi servies serviendo sponsæ meæ Ecclesiæ, ille obsequium suum mihi satìs probabit Matri inserviendo virgineæ. Tu plora, amet alter, quia tu peccasti, alter in sua innocentia jugiter remansit.

385. Si Petrus ad sui conversionem esset præstolatus gratias illas, quas Jesus impendit Judæ, ut ab enormi crimine vel absterreret, vel ad meliora, postquam lapsus est, inde reduceret, adhuc

huc conversionis suæ diem non vidisset. Iscarioti Christus intinctam in cænâ ultima bucellam præbuit, amicum eum in horto vocavit, & velut Patrem suum est amantissimè complexus. Petrum, postquam ceciderat, solùm unico dignatus est aspectu, & *conversus Dominus respexit Petrum.* Luc. 22. v. 61. si non respondisset, periisset. Ut Isaias Propheta fieret, ignito calculo opus fuit: *volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Isai. 6. v. 6. Jeremiæ sufficit ad prophetandum attactus oris manu Domini factus. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me, ecce dedi verba mea in ore tuo.* Hier. 1. v. 9. In eundem finem librum vorare cogitur magnus Joannes: *Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum devorâssem illum, amaricatus est venter meus, & dixit mihi, oportet te iterum prophetare.* Apoc. 10 v. 10. omnes hi prophetæ, sed singuli diversis viis eò adducti, ut verbum Domini annuntiarent. Comedite, quæ apponuntur vobis, etiam reptilia, ùt Petrus: *occide, & manduca.* Act. 10. v. 7. nec bos famescat manna, quod licèt cibus sit Angelorum, soli paratur homini, neque leo fœnum, & paleam, ùt bos devoret: quilibet cum Paulo dicat: *Domine, quid me vis facere:* & cum Augustino, *da, quod jubes, & jube quod vis:* cum Habacuc Dei voluntatem expiscetur, *contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi.* cap. 2. v. 1. statim id faciat, quod cognoscit sibi Dei ordinatione faciendum. Ita egit Magdalena, illicò enim, *ùt cognovit*, ad Christi pedes venit vultum hominum nil morata: ad plorandum vocabat cælum, ad amandum, & cordis sui faciendum sacrificium, hæc omnia mox fecit, & quàm optimè â mundo ad Deum defecit.

Idea LXXI.

Qui citò non sequitur, ambulat in tenebris.

386. IN mundo hoc non perennant luces, imò neque in cælo. Vix orta erat lux, & tenebræ ingruerunt. *Tenebræ erant super faciem abyssus.* Genes. 1. v. 2. Divisit quidem Deus lucem â tenebris, & illam appellavit diem, & tenebras noctem, non tamen ita divisit, ut una non succederet vicissitudine alteri, *factúmque est vespere, & manè dies unus.* v. 5. Lucent de nocte stellæ

stellæ minores, interdiu iterum latent, ipse Phœbus quotidie & nascitur, & moritur, *oritur sol, & occidit.* Eccles. 1. v. 5. Ipse Dominus: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Joan. 12. v. 46. Asseruerat non pleno meridie se semper omnibus adfuturum. *Adhuc modicum lumen in vobis est.* v. 35. Hinc hortatur, ut sequantur lucem, dum habent, ne in tenebras iterum recidant: *ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* ibid. Dicere illi poterant, Domine ubi tu â nobis recesseris, accedent Apostoli, Evangelici tui luminis vicarii. Licèt ergò non sequamur illicò, sequemur posteà. Sed minimè id subin fieret; qui ad lucem solis oculos non aperit, certè de nocte eos non recludet, ut videat stellarum lumen. Qui lucem â Deo immissam rejicit, indignus est, ut lucem novam acquirat. Certum est, inquit Toletus, multos, qui Christo illustrante non agnoverunt veritatem Evangelii, cæcitate subin perpetua fuisse afflictos, *ac justo Dei judicio â tenebris comprehensos periisse.* In annotat: Attendesis lumen â cælo non venit, nisi ut illuminet, si transierit non ampliùs ambulabis in lumine, sed in tenebris. Illicò sequere, quia visitatio hæc cælestis in matutinis. Hinc Job de Deo omnes homines in hunc mundum venientes illuminante dixit: *visitas eum diluculò, & subitò probas illum.* Cap. 7. v. 18. Si adhuc paululùm cum sociis dormiisset Petrus, lucem transfigurati Magistri non vidisset: *Petrus verò & qui cum illo erant, gravati sunt somno: & evigilantes viderunt Majestatem ejus.* Luc. 9. v. 32. Dum lux adest, filius lucis pariter adsit ardor scilicet, ac in servitio divino fervor. Ita monuit Christus dicens: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Joan. 12. v. 36. Ardor enim, qui non exsurgit luce præsente, quomodo excitabitur illâ jam absente.

Fidelis æquè, ac prudens Magda- 387.
lena illicò, ùt cognovit Christum lucem mundi, ad Christum mox venit, ut tota illuminaretur, & in ejus amore arderet. Abrahæ & toti ejus domui præcepta fuerat circumcisio ab octo dierum infante usque ad nonaginta annorum senem. Ut scilicet omnes intelligerent, carnem in tempore subigendam, antequam vitia inde pullulent, atque etiam in adulta ætate non nimis eidem indulgendum, cùm semper, hîc aliquid succrescat, quod putatione indigeat. Neque etiam desperanda quantumvis inveteratæ, ac inolitæ consuetudinis correctio, ubi gratiæ Divinæ ductum sedulò sequâre. Notat autem ibidem textus, vix Deum locutum fuisse Abrahamo, cùm iste sinè mora manum, & cultrum præcepto operi admovit: *cúmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus cum Abraham.* Genes. 17. v. 22. *Tulit autem Abraham Ismaël filium suum . . . & circumcidit carnem præputii eorum statim in ista die.* v. 23. Ut promptitudo Abrahæ ostenderetur, videbatur sufficere *li statim*, ùt quid ergò additur *in ipsa die*? quia nempe haud

haud rarò, cùm quid boni operis agendum, apud aliquos hoc *ſtatim* ſtat intra longum tempus. Non ſic Abraham, qui noctem non exſpectavit, ſed ante ſolis occaſum mandatum Domini implevit. Si, quod jubet Deus, velis denique aliquando facere, cur non modò, cur non ſtatim id facis? Si tù tamdiu vocanti Deo reſiſtas, vide, ne & ipſe ad clamores tuos olim obſurdeſcat: *vocavi, & renuiſtis . . . ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Prov. 1. v. 24 & 26. Si jugiter induras lapideum cor tuum, in eum denique ſilicem obrigeſcet, qui ignem porrò non dabit, niſi æternum ſub averni incude. Nullus Deo ex inſtituto reſtitit, quin maxima ſupplicia ferret, & penitùs denique fuerit â Deo deſtitutus.

388. Dices fortè, examinari oportere ſpiritum, utrum â Deo ſit, an vocatio ſit te decens, an tuis commenſurata viribus? Itane præcipere aliud poſſit Deus, quàm quòd vel maximè creaturam rationalem deceat, cujus eſt non diſcutere, ſed exequi nutus Domini ſui? Nunquid Pharaonis erit vox, quæ te eductum vult ex Ægypto? aut Luciferi erit, cùm te ab inferno retrahit? anne Beelzebub inſperget deliciis abſynthium, vel cruces vanitati? novus hic foret ſtylus curiæ avernalis, ſi triticum niteretur inferre in horrea Domini, cùm nunquam inimicus hic homo deſiſtat bono ſemini affundere Zizaniam? hæ ſunt Satanæ minimæ curæ, ut ad bonum, quos perditos vult, incitet. Deus eſt, qui te vocat, cùm ad ſui ſervitium vocat, cùm â pompis mundi te avellit. Lumen illud ad quod vides terrenorum vanitatem, â Deo eſt, voces illæ, quæ te in deſertum invitant, ut Sodomæ flammas effugias, â Deo ſunt, non ab aſmodæo. Sequere illicò, omnis enim hîc mora periculi eſt plena. Zachæum Chriſtus jubet confeſtim deſcendere ex arbore, in quam aſcenderat, ut Jeſum videret: *Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Luc. 19. v. 5. vix hæc ille audierat: *& feſtinans deſcendit.* v. 6. ac Jeſum excepit gaudens. Et verò fructum promptæ ſuæ obedientiæ mox collegit uberrimum; nam & ablata aliis quadruplo reſtituit, & quod ſupererat, dimidiam partem pauperibus erogavit. Et hæc Zachæus fecit, ut ſacer dicit textus *ſtans* ſeu velut ex ſtapede. Ad meliora vocatus non multum ſecum diſputavit, an ea ſtatui ſuo convenirent? *ſtans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & ſi quem aliquid defraudavi, reddo quadruplum.* ibid. v. 8. non dicit, *dabo, reddam* ſcilicet cras, lapſo anno, cùm tempus advenerit ſolvendorum debitorum, quando mors ingruerit, cùm teſtamentum condam, ſed *do, reddo*, omnes hîc moras ſuſpectas meritò habens. Neque timet *meum*, & *tuum* frigidum illud verbum, neque intra ſe dicit: ſi mea tam liberaliter pauperibus diſtribuo, ex quo ipſus ego porrò vivam? quid mihi & familiæ meæ reſtabit, ut decenter

center alamur? quid filiis, & hæredibus meis olim obveniet? similes laqueos Diaboli generosè præcidit, qui alacri saltu ad primam Christi vocem ex ficulnea in terram se demisit. Sciebat nempe Christum omnibus benefacere, sed velut transeunter, ac per transennam. *Pertransiit benefaciendo*: Act. 10. 38. timebat, ne sibi contingeret, quod Canticorum sponsæ: audierat hæc amantis sui vocem ad cor sibi loquentis: *vox dilecti mei pulsantis.* cap. 5. v. 2. dum consilia miscet, qua ratione aperiret, qua veste se indueret, sponsus transiit, *at ille declinaverat, atque transierat.* v. 6. quid adhibes consultationem, ubi Deus ipse præstat cautionem? en veritas dicit, *qui me* scilicet vocantem, *sequitur, non ambulat in tenebris.* Joan. 8. 12. ut amorem Abrahæ probaret Deus, filii Isaaci immolationem imperat. Patriarcha susdéque habitis, quæ aliquam saltem moram difficilis imperii suadebant, & minimè defuerint, motivis, de nocte consurgit, cultrum arripit, victimam secum trahit, iter suum ocyùs carpit, *igitur Abraham de nocte consurgens.* Genes. 22. v. 3. & triduum integrum regionem circuit, ut monstrandum sibi, in quo sacrificium debebat immolari, montem detegat, qui ab aliquibus fuisse dicitur Calvariæ mons (vide Delrium hîc) ubi hunc vidit, cum jumento, quod ligna ferebat, servis subsistere jussis, trahens victimam suam ipse ascendit: *exspectate cum asino, ego, & puer illuc usque properantes, postquam adoravérimus, revertemur ad vos.* ibid. v. 5. quod jumentum subsistat haud mirum, cùm nihil brutis opus, ubi adorandus Deus. Sed cur ibi iubentur reduces præstolari dominos suos famuli, cur non & ipsi montem conscendunt? nempe omnem occasionem præcidere voluit differendæ executionis Divinæ, quam moliti essent haud dubiè servi, vel compassione Isaaci, vel indignatione Abrahami innocuum filium occidere parantis. Neque testem suæ obedientiæ vir sanctus alium voluit, quàm Deum, neque etiam fidebat rem tantam iis, qui juxta carnis, & sanguinis dictamina de ea judicium tulissent, hinc probabile, neque Saræ fuisse manifestatam, quia sacrificium filii unici videtur fuisse supra vires materni pectoris, ut ut virtute mascula armati. Etiam Apostoli, Petrus, & Andreas â Domino vocati *relictis retibus secuti sunt eum.* Matth. 4. v. 20. & quidem nulla interposita temporis capedine, nec vale supremo dicto parentibus, ac consanguineis suis. Idem ferè dicitur de Jacobo, & Joanne, nisi quòd patris etiam relicti in sacro textu explicita fiat mentio: *relictis retibus, & Patre secuti sunt eum,* v. 22. Ne fortè, si patrem ante consulerent, moram aliquam ille injiceret, vel quia vocationis negotium tale est, quod nequaquam debeat transigi cum carne, & sanguine. Optimè rem hanc intellexit cæcus ille apud divum Lucam, qui gnarus transire Jesum post eum clamavit illicò, quidquid aliqui impedirent. *Et qui præ-*

ibant, increpabant eum, ipse verò multò magis clamabat. Luc. 18. v. 39. Metuebat enim, ne post hæc foret occasio calva, si eam non illicò cæcitati suæ adhiberet, quæ sponte sibi fuerat oblata. Elisæus ab Elia ad prophetandum vocatus, non solùm aratrum, & duodecim boum juga confestim reliquit, ut vocantem sequeretur, sed etiam cursu usus est, ut ipsum assequeretur: *Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Reg. 19. v. 20. Cursus hic, ac sequendi promptitudo Elisæum fecit alterum Eliam.

389. Neque dicas iterum, qui citò resolvit, sera resolutionis festinatæ non rarò pœnitudine capitur. Sed mihi quoque dicas velim, quis ille in hoc orbe diutiùs viventium, quem non aliquando rei cujuspiam pœnituerit? volésne Baptismum negare alteri, quia forte tentatione pulsatus ipse vellet non promisisse in hoc salutis lavacro plenam legis Divinæ adimpletionem? omnis generis homines aliquando tergum obvertunt Deo, & ii, qui serò, & ii, qui citò Deo vocanti manus dedêre, ambos etiam punitos videmus, non ideò quia secuti sunt Christum, sed quia turpiter ab eo desiverunt. Licèt Judas prodiderit Magistrum, non tamen inficiari potest, vocatum eum ad Apostolatum. Quot jam ardent in orco, quia ab Evangelii placitis defecêre, licèt & illos ad cælum invitârit Servator! ad cænam & ille invitatus, qui ob vestem nuptialem virtutum neglectam sibi intonari audivit: *mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. v. 13. De cælo factus est clamor media nocte ad nuptias agni vocans virgines tam prudentes quàm fatuas. Sed quia hæ serò clamori aures dedêre, subin terribilem eam vocem excipere debuêre: *nescio vos.* Matth. 25. v. 22. Neque est, qui ignoret illam terroris plenam Christi sententiam: *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. v. 16. Non omnes, qui respondêrunt vocati, eo ipso electi, quia in vocatione non omnes perseverârunt, sed eorum qui vocati non respondêre, electus nullus. Ne ergò differas eò cor inflectere, quò vocaris, ne partum tuum in annos procrastines, uti de Elephantis dicitur. Imitare exemplum Abimelechi, qui audita voce Dei alienam mulierem illicò Domino suo intactam restituit: *statimque de nocte consurgens Abimelech.* Genes. 20. v. 8. Intentatam quidem mortis pœnam ille timebat, sed etiam tibi fors minatur Deus, vide ne eousque renitaris, donec ille ictum vibret. Non tamen semper tonitruis, & fulminibus terret cælum: vocem sæpe emittit etiam suavem: *Et post ignem sibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. v. 12. Si negligis sonum hunc, alibi se insinuabit, nunquam enim Deo potest deesse, quem vocet, uno cadente hujus vocis sibilo surgit alter.

390. Crassa fuit Caini ignorantia censentis Abele cæso solum se in Sacrificiis, ac victimis oblatis Domino placiturum, & ideò *consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum*

eum. Genes. 4. v. 8. Credebat infelix Dei oculos respecturos in oblationes suas, si oblata Abelis deficerent pinquiora suis. Sed hisce non indiget Deus, qui ex lapidibus suscitare potest filios Abrahæ. Caino facto vago, & profugo super terram Abeli Sethum Dominus substituit: *posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel quem occidit Cain.* ibid. v. 25. Incipiebant nasci gemelli duo Phares, & Zaran, iste jam brachium extenderat in auram mortalem, cúmque vinctum se coccino sentiret, seu legi sanguinis, & crucis adstrictum, quæ rubro eo ligamine præfigurabatur, velut cogitare cæpit, an commodis uteri materni relictis prior egredi deberet ad præripienda fratri suo primogenita, quibus in progenitorum Filii Dei catalogo poneretur? dum secum deliberat, dum manum retrahit, Phares nascitur, & primogeniti palmam, quam alter jam manu tenebat, eidem surripit. *Illo verò retrahente manum egressus est alter.* Genes. 38. v. 29. Quanti stetit exilis mora! Zaran vocatus prior non venit, & en Phares illicò dixit: *Ecce ego!* quot vocationem gratiæ incassùm cedunt, vel ob fugam crucis, vel ob nimium ad parentes, & commoda sua affectum! obsequium Creatoris sui negligant Chananæi, & pro opimis, & optimis terræ suæ omnium bonorum largitori Deo grates debitas haud retribuant; Abrahamum telluris Dominum constituet Deus, qui gratum se, & hisce dignum beneficiis exhibebit: *dabóque tibi, & Semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Gen. 17. v. 8. Ita accidit terræ colonis, qui canonem suo tempore pendere sunt tergiversati: *vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Matth. 21. v. 41. Ita quoque in regno cælesti res se habebit assertô Christi: *auferetur â vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* ibid. v. 43. Sciat Lucifer Deo arroganter rebellis, non defuturum Michaëlem, qui ejus vices examussim impleat in obsequio Dei, & si draconis cauda sedes æthereas fastuosè respuat, aderunt homines, qui illas humiliter ambiant. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Luc. 2. v. 52. Heli munere suo non ritè defunctus est, & Samuel ocyùs ipsi substitutus. Saul in obediens se ipsum perdidit, & David in omnibus Deo obtemperans imperium illius obtinuit. Mereri non voluit Adonias, sed invadere solium patris, & ea ipsa die illud scandit Salomon. Contra Jesu regnum cum Satana conspirat Herodes, & ecce Magi ab oriente recèns natum infantem velut Deum suum humiles adorant. Judas ex infelici ligno se suspendit, & Episcopatum ejus accipit alter. Ingrata Synagoga Messiam suum non agnoscit, nec recipit, & en Jerusalem nova descendit de cælo sancta Christi Ecclesia, quæ sponso suo fidelis adhærebit usque ad consummationem sæculi. Denique cùm in cælo sol disparet, luna adest, & minorum siderum

Chorus

chorus, qui Phœbi abſentiam penſet. Attendat quivis ſibi, ac muneri ſuo, ne ipſo abjecto alter mereatur Numinis favores, ſciat Amygdalo nunquam deeſſe flores, niſi cùm ditari fructibus incipit.

Idea LXXII.

Qui ſerò venit, non venit.

391. ETiam fatuæ virgines denique attigerunt ſponſi fores, ſed quia ſerò illas attigerunt: *Clauſa eſt janua.* Matth. 25. v. 10. Nunquam hactenùs admiſſæ ſunt, nec porrò admittentur ad nuptias Agni. Nam ſi illæ jugiter clament: *Domine, Domine, aperi nobis.* ibid. v. 11. Ille continuò reponit: *neſcio vos.* v. 12. Si ubi factus eſt ſponſi clamor, virgines iſtæ veniſſent, cæli portas & ipſæ cum prudentibus ingredi meruiſſent, ſed quia fatuæ hæ ſerò venerunt, excluſæ ſunt utì illæ, quæ omninò non venerunt. Non ſic Magdalena, *hæc ut cognovit, quòd Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti.* Luc. 7. v. 37. Lampadem illa ſuam jam parârat, quam ad Chriſti pedes effunderet, & lacrymis oculos jam implêrat, quibus Servatoris plantas rigaret, atque unà culpas ſuas elueret. Illicò venit, ut Jeſus accubuit, nihil verita Phariſæi ſupercilium, quod utique ſperneret mulieris inter convivalia hilaria planctum, qui jam deſpexerat publicani in ſacratis abditis cor contritum. Dum vocatur gratiæ impulſu, confeſtim ſequitur, ne vel momento deſit gratiæ vocanti, quæ ſi præteriri ſinatur, fors nunquam redibit. Vix triclinium intrat, & jam operi ſuo accingitur, ac divinæ vocationi ſedula cooperatur. *Ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.* ibid. v. 45. Redibat in patriam curru ſuo vectus Candacis Reginæ Æthiopiæ Eunuchus Iſaiam legens. Eidem Angeli monito Philippus jungitur, oblatáque Prophetæ ex textu occaſione, Chriſtum Æthiopi annunciat, ad fontem promotus erat currus, dum de lavacro regenerationis verba faceret Apoſtolus, & Eunuchus boni ſpiritûs impulſu mox baptiſmum expetit, dicítque: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.* Act. 8. v. 36. Cúmque reponeret Philippus: *ſi credis ex toto corde, licet.* v. 37. Alter illicò, omnibus præciſis moris: *juſſit ſtare currum, & deſcenderunt.* v. 38. Cur tanta hîc feſtinatio, ubi nullum videtur in mora periculum? an deerunt in Ægypto aquæ, ubi Nilus exundans agros, & campos eluvio fœcundat? cur

cur viri tam potentis non differtur baptismus, ut exemplo suo gentiles trahat, sed hæc, & hujusmodi Eunuchum non morantur, quis enim vadem se constituat, in Ægyptum illum perventurum, aut si pervenerit, ibi quoque ei adstiturum Philippum. Animi negotium non est tantilli momenti, ut contingentiis exponi debeat. Jam intra se Æthiops dicebat, me cælum ad se vocat, jam salutarem propinat aquam, jam Philippi auxiliarem manum porrigit, jam balneo salutis mergi oportet: *jussit stare currum, & descenderunt.* Et verò nisi festinâsset, serò nimis descendisset, paulò post ex oculis repentè sublato Philippo: *& amplius non vidit eum.* v. 39.

392. Media nocte Angelus pastoribus nunciat natales Domini, & mox illi diem haud præstolati Bethlehemum se conferunt: *& venerunt festinantes*, & quia quàm citissimè venerunt, *invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio.* Luc. 2. v. 16. viderunt in oriente stellam Reges Dei recens nati lucidum, ac luculentum indicium, & illicò arduam, & longam ingressi viam venerunt, quò Deus illos vocabat: *vidimus stellam ejus in oriente, & venimus.* Matth. 2. v. 2. *vidimus, & venimus*, sícque viderunt, & invenerunt *salutare Dei.* Vidimus in oriente, dum oreretur admirabile Lumen, neque exspectant, donec attingat meridiem, multò minùs donec ad occasum lux ista promoveatur, & susdéque habita ratione omni politica stellæ ductum sequuntur. Et tu postquam Sol justitiæ non solùm est ortus tibi, sed etiam pro te in cruce occubuit, adhuc iter ad ipsum toties vocatus procrastinas? attendesis, ne fortè sol iste porrò tibi non oriatur, ne stella tua æternùm occultetur. Ad tempus Magis disparuit, dum in aula Herodis non nihil morarentur, & tu eam tibi rursus promittes in medio Babylonis jugiter subsistens? omnes ii, qui prætensis frivolis excusationibus ad convivium ire detrectârunt, nunquam ampliùs illi intererunt: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam.* Luc. 14. v. 24. fortè etiam nemo illorum excludi æternùm voluit cænâ illa, sed solùm tunc, quando suis negotiis distinebantur: forsan subin & ipsi illi intromitti rogârunt, sed frustrà: dictum enim illis: *tempus non erit ampliùs*, & in omne ævum deplorabunt stultitiam suam cum iis, qui dicebant: *ergo erravimus â via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis.* Sap. 5. v. 6. miseri hi ex malis antecedentibus admissis in vita ista, bonam deduxêre consequentiam in altera; sine dubio errârunt, & sponte errârunt â via veritatis, idcircò perierunt, quia præ veritate secuti sunt vanitatem, & insanias falsas. Non dicunt: *lumen justitiæ non luxit*, sed: *non luxit nobis*, illi enim præ luce amârunt tenebras, colligere voluêre rosas, non sequi stellas divinas, dúmque nolebant, ut eos præteriret vel unus flos agri, plurimas

plurimas calcârunt cæli luces, útque bonæ sortis invenirent sidus oculis in terram brutorum instar defixis, nunquam invenerunt cæli astrum, quod eis ad Deum monstraret iter. Ad solis lumen disparet lux reliquarum stellarum; qui ducunt in bonis dies suos, cæli stellas nunquam vident. In aula Herodis illicò se subduxit astrum orientis, strepitu aulæ decedat necesse est, qui rursus invenire cupit amissum sidus. Petrus etiam solis sui lumine orbatus est in atrio Palatii, negans se illum nôsse: *Petrus verò sedebat foris in atrio.* Matth. 26. v. 69. *at ille negavit coram omnibus dicens: nescio, quid dicis.* Secutus quidem antea fuerat lucem suam, sed procul: *sequebatur eum â longè.* ibid. v. 58. cur autem *â longè*, nisi quia serò insequi cæpit, si enim vinctum ab inimicis suis Dominum illicò insecutus fuisset Petrus, â longè illum non fuisset secutus.

363. Necesse proin est recedere â sole mundi hujus, & â gloriis ejus, vel maximè enim lumen istud officit cælestium stellarum luci, qui splendoribus hisce fascinatur: excipere non potest favores cæli, neque ambulare in splendoribus sanctorum. Avertendi oculi corporis, ne videant hanc vanitatem, & aperiendi oculi mentis, ut conspicentur lucem Empyrei. Citò sequere stellam, quæ te ad Jesum ducit, ne si tardaveris Eclipsin interea patiatur, vel omnino evanescat. Anima justi ita esse deberet, prout in Canticis describitur, semper in lumine ambulans, cum luce jugitur progrediens: *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ùt luna, electa ùt sol.* Cant. 6. v. 9. Auroræ sit similis, qui in horizonte lumen spargit; luna sit, sed pulchra, & plena in diebus suis, quæ etiam de nocte fulgeat. Denique solem se præbet, cujus radios neque integri nubium absorbeant greges. Sic, quocunque tempore sponsus veniat, lucernis ardentibus ejusmodi animam instructam inveniet. 394.

Et verò cùm Deus vocat omnium Dominus, quid cætera omnia morari possunt, ne vocem Dei sequâre. Daniel in palatii profani meditullio, ut Deo adhæreat, mensam Regiam, & aulæ delicias tenuissimo victui posthabet: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* Cap. 1. v. 12. Publicanus in templo sonoris pulsibus arietabat pectus. Magdalena ex convivio balneum adornat, cùm lacrymis suis innatans totam se lavat. Inter blasphemias militum, ac perversi socii bonus latro oratorium fixit, ubi filii Dei innocentiæ testimonium, & fidei Evangelicæ præconium redderet. *Hic verò nihil mali gessit.* Luc. 23. v. 41. Moyses inter Curiæ Ægyptiæ pompas invenit opprobrium crucis Christi, idque coronæ regiæ præfert. *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis.* Hebr. 11. v. 24. Inter Sulphureas flammas obscenæ Sodomæ Lothus Lilium integritatis suæ tam illibatum servat, ut eos ipsos Angelos, quos Abraham paulò ante fuerat hospitatus, & ipse domi suæ habere meruerit hospites: *compulit illos, ut diverterent*

diverterent ad eum, ingreſiſque domum illius fecit convivium. Geneſ. 19. v. 3. David in quietis ſuæ lectulo non tam ſomno, quàm planctui litabat: *lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſ. 6. v. 7. & generoſa Judith ſub tentorio Holofernis ea agebat, quæ alii in ſacro odæo: *ſtetítque Judith ante lectum orans cum lacrymis.* Cap. 13. v. 6. Quis jam dicet in aulis, & palatiis non eſſe locum pænitentiæ, & aliarum virtutum actibus? etiam in hortorum deliciis aromata, & lilia colligit ſponſus: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat?* Cant. 6. v. 1. Ipſe ros cæli, qui campi floribus ſuperfuſus ad primos ſolis radios evaneſcit, oceani fluctibus exceptus in margaritum coaleſcit, ubi aptam concham invenerit: In convivio uno Chriſtus ex peccatrice facit pænitentem, in altero ex aqua vinum, in tertio ex Levi Matthæum: *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua.* Luc. 5. v. 29. Nullus cauſetur locum, aut munus, ubique ad eſt Deus, & vox ejus undique reſonat: *ſpiritus ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis unde veniat, aut quò vadat.* Joan. 3. v. 8. Sed attendeſis, ſi vocem hanc non audis, quando venit, neque vocantem invenies, quia neſcis, quò vadat.

Idea LXXIII.

Rarus Phœnix, qui vitam inveniat in morte.

395. RAriſſima avis Phœnix, ſi quis in his terris Phœnix. Notitia volucris iſtius videtur filia potiùs credulitatis, quàm viſûs. Aliqui dari Phœnicem credunt, aliqui dubitant, multi negant, fortè nullus vidit. Tam difficilis habetur tumuli mutatio in incunabula, & mortis in vitam. Idem ferè indicare voluit divus Joannes, cùm dicit: *& primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.* Cap. 19 v. 32. Si unum primum vocat, cur alterum ſecundum non dicit? ratio eſt, quia primus fuit bonus latro, qui ex mala vita in bonam mortem incidit, nec in eo fortè ſecundum habuit, certè in ſacris paginis vix invenietur, qui in tota ſua vita nequam repentè in morte factus ſit probus præter latronem unum, cui omnis ſanctitatis author Dei filius unà moriens id clementiæ ſuæ prodigium impendit. Hinc Bernardus in ſcripturis utique probè verſatus: *ſi benè memini,* inquit, *in toto canone ſcripturarum unum latronem invenies*

nies ſic ſalvatum. Serm. 38. ex parvis. Et verò ut crederetur ſic ſalvatum, veritas ipſa id teſtatur, & interpoſito juramento id teſtatur: *Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23. v. 43. Ego qui ſum Deus omnipotens, in nictu oculi ex lapidibus ſuſcitans filios Abrahæ, id dico, & tibi dico, qui die quapiam Matri meæ in Ægyptum mei causâ ſecedenti promptum obſequium præſtitiſti: tibi dico, qui me vivorum, & mortuorum Judicem ſupremum credidiſti, etiamſi me in hac cruce damnatum videris, nec unquam ante doctrinam meam, aut patrata omnis generis miracula luculenta Deitatis meæ teſtimonia tuis oculis hauſeris: tibi dico, qui gratiæ â patre meo tibi in hoc rerum articulo impetratæ illicò reſpondiſti: tibi dico, qui innocentiam meam, cùm eam omnes criminantur, tu ſolus defendere es aggreſſus, *hic autem nihil mali geſſit.* ibid. v. 41. Tibi dico, qui palàm ſcelera tua fateris, atque corde contrito ea deteſtaris, infamis ligni opprobrium in eorum ſatisfactionem patienter tolerans: *Et nos quidem juſtè: nam digna factis recipimus.* ibid. Tibi dico, qui zelo honoris mei ductus Socieni tui ſceleſtam in me linguam comprimis: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* v. 40. Tibi deniq; dico, qui dum Petrus me negat, diſcipuli mei ſuum Magiſtrum deſerunt, hoſtes mihi inſultant, Dominum me tuum fateris, & æternæ tuæ ſpem ſalutis in me uno reponis: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* v. 42. Et hoc tibi dico *hodie*, ſeu die mortis meæ, die gratiæ, die exaltationis Nominis mei, die qua una mecum in cruce obis, qua pro te Mater mea preces ſuas interponit. Ecce! an cauſam habuerit divus Joannes latronem hunc vocandi primum, *& primi quidem*, nec tamen eidem adjungendi ſecundum, & Mellifluus dicendi: *unum latronem invenies. unus fuit teſte Auguſtino*, ut omnes intelligant pretium Sanguinis cuique fieri poſſe in ſalutem, modò ipſe prout oportet, ad frugem converti velit: *Agebat myſterium, qui fundebat pretium: in latrone demonſtrans nullum impium converſum poſſe perire.* Tom. 10. L. 2. De ſymbol. ad Cathecum: cap. 6. Addítque converſionem hanc fuiſſe inter Chriſti prodigia referendam: *videte Dominum in ipſa morte miracula facientem! tunc latro confitebatur, quando Petrus turbabatur.* Miraculum hoc fuit vitæ malæ conferre mortem bonam. Unus fuit, qui id impetravit, ne ſcilicet in deſperationis barathrum ſe ſe immergant cæteri: *non deſperet malus de multa malitia.* Sed unus ſolùm dicitur tam miraculosè in vitæ articulo â malo ad bonum reverſus, ne ſecundus præſumeret id quoque miraculi ſibi occurſurum.

Audiamus iterum de hac re Melli- 396.
fluum: Pſalmum conſiderat decimum quintum, ubi Deus de impiis queritur tunc ſuam emendationem feſtinantibus, cùm morbis eò redacti ſunt, ut mala ampliùs patrare nequeant: *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſteà accelera-*

accelerâverunt. Pſ. 15. v. 4. Notat autem â Domino non dici neminem eorum ſalvandum, cum dicit: *non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus.* ibid. Sed non ſalvari multos, ita enim loquitur ſanctus Doctor: *qui in ſanguine perſeverant, donec multiplicatis infirmitatibus deſerantur â peccatis, antequam deſerant ea, non magna talium conventicula congregabo.* Serm. 38. de parvis. Subjungit verò ibidem Deus, ídque per os ſuum juramento confirmat: *nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Quod Lorinus idem ſonare dicit: delebo eos de libro vitæ. Ut proin videas, in genere moris quoque quemadmodum in rerum natura vix dari phœnicem avem, quæ in morte vitam inſtauret. Et verò ſi in vivis nullatenus volucrem iſtam imitaris, quomodo redactus ad extrema veſtigiis ejus inſiſtes? vitam ducere laſcivæ columbæ ſimillimam, & vitæ finem exſpectare caſto Phœnici congruum ſperari temerariè quidem poteſt, citra prodigium obtineri haud poteſt. Oraculum Auguſtini eſt toties inculcatum, & nunquam ſatis formidandum ab iis, qui in peccatis ducunt dies ſuos: *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: quæ â moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur.* Tom. 10. Serm. 57. de temp. Serò oculorum uſum obtinet, qui cum talpis tunc eos aperit, quando ad mortis agonem jam prope claudendi forent. Certum eſt Chriſtum fuiſſe hoſtiam Deo placentem, ſed vivam, quales eſſe debent cæteræ, quæ Divinæ Majeſtati placere cupiunt: hinc Paulus monet: *ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem.* Rom. 12. v. 1. Quia, quod mortis tempore offertur, tempori non templo Sacrificium immolatur. Morbus, vel ætas adulta etiam feriſſimas belluas manſueſcere cogit, id tamen non prohibet, quin feræ intereant, quales vixêre. quid pro Deo agis, vel pro anima, quum â peccato tunc primùm deſiſtis, quando porrò nequis peccare. Haud ardere, cùm abeſt focus, nihil mirum, at verò in mediis incendiis eſſe Salamandram, hoc magnum. David Deo aquam immolat, cùm maximè urget ſitis: *deſideravit ergò David.* 2. Reg. 23. v. 15. *at ille noluit bibere, ſed libavit eam Domino.* v. 16. Abraham in holocauſtum obedientiæ Iſaacum ſuum offert, quando ſpes maximas de eo conceperat, quando vnicus hic poſteritatis ſuæ ſurculus optimi ſenis vota implêrat: *tolle filium unigenitum tuum, quem diligis Iſaac.* 22. v. 2. ſublato cilio acciperes agnellum jam fætentem: recens cæſus facit ad guſtum. Et voles Deo placeat ſacrificium vitæ morti, & tumuli fætori jam proximæ. Annoſæ arbores ê ſylvis exciſæ ardere ſolent, illuminare non ſolent, fumum ſpargunt, non lucem, ut flammam ad ſidera tollant, dum adhuc vegetæ ſunt, cedi debent. Si jam putridum eſt granum frumenti, quando terræ committitur, nullum fructum affert, vivum ſeri debet, ut ſuo tempore in lætam ſegetem excreſcat. Niſi ergò virens mundo mori diſcas, nec res

Deo grata ; nec tibi utilis erit , ſi jam moribundus id præſtare incipias.

397. Scandalo eſſe cæperat Iſaaco Iſmaël ludis puerilibus , ùt vocare ſolet mundi licentia , quos tamen ætas maturior ſubin ùt delicta juventutis deflet: *cúmque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo , dixit ad Abraham , ejice ancillam hanc , & filium ejus.* Gen. 21. v. 9. cúmque non nihil tergiverſaretur Patriarcha , utpote qui & Iſmaëlem diligeret , Deus , qui tarda molimina odit , ubi obligatio hominis urget , hæc ad Abrahamum : *Non tibi videatur aſperum ſuper puero , & ſuper ancilla tua . . . omnia quæ dixerit tibi Sara , audi vocem ejus.* Gen. 21. v. 12. & pro ratione allegat : *quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* atque adeò filius alter Iſmaël haud ſit futurus hæres. Sed cur tam feſtinanter ejici debeat , an non in morte Abraham adhuc diu ſuperfuturus hæredem ſibi â Deo datum Iſaacum declarare poterit ? minimè , ne ſi diutius convivant filii ancillæ , & liberæ , periculum creſcat , & difficilior reddatur ejectio. Jam dum malum recens eſt *ejice* , jam quando id durè accipit Abraham , opus id erit virtutis , in morte foret neceſſitatis , & nullius fortè utilitatis. Multi jam agunt quod Iſaacus egit jam morti vicinus : nempe obligationi ſuæ tunc denique ſatisfecit , quandò ampliùs differri non poterat , ut præterito impio Eſau primogenita morigero Jacobo daret. Cæcus erat , nec videre poterat id ipſum , quod faciebat. Id revera fecit , quod debuerat , ſed alterius artificio , non ſuo arbitrio. Et dolere viſus eſt , quòd ſua ſit obligatione defunctus : *venit germanus tuus fraudulenter , & accepit benedictionem tuam.* Geneſ. 27. v. 35. quoties , ut conſulatur morientis famæ , extorquetur ejus ore peccati horror , Dei , & virtutis amor , proximæ occaſionis vitandæ , & boni alieni reſtituendi propoſitum : at verò iſta non procedunt de corde , & multoties iis non annuitur libera mente. Vis morbi , turbatio capitis , ſomnus aut potiùs lethargus mortis prodromus , aut etiam domeſticorum , importunitas , ita loqui coëgerunt. Logi hi ſunt & inanes ſoni , non voces cum reflexione ad id , quod reapſe dici deberet , tunc temporis prolatæ. Etiam Echo in ſylvis quod vis , dicit , ſed non facit , lapis vel lignum quod ſic reſpondet , neque idcircò molleſcit , aut flectitur. Ita cor durum peccatoris etiam poſt dicta hæc manebit inſtar ſilicis : aut ſi doleat , non peccato dolebit commiſſo , ſed de tempore porrò delinquendi amiſſo. Jam eò eſt redactus , quo Abrahæ filius. *Senuit Iſaac , & caligaverunt oculi ejus , & videre non poterat.* Geneſ. 27. v. 27. Quando autem jam clauduntur oculi , haud porrò eſt tempus videndi , aut de rebus æternitatis ritè cogitandi , cùm penè adempta eſt cogitandi facultas. Faciet quandoque talis quod ipſi incumbit , benedictionem dabit Jacobo , ſed ſubin dediſſe pœnitebit. Serò nimis vivere cupit , qui ad tumuli jam ſtat crepidinem. Antequam filum abrumpant Parcæ , fugiendum â morte , nec ubi finis ingruit vivendi , utiliter

excogitatur

excogitatur vitæ melioris ratio. Rarò flores, aut fructus profert repentè pœnitentia; tardè nimis incipis velle in mortis articulo, quodnunquam voluisti in vitæ curriculo. Jacebat in lecto æger Rex Ochozias, morbi gravitas satis indicabat, haud esse ampliùs remedio locus: missi ad Eliam nuncii referebant decedendum ex illa infirmitate, & Prophetæ responsa, quæ fulminum instar alios prostraverant, jam latam esse in Divino tribunali contra Regem mortis sententiam, satis denunciabant, imò jam ipse Elias coràm adstans ægro dixerat: *De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* 4. Reg. 1. v. 16. His non obstantibus Ochozias nec de pœnitentia cogitat, nec de modo placandi Dei, sed, ùt vixit, moritur impœnitens. Magdalena, quæ suis, lacrymis ad veram pœnitentiam alios instruxit, illicò ac Dominum cognovit, plorare cæpit, atque idcircò Christus dixit, illicò ipsi condonari peccata: *remittuntur ei peccata multa*, idque de præsenti loquitur, rationem ejus reddens dilectionem præteritam: *quoniam dilexit multùm.* Luc 7. v. 47. Promisit quidem Deus finali perseverantiæ salutem: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 10. v. 22. Sed perseverantia hæc finalis supponet conversionem jam antè factam, huic Christus adjudicavit æternam salvationem, num verò hanc sit obtentura pœnitentia primùm in morte suscepta, neque Salvator asseverat, neque ullus sine oppositа formidine dicere præsumat.

Qui justitiam Dei vivens haud timet, quid morituriens de misericordia speret? hi sunt Domini pedes, quorum unus sine altero non veniet, ut te salvet. Neque dicas, si ipse non venerit Dominus, venturos ministros ejus, nam hi sine illo quid poterunt? & esto possint, an te illis movendum censes, qui Dei tui voci silicem te jugiter exhibuisti. Latroni nequam quàm proximè adstitit Christus, Mater ejus beatissima, Pœnitentiæ speculum Magdalena, innocentiæ Joannes, hi omnes pro mali hominis conversione ad Deum fuêre advocati. Vidit ille patientiæ, & charitatis in Jesu nobilissimum paradigma: vidit atro peplo obductum solem, diem conversum in noctem, terram magnis concussam motibus, scissas petras, & suis sepulchrales lapides convulsos sedibus, vidit Sodalis sui meliora Charismata, sed neque hæc est æmulatus, neque tot naturæ, & gratiæ prodigiis emollitus: *unus autem ex his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum.* Luc. 23. v. 39. Christus in siti, quam se habere dicit, lacrymas sibi ab eo propinari petit, & ipse quovis pumice aridior nec guttulam offert: Christus veniam paratissimam eidem exhibet, dum etiam pro iis orat, qui in crucem se egêre, & dum isti timent, *timuerunt valde.* Matth. 27. v. 54. Dum pectora sua tundunt, *& omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes* 398.

pectora

pectora sua revertebantur. Luc. 23. v. 48. Latro tamen malus inter hæc cautis instar persistit, neque â convitiis blasphemum os absistit: *blasphemabat eum.* Nempe clarè hic perspicitur, faciliùs ad Deum converti eos, qui Dei filium cruci suffixêre, quàm qui tota vitâ vocanti Domino aures occlusêre. Et tu voles id tibi in lectulo tuo jam jam moriturienti eventurum, quod malo huic in crucis supplicio Christi socio neutiquam evenit, ut scilicet in ipso vitæ extremo termino ad Deum rediret. Nunquid minister Christi erit in suadenda pœnitentia ipsius Christi clamore valido, & lacrymis potentior? anne plus valebit Mariæ nomen emortuo, ac tepido ore â moribundo invocatum, quam Deiparæ coram assistentis patrocinium oblatum: aut fortè Joanne dilecto Domini discipulo sanctior erit, qui tibi limen æternitatis jam tenenti mysta assistat? Christus, qui passione, & morte sua scidit petras, nec minimum ab obstinato, & plus quàm lapideo latronis corde doloris sensum elicuit, & putas tuum olim, si eousque differas, conteri, totum solvendum in lachrymas? rarus certè est animi dolor, quando corpus undique cruciatibus opprimitur: qui plurimùm dolet de eo, quod actu patitur, non multùm erit solicitus de eo, quo aliquando est delectatus. Credesis difficillimam rem esse, erigi cùm jam jaces, peccati lethargum excutere, cùm jam moreris, verè dolere de peccato, cùm porrò non supereſt tempus peccandi, plorare commissa, quando te alii amissum plorant, ad cælum ire, cùm jam in profundum mergeris, ad vitam sanctiorem aspirare, cùm jam in termino es viæ iniquitatis. difficillimam, inquam, rem esse, & prodigio haud absimilem, quòd si vana te spe lactes prodigii hujus, quia visum est in uno, cur non times, quia visum non est in latrone altero. Fortè & tu ad Deum clamabis, ut scilicet vitam proroget, non in gratiam recipiat: etiam nequam ille dicebat: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.* Luc. 23. v. 39. sed clamor hic nec mortem distulit, nec Paradisum attulit. Petiit vitam mortalem, & inter blasphemias petendo amisit etiam immortalem. Petiit salutem corporis, dum jacturam facit æternæ salutis. Ita petit, quæ sibi prosint, qui in fine vitæ differt petere emendationem, dum deberet abhorrere â peccato, ipse inter blasphemias auget peccatum. Time, atque etiam time hos pœnitentiæ emortuæ Phœnices.

Idea LXXIV.

Converſio vitalis, non mortualis eſt actio!

399. INterrogat Jeſus paralyticum triginta octo annos in infirmitate ſua habentem: *vis ſanus fieri?* Joan. 5. v. 6. quid dubitas Domine, eſtne, qui ſanitatem reſpuat, præſertim ſi tam diu illa careat? quid ergò rem hujusmodi quæris? ita bene, imò quàm optimè Servator id quærit. Infirmos enim invenies in ſua infirmitate tam obfirmatos, imò vix non iisdem immortuos, ut neque tantum vitæ habeant, quantum requiritur ad excitandum deſiderium ſalutis. Quomodo ergò hujusmodi morbidis ſalus procuretur, quam nequidem ipſi deſiderant. Et verò, num tu illum ex animo cupere liberationem â malo ſuo dixeris, qui ultra ſeptem luſtra remedio proximus, ſeu piſcinæ infirmis ſanitatem reſtituenti, nunquam oblatâ occaſione uti voluit? at verò, quod efficaciter id noluerit, hoc ipſum confirmat, quod toto eo tempore præſenti pharmaco nunquam fuerit uſus. Rationem proin petendi Servator habuit, an curari vellet infirmus, qui tam modicum ſalutis demonſtrabat deſiderium. Id Paralyticus ipſe innuere eſt viſus, huic enim quæſtio: *vis ſanus fieri*, non reſpondit, *ita ſane, quàm maximè*, aut ſimile quidpiam, ſed *Domine hominem non habeo*, v. 7. non habeo auxiliatricem manum, quæ me moveat. Sed cur omni adhibita vi non movet æger ſe ipſum, quia nempe paralyticus eſt, quia vitam non habet in membris: tranſire autem de infirmitate ad ſalutem non eſt mortui, ſed viventis actio. Eia itaque infert Jeſus: *ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Sed actus hi omnes quàm maximè vitales: his autem infirmus omnis curari debet, etiam ubi cæleſtis curat Medicus. Vita ineſſe debet illi, qui ſanatur, ſi vult adhuc vivus ſanari; nullus ad ſanitatem poſtliminiò venit, niſi qui jam antea vixit. Nunquam plùs indigent ſpiritibus vitalibus potentiæ noſtræ, quàm cùm ſurgendum, cùm humeri gravandi oneribus, cùm ambulandum. Ut quis moriendo convertatur non opus eſt, ut vivat, ſed deſinat vivere, nam ſic ex vivis tranſit ad mortuos. Sed ut vivendo quis convertatur, ſeu ut â morte ad vitam tranſeat, multa opus eſt vitâ. Vera hominum vita Jeſus eſt, ſed antequam ad hanc vitam pervenias, eundum, ac credendum eſt: *ego ſum via*, per quam ad cælum itur, *veritas*, cui credendum, accedentem ad Deum credere opportet, *& vita.* Joan. 14. v. 6. nimis ſerò vitam quis

quærit

quærit, ſi viam ambulare porrò non poſſit.

400. Dum ergò vivis hanc vitam indaga, vive Deo, dum vivis, ſi verè vivere cupis, cùm morieris. In tota ſacra ſcriptura teſte Mellifluo loco ſupra citato, non invenitur ullus in morte converſus ad vitam uno excepto latrone bono. Legitur quidem de Ezechia, quòd non procul â morte poſitus Deum reſpexerit: *Convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum.* Iſai. 38. v. 2. ſed licèt hic ad mortem uſque decubuerit: *ægrotavit uſque ad mortem.* ibid. v. 1. ex ea tamen infirmitate haudquaquam eſt mortuus. Ploravit, ingemuit, oravit ad Dominum, & meruit audire locò ſententiæ mortis, vitæ prorogatæ gratiam. *Ecce ego adjiciam ſupra dies tuos quindecim annos.* ibid v. 5. faciliùs nempe fuit extendere ad quindecim annos vitam, imò ſolem lineis, vel gradibus decem â ſuo curſu reflecti, quàm moriturientem reverà converti. Ezechiæ lachrymas audivit Deus, ſed ne quis præſumeret ſperare in morte veram converſionem, ex libitinæ faucibus illum eripuit, ut prout decet, in reliqua vita deflereret culpas ſuas: *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* ibid. v. 15. Identidem impiis acclamant Prophetæ: *revertatur unusquisque â via ſuâ peſſima.* Jerem. 36. v. 3. & 7. converti jubentur *â via*, non *â termino ſuo*: ut iter relegant, quod confecêre, cùm adhuc reſtat via: ut à ſemitis ſuis declinent, cùm adhuc emetiendum curriculi ſtadium, non cùm jam id emenſum. Quomodò enim â via ſua revertetur, quando jam finis venit eundi? cùm ſponſus adeſt, tempus deeſt emendi oleum charitatis: fruſtrà circumeunt tunc fatuæ, ut ſuas & ipſæ lampades inſtruant. Jam ſibi dici audiunt: *neſcio vos*: Matth. 25. v. 12. jam clauſa eſt janua, tempus non erit amplius, nimis ſerò adveniunt. In altera vita omnes Deum agnoſcent, boni amore, mali timore ducti. Deus autem neque in vita altera, neque in hujus limine, aut mortis articulo ullum agnoſcit, niſi qui in vita iſta Deum agnoverit.

401. *Orate*, inquit Chriſtus, & jugiter *orate, ut non fiat fuga veſtra hyeme, vel Sabbatho.* Matth. 24. v. 20. Dicere voluit, ùt notant Patres, fugite Dei juſtitiam, antequam fugiat vita â vobis, antequam hyems ingruat, ſeu poſtrema hominis ætas. Antequam ſabbathum appropinquet, ultimus hebdomadæ annorum noſtrorum dies. Ne cogitetis tunc fore locum fugæ, cùm jam mors vos laqueo tenet: *erit enim tunc tribulatio magna.* v. 21. Pater quidem benignè excepit filium ſuum prodigum, ſed quia ille ſponte rediit, quia ſubin obſequio, & præteritorum longa deteſtatione anteactæ vitæ, probra compenſavit: *& ſurgens venit ad Patrem ſuum.* Luc. 15. v. 20. Dixitque ei: *Pater peccavi in cœlum, & coram te.* v. 21. Et quoties ſubin in domo paterna illud repetierit? Prophetias adhuc protulit

David etiam post commissum adulterium, sed pœnitentiam delicti egit, quando adhuc potuisset delinquere, ad Deum se tunc convertit, quando abundè supererat vitæ, ut se â Deo magìs averteret. Contrá filius ejus Absolon diu hæsitê quercu pendulus, captum se videdat propriæ ambitionis laqueis, sentiebat se mori, & æternùm mori, nisi enormia sua facmora defleret, sed utì vixerat jugiter impœnitens, sic etiam est mortuus. 2. Reg. 18. Longo tempore perditum, & â Deo abjectum se vidit Saul; diu luctatus est cum miseriis suis, & non paucis horæ minutis hæsit in angustiis mortis, nec tamen unquam constat rediisse ad cor, sed ut opprobrium momentaneum evitaret, sibi manus intulit, & probabiliùs factus est æternum averni ludibrium. 1. Reg. 31. v. 4. De Agag. Amalecitarum Rege constat, quòd morti suæ indoluerit non innumeris peccatis suis: *ficcine separat amara mors.* 1. Reg. 15. v. 32. Multi plorant in termino vitæ, quia moriendum, nec tamen plorant delicta in vivis commissa, dolorem habent, sed mortuum sine spe melioris vitæ, dolor est, qualem bruta produnt, cùm mactantur. Venit Filius hominis salvum facere, quod perierat, languores multorum sustulit, mortuos ê tumulo revocavit, non tamen legimus, ullum morituriențem â Christo fuisse libitinæ faucibus ereptum, vel ad pœnitentiam instante jam vitæ termino reductum. Primo curabat hic cælestis medicus infirmum sibi oblatum, dein ad peccatorum fugam eum hortabatur: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare.* Joan. 5. v. 14. Ille ipse, qui peccatores sollicitè quærebat, omnibus acclamabat: *ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Joan. 12 v. 35. Ac si diceret, dum adhuc tempus supereſt, lucem sequimini, ne tenebras mortis præstolemini, quia lux tunc non lucebit vobis, quando in luce ampliùs ambulare non poteritis. Idem nos certos voluit, non tantùm januam cæli, sed & semitam, qua illud itur angustam & arctam esse: *quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. v. 14. Ut intelligerent omnes non solùm tunc abjiciendas sarcinas, quando ad cæli fores consistunt, sed multò antè, quando iter ad illas ingrediuntur. Denique Paterfamilias iste variis diei horis â summo mane usque ad undecimam vocavit operarios in vineam suam: *circa undecimam verò exiit, & invenit alios stantes, & dixit illis, ite & vos in vineam meam,* Matth. 20. v. 6. & 7. Sed de nullo scitur, quòd post horam undecimam constitutus sit, quando scilicet jam elapsum erat tempus merendi denarium gloriæ. Audi magnum Augustinum: *site:* inquit, *morituram flagitiorum tædeat, non tu peccatum, sed te peccatum reliquit.* Non tam fuissent insensati peccatores illi, qui identidem sibi ipsis occinebant: *fruamur bonis . . . coronemus nos rosis . . . nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sap. 2. v. 6. & 8. Non, inquam, tam fuissent

fuissent insensati, si inter vitia omnem vitam transigenti, facile foret in virtutum amplexu mori, sed ipsi fatentur, fatuos se fuisse, & omni sensu destitutos, *nos insensati . . . ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5. v. 4. & 6. Qui enim non quærit vitam in vita, nihil in morte inveniet, nisi mortem. Multa habet mortis indicia vita illa, quæ vivitur solùm in brachiis mortis.

Idea LXXV.

Ex lapidibus velle facere panem, tentatio dæmonis est!

402. VIdetur dæmon misertus famelici Domini, quando eum hortabatur præsenti suæ necessitati ferret suppetias. Eja inquit Domine, dira te vexat fames, satis jam produxisti jejunia, dandus etiam aliquando justæ refectioni locus. Sed quid cibi famenti tentator offert? durissimum sanè, qualem suis offerre solet, lapides scilicet: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. v. 3. Et quidem Christo, qui simul Deus erat, id oppidò facile fuisset: operativus enim est Dei sermo, quod dicit, facit. *Ipse dixit, & facta sunt.* Ps. 140. v. 5. At verò, ut fiat, quod miser homo dicit, & ipse dicat, quod non facit, vel ut alii faciant, quod ipse dicit, & non facit, vel ut id solùm comedere velit, quod procedit ex ore suo, aut panis instar vesci cupiat verbis suis, hæc inquam, & similia *adunata* sunt, & ipse Dei filius factus homo illa accepit velut illusionem, ac tentationem dæmonis: *accedens tentator dixit ei, si filius Dei es, dic.* ibid. Non ita sanè, non ita fili Adæ: *sed in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Genes. 3. v. 29. Qui non sudat laborando, neque reficere se præsumat manducando, nisi fortè vesci velis non *pane tuo*, sed *alieno.* Luciferi pernicies fuit, quod Domini vices sibi arrogârit, quando servi sustinebat officium, sedere ille voluit: *sedebo in monte testamenti.* Isai. 14. v. 13. Quando standum vel maximè erat. Et uti præpostera hæc agendi ratio Luciferum transformavit in Satanam, ita ratione simili perversitas dæmonis tentavit ex filio Dei efficere mancipium orci. Datur quidem operariis merces, sive summo manè, sive adulta jam die ad laborem conducti venerint. Dicebat paterfamilias æconomo suo:

redde illis mercedem incipiens â novissimis usque ad primos. Matth. 20. v. 8. Sed nulli redditur, nisi qui in vinea laborârit. Imó non solùm denarium non accepit infelix ille, qui tradito sibi talento negotiari omisit, sed cum talento libertatem insuper amisit: *& inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Matth. 25. v. 30. Ad cæli portas licèt appulerint virgines fatuæ, repulsam tamen tulêre: *nescio vos.* Matth. 25. v. 12. cur autem repulsæ, si jam oleum habebant in vasis suis? habebant quidem, sed comparatum, non â se præparatum, alienum, non proprium, non alterius, sed suis quisque meritis cæli januam ingredi finitur. Clamant illæ quidem: *Domine, Domine, aperi nobis.* v. 11. sed clamor hic nihil proficit, ubi non ex voce, seu ore, sed ex opere quisque agnoscitur: non qui clamârit, sed qui pulsârit ad hanc januam, ingressum obtinebit: *pulsanti aperietur.* Luc. 11. v. 10. repetitis vicibus fatuæ illæ clamant: *Domine, Domine*, quia nimirum volunt, ut Deus semel operetur quà Deus, semel earum loco, dum illæ nihil faciunt, sed solùm dicunt, cupiunt, ut totum faciat Deus, quomodo ergò eas recipiat ad quietem, quæ omnem fugerunt laborem? sponsus ille suppremus non folia, sed fructus petit boni operis. Dicat sponsa: *veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* Cant 5. v. 1. & merebitur ipsa vicissim invitari ad delicias cælestium aromatum: *veni in hortum meum soror mea, sponsa* ibid.

Lapides itaque dæmon Christo porrigit, ut eos in panem vertat, si ipse urgente jam fame vesci appetat. *dic, ut lapides isti panes fiant.* Matth. 4. v. 3. quòd panes in lapides vertantur, nihil novi, quia quotidie in prodigiis illud spectamus, qui sua patrimonia dilapidant. Sed ut lapides in panes abeant, & quidem uno verbo hanc metamorphosin subeant, temerarium est sperare, & plùs quàm præsumptuosum id petere. Dicamus rem clarè: ut silex, seu cor durissimum repentè mollescat, quo panis Christi corda hominum famentis evadat, ille quidem facere potest, qui *potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Matth. 2. v. 9. sed solus ille, & nemo alius id potest. Portentum hoc in Jesu indagabat Satan, ut sciret, an revera sit Deus: *si Filius Dei es, dic.* Matth. 4. v. 3. Et qui voci Patris id ipsum asserentis in Jordane non credidit, hoc facto prodigio se convictum fatebitur. Videmus etiam, quòd Christus licèt Deus rem velut tentationem dæmonis illicò rejecerit. Non tam facilè in panem moluntur petræ, nec petrificata corda tam citò fiunt frumentum electorum. Petras vel malleus elaborat in statuas, velut ectipa sanctitatis, vel semper tumulis suis sepultæ manent, quin solem videant, vel denique igne subactæ in calcem vertuntur. Nullum semen verbi Dei lapsum in terram saxosam fructum dedit. *Aliud cecidit super petram, & natum aruit.* Luc. 8. v. 6. 403.

v. 6. Non vult Deus repentinas, ac portentosas conversiones, nec transitum ab uno extremo ad alterum non transito medio. Providentia ejus omnia disponit suaviter non per saltum. Etiam ê cælo ad nos non volavit, sed descendit: *Decendit de cœlis.* Angelis scalam applicuit, qua ex arce siderea in tellurem sese demitterent, & illuc rursum ascenderent per gradus scilicet, manibus æqué, ac pedibus laborantes, vidit enim Jacob *Angelos ascendentes, & descendentes.* Genes. 28. v. 12. Lucifer qui volatu uno thronum Dei involare ausus dixit: *In cœlum conscendam.* Isai. 14. v. 13. Sicut fulgur inde delapsus est: *cecidisti de cœlo Lucifer.* ibid. v. 12. Alas amisit, dum altiùs, ac par erat, volavit, huic descensus nihil potuit esse, nisi casus. David volatum rejicit, in uno Deo confidens ad montem scandendum: *in Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer.* Ps. 10. v. 1. Videtur quidem eo ipso volatum tentare potuisse, quia in Deo sperans ad virtutis cacumen aspirabat: minimè tamen id præsumpsit, quia vera spes in Deum assurgit per gradus. Volatum affectare est idem, ac Deum tentare, & tentationi succumbere. Paulatim fit motus, & curatio optima illorum, quæ facta est post adhibita remedia. A lepra Naaman liberavit Elisæus, sed antea septemplicem in Jordane præscribet lotionem: *vade, & lavare septies in Jordane.* 4. Reg. 5. v. 10. Mortuum Sunamitidis filium idem Propheta vivis restituet, postquam halitu, & calore suo illum foverit, ac vitæ dispositiones ejus corpori induxerit: *& ascendit, & incubuit super puerum.* 4. Reg. 4 v. 34. Dicet Deus Sanatum â se Ezechiam: *Ecce sanavi te: die tertio ascendes templum Domini.* 4. Reg. 20. v. 5. Sed ille sesanum non ostendat nisi triduo post, & pharmaco alio adhibito: *afferte massam ficorum, quam cum attulissent, & posuissent super ulcus ejus, curatus est.* ibid. v. 4. aquam in vinum convertet Christus, quod ipsum vitis annuo spacio præstat, non item aërem magis quàm aqua â liquore pampineo distantem: *implete hydrias aqua.* Joan. 2. v. 7. Et quia conversio hæc repente facta, & velut prodigium grande ab omnibus excepta est, intercessio matris præcesserit, necesse est, ac fuerit gloriæ, ac veritatis doctrinæ suæ discipulis manifestandæ luculentum testimonium, ùt notavit Divus Joannes: *hoc fecit initium signorum Jesus, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.* v. 11.

Serpentes Magorum Aaronis virga coram Pharaone vorare potuit: *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Exod. 7. v. 11. Sed in columbas eos convertere non potuit, nec, licèt tot prodigia patrârit, in ceram mollem mutare cor indurati illius Regis Saxeum. Ut Divus Petrus comederet reptilia in linteo ê cœlis demissa, mactari priùs debuêre: *occide, & manduca.* Act. 10. v. 13. Priùs feræ esse desinant, quàm cibus Principis Apostolorum fieri incipiant. Imò ne sic quidem salivam movebunt 404.

vebunt Christi vicario: *absit Domine.* ibid. Et tu non censeberis tentare Deum, prout tentavit dæmon, si credas præcordia tua quovis lapide duriora ita repentè immutari posse, ut delicias velut prælibatus panis præbeat mensæ Regis Regum: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Crede sis non solùm temerarium hoc esse, sed planè stultum. Præcepit Isaiæ Deus, ut in medio populi clamet: *omnis caro fœnum.* Isai. 40. v. 6. Deus verò ipse de homine dixit: *non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Genes. 6. v. 3. Sed quale in hoc mysterium? contemplare herbam, talis moritur, qualis oritur, fœnum nullum transiit in triticum. Arborum insitiones plures fiunt, & non rarò oleaster versus est in oleam, & planta hispida in stirpem nobilem, ac fructuum feracem. Non sic herba, nec fœnum, Zizania humi cadit, quod ùt Zizania ê tellure emersit. Etiam rubus incombustus & lucibus, & innocuis incendiis clarissimus rubus jugiter permansit. Etiamsi Deus ipse in medio ejus thronum suum fixerit, non tamen ex trunco hoc factus est Mercurius: *apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. v. 2. Rubus fuit ante, rubus post visionem illam magnam. Sicut fœnum, ita etiam homines communiter moriuntur, ùt vixerunt! qui fuit silex in vita, an erit pumex in morte? *væ Ariel! Ariel civitas quam expugnavit David!* Isai. 29. v. 1. Væ tibi gemit propheta, væ tibi anima Christi sanguine redempta! ita legit Hieronymus. Et cur tanta luctûs causa? quia nempe *additus est annus ad annum.* ibid. Vixisti enim non unum, sed annos multos, quin verè ad Deum te converteres. *Solemnitates evolutæ sunt.* ibid. Festa solemnia quàm plurima, Paschata multa, jubilæum non unum fluxêre, quin tamen cor durum diffluxerit vel in pauculas veræ pœnitentiæ lacrymas. Quid vis ut de te dicatur? nisi *circumvallabo Ariel, & erit tristis, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel.* ibid. Veniet dies, qua te mala comprehendent, & angustiæ mortis, quibus finem vivendi facies sine remedio, talis tunc quoque eris, qualis in vita semper fuisti, sempiternus fiet dolor tuus, quia perennis fuit duritia tua, & ne putes diem hanc longè abesse, addit Propheta: *erítque repentè, confestim.* ibid. v. 6. Comminueris, *sicut conteritur lagena figuli contritione prævalida: & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parùm aquæ de fovea.* Cap. 30. v. 14. Pervicaciam tuam in strato doloris ita infringet Deus, ut cordi tuo nec frustillum supersit, in quo vel unius voluptatulæ porrò aquam hauriat, nec testæ portio minima, in qua vel igniculum contritionis foveas. Vas hoc integrum scatuit jugiter immunditiis vitiorum, fragmenta ejus nunquam impleri poterunt rore cælorum.

Redemptor noster non dæmonis, 405
sed infinitæ suæ Charitatis in peccato-
res

res ſuaſu prodigium patravit in Calvario, quod noluit facere in deſerto, ut lapidem, ſeu cor uſque ad id articuli durum latronis, in panem candidum verteret. Opus fuit iſtud immenſæ Dei miſericordiæ, ſed neque tota hæc effecit, ut latronum alter ex lapide fieret Abrahæ filius. Fors patratum eſt opus iſtud, ut in limbo Chriſtus teſtem haberet exceſsûs completi in Jeruſalem. Una vice id egit Deus ubique quidem, ſed vel maxime in cruce infinitè miſericors, neque tantum privilegium in conſequentiam ab ullo trahi poteſt; imò ſunt innumeri, quorum malitia bonitate tanta Dei abutitur in perniciem. Optimi illius Patris primogenitus nunquam filiali deceſſit obſequio, niſi cùm vidit prodigum fratrem tam facili potitum acceſſu in domum paternam, id factum eſt ipſi in ſcandalum, quod alter ex filiquis ad menſam, ê luxurioſa vita ad gratiam, â meretriciis amplexibus ad oſcula paterna tam benevolè fuerit receptus: & idcircò *indignatus eſt, & nolebat introire*, Luc. 15. v. 27. En iſte filiorum habuit oculos malos, quia benevolus pater in filiorum alterum jam vitæ anteactæ pœnitentem convertit ſuum oculum bonum, Judas Iſcariotes, ùt ſanctus Matthæus notat: *tunc abiit* Cap. 26. v. 14. Ut Magiſtri venditionem moliretur, quando Magdalenæ converſionem Chriſti ore tantum dilaudari audiit, intra ſe enim fors ille dicebat: ſi mulier iſta nuperrimè in civitate peccatrix frangendo unguenti alabaſtrum â compedibus Satanæ meretur advolvi ad filii Dei pedes, mihi quoque ſpes ſupereſt ſalutis, licèt ſordidi cauſa lucri vendam ipſum Salvatorem. Id ipſum Amonem perdidit Manaſſis Regis Filium: ita enim diſcurrebat: Pater meus quinquaginta omninò annos exegit in omne vitiorum genus projectus, & tamen poſtea â Deo eſt receptus in gratiam igitur etiam me ſuſtinebit patiens, etiam mihi olim delictorum concedet indulgentiam. Ita diſcurrebat, ſed quàm temerarius, tam vanus fuit iſte diſcurſus nam in medio curſu vitæ ſcelerum plenæ biennii ſpatio inopina mors hominem ſuccidit: *tetenderuntque ei inſidias ſervi ſui, & interfecerunt regem in domo ſua*. 4 Reg. 21. v. 23 Semel Iſraëliticus populus vitulum aureum in deſerto adorârat, & illicò ſtrage ferè viginti millium crimen luit. Exod. 23. v. 28. Altera vice turpiter cum mulieribus Moabitis erant converſati, & principes populi furcâ, ex plebe viginti quater mille cultrô cæſi piaculum nefarium expiârunt Num. 25. v. 9. In Cataclismo omnes juſtitiæ Divinæ ceciderunt debitæ victimæ *conſumptáque eſt omnis caro*. Geneſ 7. v. 21. Una Noëmi excepta familiâ. Si unus communi incendio ſingulari Numinis favore ſubductus ſpem ingerit, cur mille, qui flammis abſumpti ſunt, non potiori jure incutiant metum?

Dices in Chriſti te mititate fidere, quem licèt olim ſimus habituri judicem, nunc tamen habemus advocatum apud Patrem. Et licèt leo ſit rugiens contra viam iniquitatis, ſimul tamen Agnus 406.

eſt

est ubique tollens peccatum mundi. Ita est, mitis hic Agnus, & unà terribilis Leo est. Imò etiam ùt Agnus, cùm librum aperit septem sigillis obsignatum, terra motu concutitur, sol patitur atram Eclypsin, Luna sanguine suffunditur, stellæ de cælo decidunt, & seniores viginti quatuor gloriæ coronâ jam cincti metu reverentiali facies humi demittunt: *& ecce terræ motus magnus factus est.* Apoc. 6. v. 12. quid quæso fiet cum agno? isto *liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.* Quid fiet, quando non balatus mites, sed rugitus terribiles olim dabit velut leæna raptis catulis? ecce quid sperandum iis, qui nimiùm præsumptuosè sperant in mansuetudinem Agni, feroces iras experientur leonis. Si mundum terret ut Agnus, quid faciet ùt Leo? in pace dimisit Magdalenam, sed lachrymis veræ contritionis innatantem, imò amoris incendiis æstuantem, *quia dilexit multum.* Luc. 7. v. 47. Pacem annuntiat pœnitenti, non hujus mundi delicias, ad desertum ipsam mittit, ad locum plenum horroris, ut per reliquam vitam pro peccatis satis faciat, isque jam remissis. Regnum suum promisit latroni sine aliis operibus pœnitentiæ: *hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. v. 43. sed quid afflictionis porrò ab eo petat, qui Redemptorem videbat in cruce pro se morientem, quique ipse passionis dominicæ socius in cruce jamjam erat moriturus? sed si & hujus peccatoris supra dorsum Domini fabricantis, vis videre flagella multa etiam post veram conversionem? respice crurifragium paulò ante mortem toleratum. Ninivitis ignovit, sed â maximo usque ad minimum pœnitentibus, ab homine usque ad pecus jejunantibus: *& crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis â majore usque ad minorem.* Jon. 3. v. 5. sed si ita obtinetur venia peccatorum, quis eorum præsumet salvari, qui pœnitentiam delictorum usque ad ultimum differunt vitæ articulum? gaudium, quod erit in cælo, cùm misericordia Domini non sumus consumpti, non erit de mille sed de uno, & quidem pœnitente: *ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. v. 7. Malleis opus, queis lapides poliantur templo gloriæ inferendi, magni stat filiatio Dei: infinitè â Deo peccatum te removet, & hanc viam releges jam lecto affixus, ùt sano polypus? nec pedem porrò movere potes in strato tuo morti proximus, & Deum tuum invenies, quem in lecto suo non invenit sponsa, licèt adhuc currere valeret in odorem unguentorum: *in lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni.* Cant. 3. v. 1. Canit regius vates: *justus ut palma florebit.* Psalm. 91. v. 13. & innuere voluit, justum jam vitæ suæ veré ut palmam virere, ederéque flores, ac inclytarum victoriarum fructus debere, ut demum finalem palmam referat. Immensa

est terræ â cælo distantia, peccati à gratia, mundi â Deo, in hoc stadio currendum, & velociter currendum, ut ad terminum pervenias. Christus ipse *exultavit ut gigas ad currendam viam, â summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Psalm. 18 v. 6. Uvæ acerbæ non repentè in dulces transeunt, neque flos illicò fit fructus probè excoctus. Pharao, qui in vita lapis fuit, denique in morte ut lapis subsidit in profundum maris rubri, eritque res prodigio suppar, rupes Charitatis oleo diffluens. Nec præcepto Dei stimulatus Moyses sibi persuadere potuit cautem sola voce emolliendam, ut aquas funderet, censuitque adhibendam virgam, ut hujus ictibus percussus, & velut dolore victus lapis lachrymas daret: *num de petra hac vobis aquam poterimus elicere.* Num. 20. v. 10. sed an non adhuc difficilius erit ex lapidibus panem excutere.

Idea LXXVI.

Vitia, quæ obduxêre callum, resecanda cultro.

407. RAriſſimæ converſiones ſenum. Capillorum morbus canities, ſed morbus hic incurabilis. Qui ad canos pervenit, cum canis moritur. Vitium quod canos pectit, nihil remedii, niſi in cultro expectat. Danieli certè medicina alia non occurrit, qua ſanaretur inveteratum malum duorum ſeniorum judicum, ê quibus egreſſa eſt iniquitas. *Ecce enim Angelus Dei, accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium.* Ita ad unum Daniel, cap. 13. v. 55. ad alterum verò: *manet Angelus Domini gladium habens, ut ſecet te medium.* ibid. v. 59. Terribile malum, cui nec Angeli aliud nôrunt adhibere remedium præter cultri, aut gladii aciem! ſed nec magni conſilii Angelus Chriſtus ſenem ullum poſt mortem vivis reſtituit, vel ſaltem id nobis conſtare non voluit. Scimus triplicis generis homines fuiſſe â Domino revocatos ad vitam. Juvenculam: *tenuit manum ejus, & ſurrexit puella.* Matth. 9. v. 25. Juvenem: *adoleſcens tibi dico! ſurge!* Luc. 7. v. 14 Denique virum: *Lazare veni foras.* Joan. 11. v. 43. Duos impuberes, virilis ætatis unum, ſenem nullum, ut nemo in adulta

ætate

ætate conversionem speret, seu reditum ad vitam meliorem, quàm excitatio â mortuis significat. In Christi militia binarum tantùm vigiliarum fit mentio, nempe secundæ & tertiæ, prima non attingitur, neque etiam quarta: *si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.* Luc. 12. v. 38. an non etiam in prima, & ultima ætate mors homines sternit? ita sanè, earum tamen nulla, quando agitur de conversione, habetur ratio; non primæ, quia innocua ætas haud indiga est conversionis, non quartæ, quia tunc obducto jam vitiis callo nemo converti solet. Qui in secunda, & tertia vigilia somnum non excussit, in quarta lethargum contrahet, quo nunquam porrò liberetur. Obiter hîc etiam notet sequior Sexus. Virilis generis duos, fæminei unam solam eámque teneræ ætatis revocatos esse ad vitam, quia si debilitati tribui potest lapsus casu, aut astu extortus, incurabilis obstinatio est habitus peccandi in fæminis. Cave ne calloſa fiant vitia, ne tunc de meliori vita differas cogitare, quando malum inveteratum jam exspectat mortis falcem. Deus teste Sapiente populum suum peccantem reductis in mentem & promissis, & minis suis illicò corrigere solebat. *In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter sanabantur.* Sap. 16. v. 11. Sed cur tanta festinatio in castigandis filiis, ubi Deus tam patiens est in tolerandis etiam reprobis? respondit Sapiens, & rationem hanc reddit: *ne in altam incidentes oblivionem non possent tuo uti adjutorio.* ibid. hac enim oblivione inducta transibit culpa in vitium, hoc in consuetudinem, & ista in malum immedicabile. Clavus repetitis ictibus denique ita tabulæ infigitur, ut refigi nequeat nisi unà evulsis ligni partibus. Peccatum repetitum ita radicatur, ut consuetudo non deponatur, nisi ubi cor computruerit in tumulo.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, dicit melius suo malo sapere doctus Rex Ezechias Isai. 38. v. 19. Confitebitur. non qui semel vixit, sed qui surrexit, quando adhuc poterat vivere, non qui de vita in meliùs mutanda agit, quando ea est morte commutanda, sed qui vivere potens mundo vitam suam devoveat Deo. Qui lucem â Deo cupit, ad Deum se conferat necesse est: *accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Ps. 33. v. 6. Ad Christum ire debes ipse, ut lumen Christi obtineas: si expectas, donec Christum ad te jam mortuali lecto detentum ferant, timeo, ne vultus tuus confusione potiùs, quàm lumine perfundatur. Ecce Agni instar Dei, filius jam venit, nunc sponte ad illum te confer: si præstoleris alterum adventum ejus, ut Leo tibi veniet: quò peccatorum pondere nos liberet Agnus iste jugiter clamat: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos* Matth. 11. v. 28. *Venite*, dicit, & non *veniam* ego. Ecce brachiis expansis omnes exspectat, ùt Pater filium suum prodigum, 408.

Sed tamen ſurgendum atque eundem ad Patrem hunc amantiſſimum: *Surgam! & ibo ad Patrem meum*, Luc. 15. v. 18. Ille jam ſemel venit, quando, quæ in deſerto errabat, oviculam reduxit: *& vadit ad eam, quæ perierat.* ibid. v. 4. Jam nos ipſe exſpectat, in crucis, & templi ara jugiter nobiscum manens. Niſi nos veniamus, dum audimus: *venite*, ille denique ad nos veniet, non tamen, ut rurſus nobis dicat: *venite, ſed diſcedite â me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. v. 41. Nempe ùt loquitur gentium Apoſtolus: *terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem . . . proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem.* Hebr. 6. v. 7. & 8.

409. Omnia ſunt anni tempora opus manuum Domini, & autumnus, & hyems, & ver, ac æſtas, cur ergo David de duobus ſolis dicit: *æſtatem & ver, tu plasmâſti ea.* Pſ. 73. v. 18. Quare nulla fit hyemis, aut autumni mentio? Reſpondet Hugo Cardinalis, quia poſterior anni ætas ſymbolum eſt mortis, prior averni, horum auctor non vult eſſe Deus, cùm geneſin ſuam debeat peccato. Idem ſcripturæ interpres addit æſtatem, & ver denotare tempora miſericordiæ, hyemem verò & autumnum, ſeu infernum & mortem ſigna eſſe juſtitiæ Divinæ. Hoc autem dicere idem eſt, ac ſi diceres, homini ſhorti proximo nihil ſupereſſe, niſi rigorem juſtæ Nemeſis, qui dum viveret, nunquam quæſivit clementiam Divini Patris. Quæ flores in vere non protulit arbor, nullam facit ſpem fructuum. Quæ verò tertia anni ætate non matureſcunt poma, vel putrefacta, vel virentia tunc decidunt. Arbores, & herbas in hortis vides. Arbores quæ vigente ætate flores germinant, ſubin fructibus replentur, herbæ verò quæ jam cadente ætate floreſcunt, unacum floribus ſine fructu langueſcunt. In fructus arborum vertuntur flores, herbarum fructus nulli alii niſi flores vani. Attendeſis ne florentis ætatis florem vel pruina decoquat, vel gelu occidat, vel ventus diſſipet, vel calor adurat, niſi autumni fructu omni carere velis. Nihil proderunt cæli favores, nihil culturæ induſtria, nihil benigni ſolis radii, ſpes omnis cum floribus evanuit. Ita res ſe habet in ordine naturæ, ita ſe videtur habere in ordine gratiæ. Ubi flos innocentiæ exareſcit in prima juventa, ne bonos ille fructus præſagiat in ſua ſenecta. Fructus ut ut virides colligantur, & tempus, & palea excoquit, ſed nimiùm maturos neque ſaccarum præſervat â putredine. *Serò medicina paratur, cùm mala per longas invaluêre moras.* Cùm arborem ſuccidis, ea parte cadet, qua creſcendo inclinabat, nec porrò mutabit ſitum: *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, ſive ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccleſ. 11. v. 13. *Quo verò caſura ſit arbor*, inquit Mellifluus, *ſi ſcire volueris? ramos ejus attende. Unde major eſt copia ramorum, & ponderoſior, inde caſuram ne dubites, ſi tamen fuerit tunc exciſa. Rami noſtri deſideria noſtra*

stra sunt. Serm. 49. ex parvis. Si ergò ferè omnes tuorum desideriorum, ac affectuum rami deorsum tendunt, terram respiciunt, vide quomodò iis alta petere, & sursum eluctari valeas. Facilè linguæ suæ vitium emendavit Jeremias, qui erat defectus pueritiæ: *nescio loqui, quia puer ergo sum.* cap. 1. v. 6. Sed ut labia Isaiæ jam in virili ætate constituti sanentur, *quia vir pollutus labiis ego sum.* Cap. 6. v. 5. Medico Angelo opus, & remedio non quocunque, sed quale suppeditat cauterium ignis: *& volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* ibid. v. 6.

410. Ut in magnum Prophetam Deus Jeremiam aptaret, jam in maternis visceribus antequam plenè formaretur, illum informare cæpit: *Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Cap. 1. v. 5. Bombyx vermiculus nascitur, & crescens vermis manet, donec ipsi sibi tumulum struat: opimum artificium pensatura dives & liberalis in omnes mater natura alis bombycem instruit, ut tumba sua liber evolet, sed quia tam tardè volare incipit, qui reliqua sua vitâ serpebat humi, hinc neque alis ùt avis volat sed ut papillio. Qui humi vermis instar tota sua vitâ repit, quo modo licèt alis, seu Dei auxiliis suffultus in morte repentè ad cœlum volabit. David Goliathum stravit gigantum validissimum, quia in flore ætatis suæ & ursos, & leones vincere assueverat. Saul nescivit regnare, quia regnandi artem primum in solio didicit. Qui sæpè errat, demum scopum attingit, & errando denique scientia omnis addiscitur. Nemo speret mori bene se posse, si in morte duntaxat excipiat bonæ mortis lectionem, & documenta. Vivum bombycinus vermis se tumulo serico condit, éstque mors ejus pretiosa, & licèt non ùt avis sepulchro suo evolet, resurgit tamen. Hinc Angelus Lotho, *festina, & salvare.* Genes. 19. v. 22. Quando jam imminebant Sodomæ incendia. Si tonitrua audis, si fulgur vides, an fulmen exspectas, quo sternâre, si hodie procrastinas, idem manè facies. Noverat Loth perituram flammis Sodomam, ita enim aliis ipse revelârat: *Egredimini* inquit, *ad generos suos, quia delebit Dominus civitatem hanc.* ibid. v. 14. Noverat ea ipsa die redigendam in cineres, cùm Angeli festinarent, ut domo Lothum educerent, id ipsum noverat uxor, & filiæ ejus, nec tamen se vel ipse, vel istæ movent, donec vim ipsi inferrent genii cælestes: *cogebant eum Angeli.* v. 15. Loth tamen adhuc dissimulat, exire differt, uti & domestici ejus, licèt præ oculis hæreat certum exitium, nec antea se accingunt itineri, quàm Angeli *apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, & filiarum ejus.* v. 16. Tanti res erat moliminis etiam castam familiam Sodomis educere, quando ultrices flammæ jam in aëre pendent, ut urbis devorent infamis indigenas. Et tu qui jam tam diu voluptatibus immersus jacuisti, putas te libidinis incendia

cendia tunc quidem fugiturum, cùm jam apertum vides os infernalis barathri? quî tota vitâ ad vocem Domini & præconum ejus obſurduiſti, illicò ſcilicet expergefies, ſi quis vel in mortis articulo tibi acclamet, quod Loth generis ſuis, periturum te, niſi ê cœno quantocyus egrediâre. Id potiùs fiet, quod apud ipſos ſoceri monitio effecit: *viſus eſt eis quaſi ludens loqui.* v. 15. ut qui per reliquam vitam ſalutis monita ſemper ſpreviſti, in morte quoque contemnas veluti vana terriculamenta.

411. Tanti momenti negotium, quod ſi malè vertat, emendari nequit, non eſt negotium unius, aut alterius momenti. *Eja Noë! ingredere tu, & omnis domus tua in arcam.* Geneſ. 7. v. 1. ita jubet Deus, omnis hic mora ocyus præcidi debet! ſed cur feſtinatio tanta, nunquid idem Deus dicit? *poſt dies ſeptem pluam ſuper terram.* v. 4. octavo ergò die, vel in extremo articulo diei ſeptimæ tempus erit ingrediendi arcam, ne familia hæc Noëtica diluvii aquis abſorbeatur. Domine exſpectaſis ut Noë cum ſuis periculum proximum videant, & quantocyùs ad aſylum, quod benignè ipſis parâſti, omnes accurrent. Minimè, *ingredere*, nunc ſtatim mandatum meum exequi opportet. De vita agitur, de ſalute agitur. Negotium tantum non illuc differendum, quando dilationi ampliùs non eſt locus. *Ingredere tu, & omnis domus tua*, dum periculum proximum abeſt, ne poſtquam advenerit januam præ turbatione fors non inveniant, vel aperiant ita, ut claudere nequeant, & ipſi in arca æque, ac alii extra illam pereant. Mundum linquant, antequam ipſi deſerantur â mundo, arcæ ſe includant, necdum id faciendi neceſſitate preſſi, ut cùm hæc ingruerit, eò certiùs ſubtrahantur diſcrimini. Niſi tunc eſſent ingreſſi, fortè nunquam fuerant ingreſſuri, uti aliis contigit, qui venturi diluvii tempora centum annorum capedine, qua arca conſtructa eſt, â Noe ſæpiſſime intellexerant: *at illi vulgò ridere monentem, dicereque inſanum, dementatúmque furore*, ùt refert ex Sybilla Salianus ad annum Mundi 1600. Eja homines, *& vos eſtote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. v. 40. Reddenda eſt ratio ſemel, oportet ſemper rationes habere expeditas, ne cum Judex repentè advenerit cum ſervis rationes poſiturus, eæ non primùm iniri, ſed exhiberi queant. Neque infinitam Dei patientiam, aut miſericordiam prætendas dicens: *nunquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* Pſ. 40 v. 9. Id eſt qui gravi peccati ſopore diu fuit detentus, denique expergefiet, ut gratiæ Dei invigilet. Attendeſis, & audi Dominum, id quod tù vocas exceſſum bonitatis ſuæ, ille reputat malum, & opprobrium ſuum. *Adversùm me*, inquit, *ſuſurrabant omnes inimici mei, adversùm me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt adverſùm me.* ibid. v. 6. & 8. Vide ne indormias peccato, non enim inde evigilabis,

bis, nisi magno Dei prodigio. Paululùm sic obdormierat David, & expergefactionem suam resurrectionem vocat: *Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi.* Ps. 3. v. 6. Et non tantùm dicit miraculum id fuisse par revocationi ad vitam, sed insuper opus fuisse, ut specialiter Deus manum apponeret: *quia Dominus suscepit me.* Hinc petit: *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Ps. 12. v. 4. De morte utique peccati loquitur, quando gratiæ radiis illustrari oculos suos precatur, & rationem addit: *ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum,* ibid. v. 5. Sed unde hæc consequentia ex illo antecedente infertur? hinc: quia qui in culpæ morte obdormiscit: ille in inferno inter inimici sannas expergiscitur. Attendesis, quanto tempore jam gravi hoc peccati sopore tenearis, excute illum, ne damno tuo olim excutiat ille, qui circuit quærens, quem devoret, fiásque similis piscibus maris glacialis, quos sopitos frigore piscatores capiunt, nec illi antea se captos sentiunt, quam assari incipiant.

412. Quod si faucibus mortis, quibus detineris ad vitam gratiæ fortè ideò non emergas, ne una vetitis deliciis quibus collo tenus hactenùs immersus fueras, denique enatare debeas, cogita in nictu oculi fieri posse, ut violenta manu his eripiaris, & una melioribus cæli voluptatibus æternum carere debeas. Cogita, nec modici moliminis, nec exigui temporis rem esse corvum mutare in columbam, lupum in agnum, caprum in ovem, spinam in rosam, Saulum in Paulum, aut Magdalenam in Mariam. Credesis, monet Pater Abraham, *inter nos, & vos magnum chaos firmatum est.* Luc. 16 v. 26. Multùm dis tat sinus Abrahæ â barathro Luciferi, Jerosolyma â Babylone, terra promissionis ab Ægypto. Quadraginta annorum iter Israëlitis intercessit, & post tot prodigia inter tot hominum millia soli duo ingressi sunt terram promissam. Multùm distat cælum â terra, virtus â vitio, peccatum â gratia, mundus â Christo, nec facilè transitur ab uno ad alterum extremum, atque etiam timendum, ne desperans de tanto itinere intra tantillum tempus conficiendo cum Nerone dicas: *dedecorosè vixi, turpiùs peream.*

Idea LXXVII.

Qui non vult, quando potest, neque poterit, quando volet.

413. TEste Ecclesiastico *omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cælo.* Cap. 3. v. 1. Deus solus permanet in sua æternitate. Cæteris omnibus sua constituta tempora, & vices, neque ista subjacere voluit electioni nostræ, imò nec sciri. Apostolis prædixerat Jesus de Paraclito â se mittendo: *Ipse docebit vos omnem veritatem.* Joan. 16. v. 13. Sed tamen iis ipsis rogantibus, quando restituendum sit regnum Israël? respondit: *non est vestrum nôsse tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. v. 7. Duo hic docet Christus, primum, ignotum esse diem ultimum, seu extremi judicii, quod Matth. 24. jam dictum fuerat: *de die autem illa nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater.* v. 36. Voluit nempe Christus teste Augustino: *lateat ultimus dies, ut observetur omnis dies ulti-* Tom. 10. homil. inter 50. Imò *horam ultimam Dominus voluit esse suspectam, ut semper possit esse suspecta.* Gregor. homil. 13. in Evang. denique & diem, & horam, & tempus omne ignorare nos voluit, ne unquam obdormiscamus in morte: *vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Matth. 25. v. 13. Doctrina Christi altera textu ex Actis citato erat, quòd Pater cuique designârit tempus, & modum conversionis: *quæ Pater posuit in sua potestate.* Post hæc tempus porrò non erit: *quia tempus non erit amplius.* Apoc. 10. v. 7. tempori enim præfixo non succedit tempus aliud, sed sola æternitas. Cum clamore illo: *Ecce sponsus venit*, jam adest ipse sponsus, si virgines tunc oleo non habent instructas lampades, minimè intrabunt ad gaudia nuptialia, quæ tunc illicò non veniunt, tardè veniunt, *& quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* Matth. 25. v. 10. Cæteræ Dominum quantumvis velint, inclamare poterunt, non tamen unquam exaudientur. Vidit Deus eo passu crescere malitiam, quo crescebat genus humanum, ut illam succideret, vitæ tempus ad certos terminos restrinxit: *erúntque dies illius centum viginti annorum* Gen. 6. v. 3. Hoc annorum curriculo evoluto locus non erit amplius clementiæ, sed justitiæ, neque unus dies addetur definito tempori, qui hoc abutitur ad perniciem, nullum aliud inveniet, quo in suam utatur salutem. Id ipsum videtur

tur indicare voluiſſe Deus, quando mari quoque conſtituit terminos ſuos dicens: *usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Job. 38. v. 11.

Cùm impleta eſſet amphora, quàm Zacharias vidit talento plumbi, ſeu impietate ſynagogæ ſcatere; *& dixi, quidnam eſt hoc, & ait, hæc eſt amphora egrediens.* Cap. 5, v. 6. Avernales præſtigiæ vas iniquitatibus repletum detulêre in terram Sennaar, ſeu in ſtygium Babylonem: & dixi ad Angelum: *quò iſtæ deferunt amphoram? & dixit ad me, ut ædificetur ei Domus in terra Sennaar.* ibid. v. 11. En quàm citò pœna ſequatur culpam, ubi menſura impletur delictorum! Patefecerat Deus Abrahæ, quadringentis annis poſteritatem ejus dura premendam ſervitute. Sed quodnam ſupplicio tam diuturno irrogando anſam dedit peccatum? reſpondet Oleaſter, neſciri culpam, & dicit: *non apparet, ob quæ peccata ſemen Abrahæ ſit quadringentis annis afflictum: ut ſciamus, flagella etiam ſine culpa infligi, nempe, ùt merita ad gloriam.* ibid. Sed quæro ego, cur quadringentorum annorum præciſa periodus ad id requiritur? reponit hîc Deus: *Necdum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Geneſ. 15. v. 16. ut terris ſuis eos ejiciat, orcóque demerſis populis iniquis, juſtum Abrahæ ſemen deſinat eſſe peregrinum, & in eorum terram melle, & lacte manantem ſuccedat. Hinc Chriſtus Dominus æternos ignes minitans Scribis, & Phariſæis dixit: *& vos implete menſuram Patrum veſtrorum.* Matth. 22. v. 23. *ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ.* v. 33. Hæc eſt ſcriptura tremorem incutiens Balthaſari Chaldæo Regi, dum deliciis affluit. Vix menſæ regiæ illata fuerant ſacra vaſa templi, cum Deus rationem iniit dierum regni impii Regis, & appenſi in ſtatera, crimina numerum jam, & pondus ſuum tenentia ocyùs mulctavit: *hæc eſt autem ſcriptura, quæ digeſta eſt: Mane, Thecel, Phares.* Daniel. 5. v. 25. *eadem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus.* v. 30.

Unicum lethale peccatum æterna meretur tormenta. Unicæ debetur Dei miſericordiæ ſuſpenſio executionis ſententiæ, ſicque poſt toleratam ſecundam, & tertiam hanc irrogato ſupplicio noxam, ubi quarta acceſſerit, fulmen vibrat Nemeſis Divina: *hæc dicit Dominus ſuper tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non convertam eum.* Amos 1. v. 6. *Et mittam ignem in murum Gazæ, & devorabit ædes ejus.* v. 7. Terribile quid peccatum, cùm etiam remiſſum adhuc timeri debeat, licèt veneno porrò careat. *De peccato propitiato noli eſſe ſine metu.* Eccleſiaſt. 5. v. 5. ſed quid timendum peccatum data veniâ jam ablatum? multùm ſanè: tum quia additum alteri, ut loquitur Cardinalis Hugo, *auget numerum*, & fors menſuram implet, quam miſericordia Dei haud ſuſtinebit patiens. Non ſolùm gutta ultima, ſed & reliquæ ſitulam replent: hinc tam formidabilis in pec- 415.

cata relapsus, ùt notat Mellifluus, & Christus majora Paralitico minatur relabenti, quàm antea fuerat in triginta octo annorum infirmitate passus: *jam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joan 5 v. 15. hinc prælaudatus S. Doctor infert: *erit sine dubio recidenti, quàm jacenti deteriùs.* Serm. 3. super Cant. Clarè id patuit in servo illo, cui ad primas preces Rex decem mille talenta, seu legis totius transgressionem remiserat. Subin cùm ipse in conservum suum immisericors adhuc semel heri sui patientiam fatigâsset: *iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus.* Matth. 18. v. 34. Certum est, quòd ante graviora peccârit, sed peccata prima, ut ut remissa, addita delicto postremo eum confecêre numerum, quem haud tolerare decreverat suprema Nemesis.

416. Hinc oritur non rarò, ut accelerando peccatum & vivendi terminus acceleretur. Vitam licèt mors sequatur, neutiquam tamen hæc illius filia est, sed peccati: hoc tolle, & illam sustulisti. Non crediderim ideò â Deo sustineri tot peccata hominis, quia hunc tot voluit annos vivere, sed potiùs, quòd hoc vivendi tempus definierit, quia tot ab eo culpas sustinere voluit. De muliere septem filios pariente, peccata intelligere potes totidem, quæ dicuntur capitalia, Jeremias testatur: *occidit ei sol, cùm adhuc esset dies, confusa est, & erubuit.* Cap. 15. v. 9. Legit sanctus Hieronymus: *occidit sol justitiæ, in cujus pennis est sanitas, cùm adhuc esset medius dies: idcircò aterna confusione cooperta est.* ibid. non dicit, quòd sol aut Eclipsin sit passus, aut nubibus obtectus, sic enim fuisset spes reditus, sed quod occubuerit, *occidit ei sol*, & quidem sub meridiem, ubi adhuc diu lucere poterat, antequam veniret ad occasum. Mulieri illi, & multis aliis id contigit, quia in medio dierum deficiunt, ubi quantum possunt, peccando efficiunt, vitæ filum sibi ante tempus succidunt, quia peccati consuetudinem nunquam præcidunt. Ne fidant suæ viriditati poma, decerpi possunt, licèt suapte sponte non decidant. Dicebat Oseas: *quid tu vides Amos?* respondit iste: *uncinum pomorum.* cap. 8. v. 2. quo scilicet etiam ramis suis validè adhuc infixa avellantur mala. Vidit Dominus ante diluvium immensum peccatorum cumulum, poterat justus ejus furor illicò cataclismi aquis absorbere tantum nefas. Ultra sæculum præstolaturum se dixit scelestos ad pœnitentiam; cùm de homine dicit: *erúntque dies illis centum viginti annorum.* Gen. 6. v. 3. Jam verò Chrysostomus, Hieronymus, Hugo Cardinalis in A lapide cum aliis docent, locutum hæc esse Deum anno quingentesimo Noë, hoc enim tempore ab isto Patriarcha genitum esse Sem, constat testante scriptura: *Noë verò, cùm quingentorum esset annorum genuit Sem.* Genes. 5. v. 31. Dein post latam jam â Deo contra peccantes homines sententiam de Noëmo dicitur, quòd Sem & alteros duos filios genuerit: *& genuit tres filios.* Genes. 6. v. 10. Denique

nique constat sexcentorum annorum fuisse ingruente diluvio: *erátque Noë sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.* Gen. 7. v. 6. Proin ex his colligitur ante tempus centum viginti annorum, quod Deus constituerat præcisum esse filum vitæ peccatoribus in cataclismo pereuntibus: *Ita nimirùm, ut ab his centum viginti annis Deus ob scelera hominum viginti dempserit, & decurtaverit.* a Lapide. Multi essent, qui juxta leges naturæ excessissent centum viginti vitæ annos, sed peccandi licentia ea periodo arctavit vivendi tempus, imò & hoc succisum est, tum ob impœnitentiam, tum ob labendi frequentiam. De his dixit Eliphaz apud Jobum: *qui sublati sunt ante tempus suum.* cap. 22. v. 16. lege Pinedam. Vertit Tigurina: *cùm potuissent diu persistere.* Perierunt nempe ante constitutum sibi â natura tempus, cúmque sponte sua facti essent peccatores annosi, mors eos decerpsit, licèt adhuc suo fato immaturos.

417. Multis adhuc annis viruisset ficus, si foliorum locò debitos protulisset fructus. Vanitatis plena arbor cùm vel maximè se florere crederet, audire ore Christi denique debuit: *nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò.* Matth. 21. v. 19. Clarum est pœnæ non fuisse capacem ficum, quæ erat incapax culpæ, sed quod hîc fuit mysterium, in ipsis quoque hominibus factum est documentum. Testatur id dives ille, qui aurea sibi promittens sæcula, & divitiarum suarum somno immersus repentè ad illius vocis tonitru expergisci debuit: *stulte, hac nocte animam tuam repetent â te.* Luc. 12. v. 20. neque putaremus multa ejusmodi casu fieri, quæ justo Dei judicio contingunt: prænonuit Dominus mortem filiorum Heli, utut in pugna acciderit, fore in pœnam delictorum. *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis Ophni, & Phinees, in una die morientur ambo.* 1. Reg. 2. 34. O quot vicibus ictum vibrat Nemesis Divina, quando putatur sorte id factum. Expertus id Achab: *vir autem quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israël, inter pulmonem, & stomachum.* 3. Reg. 22. v. 34. Sed casus iste veritas fuit prophetiæ Michææ exitium Regi huic prædicentis. Vatem etiam hominibus nequam egit David, cùm ipsis vitæ brevitatem prædixit: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Psalm 54. v. 24. Non suos, quasi eos sint victuri, sed suos, utpote quos vixissent, nisi sceleribus suis illos abbreviâssent. Filius quoque Davidis in eundem sensum: *timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur.* Prov. 10. v. 27. Tantò longiùs quis vivit, quantò magis Deum metuit, & eò citiùs quivis moritur, quò celeriùs complet peccatorum numerum. Dies addit timor Domini sanctus; non tantùm dies, sed etiam annos demit effrons peccandi licentia. Sed quî, inquis, homo

homo poteſt mutare immutabilia Dei decreta? non mutantur decreta, ſed conditiones purificantur decretis imbibitæ. Offert Deus vitam, ſi noveris vitare culpam. Ecce quomodò poſſis brevem, vel longam tu ipſe tibi ætatem parare. Audierat Ezechias æger moriturum ſe: *ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & introivit ad eum Iſaias, & dixit ei: hæc dicit Dominus: diſpone domui tuæ, morieris enim tu, & non vives.* Iſai. 38. v. 1. Ipſemet rem ſic erat interpretatus: *Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* 16. v. 10. Conſtat tamen quindecim annis prophetiæ ſupervixiſſe? nempe flevit Ezechias, pœnitentiam egit, vitam in meliùs mutavit, & ſententiam mortis ſuſpendit. Decreverat iſtam Deus, niſi reſipuiſſet, reſipuit, & Dominus vitam prorogavit. Niſi peccâſſet Adam, mortuus non eſſet, admiſit culpam, & amiſit vitam. Id ipſum contigit Ninivitis. Jam fulmen imminebat peccatricis gentis verticibus: *adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Jon. 3. v. 4. Sed cùm eluerint lacrymis peccata ſua, Deus non habuit, contra quid his ſceleribus ſublatis intentatum fulmen vibraret. Peccata vitam ſuccidebant, pœnitentia illam ſervavit.

418. Si ergò inſtare queat tempus, quo non erit tempus ampliùs, quæ erit dementia, non aquieſcere monito Paulino: *dum tempus habemus, operemur bonum.* Gal. 6 v. 10. Tempus autem bene operandi utique illud non erit, quod Deus reſervavit ſibi ad vindictam, non ad miſericordiam: *cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo.* Pſ. 74. v. 3. Etiam hyemale tempus eſt tempus aliquod, ſed non quo fructus matureſcent. Quod extra tempus ſuum oritur, nunquam ritè excoquitur. Illa creperæ lucis veſpertinæ reverberia mortis potiùs, quàm vitæ ſint indicia. Etiam in Sodomæ incendiis naſcuntur poma, ſed ea corruptionis, & cinerum plena In omni ſacra pagina locum non habet Phœnix juxta vulgatam, certúmque eſt avem hanc fuiſſe ſacrificiis excluſam. Pelicanum, aquilam, columbam, turturem, & upupam ibidem invenies, Phœnicem nullam. Cur id? nunquid non avis hæc cæteris nobilior, imò ipſi ſoli eſt ſacra. Nullam tamen ejus mentionem fieri permiſit Deus, quia de ea ſcribitur, quod ſui ſacrificium in morte offerat, túncque meliùs vivere incipiat, quando jam vivere deſinit. Arborem vitæ ignitæ defendunt Machæræ, ne fortè de eo comedere velit Adam: *& flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. v. 24. Sed nunquid eam arborem pro primo homine creârat Deus? Ita ſanè, ſed quia tunc ex ea non comedit, quando potuit, neque ſubin comedere valuit, quando voluiſſet. Tempore uti neglexit â Deo ſibi oblato, & poſteà tempus non habuit ampliùs.

Ubi ad vineæ culturam magnis 419.
opus laboribus, maturandi quoque operarii, qui illi colendæ manum applicent. Hinc Dominus vineæ *exiit primo manè conducere operarios.* Matth. 20.

20. v. 1. iis enim vesperè nos detinemus, quæ initio diei auspicamur. De bestiis campi dicit regius Psaltes, quòd oriente sole cavernas, & spelæa sua repetant: *ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Ps. 10. v. 22. de homine verò idem Psalmista sic: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.* Psalm. 25. v. 23. occupatio nempe, quam oriente rationis lumine ipse assumit, etiam tunc illum distinet, quando lumen istud hebescere, & obscurari incipit. Clarè id apparet in iis, qui ad cænam fuerant invitati. Unus istorum se excusat villâ emptâ, quam necesse erat videre; alter quinque boum jugis, quæ probare oportebat; tertius rotundè negavit se venturum impossibilitate sibi â conjuge inducta. En quomodo negotia hominem cum die cepta protelantur usque ad vesperum imo in ipsam noctem, cùm neque à Deo vocati ad cœnam veniant. Nullus post occasum solis quò vocetur, venit, qui oriente sole aliò, quò eum libido sua abstraxit, se contulit. Sed de his meritò Christus: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam.* Luc. 14. v. 24. Jam illi erant viri, jam in ætate tertia constituti, jam sufficienter â Deo illuminati, & vocati, jam ultima vitæ instabat vespera, & omnes adesse recusant, vel quia perfractè nolunt id, quod antea nunquam voluerant, vel quia, licèt vellent, porrò non possunt: *non possum venire.* v. 20. Felicitas hujus mundi assimilari valet soli. Hic irretortis oculis videri nequit, nisi cùm oritur, vel occumbit. In meridie visûs aciem maximopere hebetat. Ni sortem prosperam despicias, antequam ea fruaris, eò magis te excæcabit, quò altiùs assurrexerit. *Ab altitudine diei timebo* dicebat David. Ps. 55. v. 4. Quia, qui in aurora solem non excipit, medio die radiis ejus absorbebitur, ac vesperi illius jacturam deflere cogetur. Alæ columbæ optimè deserviunt volatui cœlum versùs, eas petebat regius Propheta dicens: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo.* Ps. 14. v. 7. Sed nisi columba antè avolet, quàm nidum jam teneat, rarò alta petit, vix aliquo usque volat, & paulò post iterum revolat. Attende sis igitur, ut in prima statim ætate ad superna volare discas, aliàs frustraneus erit omnis conatus tuus. Qui manè non colligit Manna, cùm scilicet potest, neque posteà illud congregabit, quando jam fuerit colliquatum. *Cúmque incaluisset sol, liquefiebat.* Exod. 16. v. 21. Hinc sapientia dixit: *qui manè vigilaverint ad me, invenient me.* Prov. 8. v. 17. Hoc tutissimum est; an inventuri sint, qui veseperi quærunt supra modum est incertum. *Ego dormio*, dicebat sponsa, necdum aperui oculos vanitatibus mundi, *& cor meum vigilat.* Cant. 5. v. 2. Et jam intendo rebus cœli! jam attendo, an non insonet: *vox dilecti mei pulsantis!* ibid. sciebat nempe illa faciliùs quæri amatum manè, quàm adulto jam die, tunc enim

enim non solùm auribus, sed sollicita insuper inquisitione opus: *indica mihi . . . ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Cant. 1. v. 6. Quòd si illa, quæ diluculò sponsum jam quærit, media adhuc die illum ignorat, quid iis fiet, qui vesperum vel noctem præstolantur, donec indagare incipiant? qui clementiam Dei invenire desiderat, ineunte ætate inquirere discat, teste enim Psalmista: *repleti sumus manè misericordia tua.* Ps. 89 v. 14. Velle debemus, dum possumus, quia nescimus, an poterimus, dum volemus.

Idea LXXVIII.

Qui malè vivit, pejùs moritur

420. QUi videret Lazarum ad divitis portas jacentem, abjectum, pauperrimum, miseriis, & plagis opertum, macie confectum, horrorem visûs, olfactus tormentum, viventem mortuum, vel vivum cadaver, quod immundi canes lambant, hominis manus non contrectet, vel si terram hæc injiciat, ideò solùm, ne illud fætore aërem inficiat, qui, inquam, hæc videret, tot videret mala, quo plura neque jurato suo hosti facilè vellet. Si subin domum ingressus Gazas, & fortunam spectaret divitis, hominem cerneret byssо, & purpura indutum, quotidie epulantem splendidè, aulæis, picturis, argentea, & aurea suppellectili omnis generis instructissimum, gloria, & honore ac deliciis undique cumulatum, qui, si denique naturæ debitum solvere debeat, in pretiosis stragulis inter agnatorum, ac famulorum greges, voluptatum nectare, non malorum pondere oppressus hinc decedat, qui, inquam, hæc cerneret, tot se bona spectare crederet, quibus nec sibi, nec cuipiam amicissimo suo majora cuperet. Sed exspectasis, donec tota scena pandatur, donec cathastrophen videas. Erige vultum, en ibi hominem, quem manibus suis velut in essedo gloriæ ipsi cælestes genii ad gaudia, & præmia æterna deferunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt. Homo iste Lazarus est: *factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Luc. 16. v. 22. Deprime jam oculos: en illic hominem, quem ligatis manibus ac pedibus, atrisque circumdatum flammis mille dæmones ad tartara rapiunt, homo iste dives avarus est, qui â voluptatibus momentaneis ad sempiternos cruciatus abit: *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.* ibid.

Deus

Deus bone quàm miræ hæ utriusque viciſſitudines! hæccine ergò eſt divitis, illa jam pauperis domus, & quidem domus æternitatis! hícne ille, qui induebatur byſſo & purpura! & alter, qui ſeminudus inter centones nihil oſtentabat niſi ulcera! iſte eſt, qui quotidie epulabatur ſplendidè, & ille, qui nec micas habebat, quibus extremæ fami vel minimùm ſuccurreret! anne fieri potuit tanta mutatio, ut divitiæ, voluptates, gloriæ huc reciderent, ut egeſtatis ſummæ anguſtiæ vulnera, fames, miſeriæ illuc ſeſe attollerent! en qui opiparis epulis ſaginabat ventrem, jam guttulâ frigida caret, qua vel linguam refrigeret, & perpetuò ea carebit. En qui micas appetebat de divitis menſa cadentes, modò comedit panem cæli omne delectamentum in ſe habentem, & torrente omnis voluptatis potatur, ac jugiter potabitur. Ite jam, & oculis carneis æſtimate felicitatem hominis. Quid prodeſt mori in purpura, & byſſo, ſi anima tumulatur in orco: quid nocet corpus fœtere in campo, ubi pars hominis melior in odorem ſuavitatis aſcendit ad thronum Dei?

421. *Virum injuſtum mala capient in interitu.* Vaticinium eſt Davidis. Pſalm. 139. v. 12. quantumvis bonis hujus mundi ac deliciis fruitus. *venabuntur*, legit hebræus, uti venatores feram, quam ſi apertis campis ſternere nequeant, ad latibula ſua revertentem in ſua retia, & laqueos trahunt. Sic mala impium venantur, ſi citiùs non comprehendant, cùm in pulverem ſuum revertetur, certò certiùs attingent. Sed quæ mala iſta? Cogita quæ & quanta volueris, ſemper pejora erunt. Explicat id Chaldaica lectio, ubi dicit: *virum pravum & malignum venabitur Angelus mortis, & trudet in gehennam.* Sed quærit hìc Hipponenſis, cur de impio ſolùm dicatur, quòd eum mala capient, cùm etiam probos iis affici videamus. *Nunquid autem*, dicit ſanctus Doctor, *ſoli mali fugiunt â malis, quando quaſſantur â malis?* & reſpondet, probum à malis non capi, niſi ut ad bona æterna illum evehant, impium verò ut unà ſecum ad mala ſempiterna detrudant, & addit: *ideò dixit* (David) *venabuntur in interitu.* (Sic vertit ſanctus ibidem.) Contrarium de juſtis dicit Pſaltes, qui poſt hujus vitæ miſerias Deum videbunt facie ad faciem deliciis omnibus ac gloria implendi: *habitabunt recti cum vultu tuo.* ibid. v. 14. In Angelo illo reſurrectionis domini gaudia annunciante Mariis, quæ venerant ad ſepulchrum Chriſti, notat ſanctus Gregorius, quòd ſe oſtenderit vultu fulguris inſtar, veſtibus verò velut candidam nivem. *Aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimenta ejus ſicut nix.* Matth. 28. v. 3. nempe terror fuit malis, uti fulgur prodromus fulminis. *Exterriti ſunt cuſtodes & facti ſunt velut mortui.* v. 4. Sed blanditiæ piis mulieribus, quæ venerant pretioſis aromatis ungere Dominum. *Nolite timere vos.* v. 5. vel, ùt ſanctus Doctor loquitur: *in fulgure etenim terror timoris eſt, in nive autem*

autem blandimentum candoris. Gregor. homil. 21. in Evang. Ita nempe ad conſpectum tumuli ſe habent mali, ita boni. His mors obviat amicta candore, & gloria, illis armata flammis, iisque æviternis. Columna, quæ Iſraëlitas ex Ægypto deduxit, nubis & ignis præferebat faciem. *Per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Exod. 13. v. 21. nubes ſcilicet pacifica erat bonis, ut eos operiret, ac protegeret, ignis erat malis, ut impietatem eorum vindicaret. Omnes Ægypto exceſſerant, omnes ad mare rubrum tranſierant, Pharao, & Moyſes, Ægyptus, & Iſraël! ſed eadem columna thronum mitem ſe præbuit in liberandis â captivitate Iſraëlitis, & tribunal fuit igneum ê quo proceſſit mortis æternæ ſententia in Ægyptios. *Et ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum.* Exod. 14. v. 24. quia uti dicit ſanctus Gregorius loco ſuprà citato. *Deus judicio veniens per lenitatis manſuetudinem blandè juſtos demulcebit, peccatores per juſtitiæ diſtrictionem terrebit.* Leo erit impio, juſto agnus. Idcircò *habebat in dextera ſua ſtellas, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. v. 16. videtur enſis manu non ore arripi debuiſſe, minimè tamen *Quia juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*, ſeu ùt plures legunt, *tormentum malitiæ.* Sap. 3. v. 1. In ore ergò hæreat gladius, qui malos ſcindat medios, vibrando ictum æternæ mortis. Idem equus, cui mors inſidens triumphat, terribilem metum ingerit improbis, & beatam ſpem auget Juſtorum: *Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors.* Apoc. 6. v. 8. ubi Lorinus cum Tertulliano ex græco legit, *& ecce equus viridis*, nempe ut ipſe ibi commentatur: *eſt pallida, triſtiſque mors, & luctuoſa improbis, juſtis verò læta ob ſpem cœleſtium gaudiorum.* Lorin. in cap. 1. Sap. Hilaris cantando moritur cygnus in deſertis candore ſervato lætus. Siren verò in agone fremens decedit ſciens finem jam adventâſſe impurarum deliciarum. Ille, quòd ante plorarat, tunc decantat, iſta deflet in morte, quod in vivis riſerat.

412. Sed non omnia ad articulum mortis ſemper differt Deus, etiam ante bibendus calix amaritudinis, quem Juſtitia Divina miſcuit. Utut de iſto plurimùm hauſerint Cainus, Pharao, Antiochus, Herodes, Iſcariotes, & plurimi alii, ſuperſunt tamen fæces plurimæ, de quibus adhuc *bibent omnes peccatores terræ.* Pſalm 7. v. 49. cur autem dicuntur *peccatores terræ*, an fortè dantur etiam *peccatores cœli?* cœli non, ſed inferni. *Ly terræ* ergo addidit Pſaltes, ut intelligeremus bibituros de illo felleo calice in terris quoque peccatores vivi, antequam deſcendant in infernum. Tam amarus poſt proditionem calix hic Judæ viſus, ut mortem, & perditionem ſuam illi præelegerit violentas ſibi manus inferens: *tunc videns Judas, qui*

qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, abiens laqueo se suspendit. Matth. 27. v. 3. & 5. Licèt mors malorum hujus vitæ habeatur maximum, mors tamen impiorum inter cæteras teterrima, ùt propterea Psalm. 33. v. 22. dicatur: *mors peccatorum pessima.* Sanctus Bernardus, ùt aulæ & mundo Romanum subtraheret, eidem beatitudinem eorum proponit, *qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. v. 13. & miseriam illorum, qui morte peccatorum pessima defunguntur. Mortem beatorum bonam dicit in quiete post labores hujus vitæ, meliorem in novitate gaudii, quàm experiuntur justi ex hac lacrymarum valle jam jam digressuri, optimam ob securitatem, & pacem, cùm se hinc migrare videant ad coronam gloriæ. Mortem autem peccatorum pessimam mellifluus ita describit: *Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis, ignísque duplici contritione.* Epist. 105. ad Rom. & serm. 41. ex parvis. Mala est *in amissione*, quia non sine dolore relinquitur, quod tanto cum amore possidetur. Hædera ita ulmo nectitur, ut inde non nisi fractis ramis avelli queat. *Pejor in carnis separatione*, quia tanta unio inter carnem, & animam intercedit, ut in impiis anima potiùs una, quàm unita cum carne dici possit. Certè quando separatio hæc fiet, quivis impiorum cum Rege Amalecita dicet: *ficcine separat amara mors.* 1. Reg. 15. v. 32. Denique pessima est ob supplicia æterna, quæ illam sequuntur. Misera anima deliciis innutrita, quis tibi sensus, ubi habitare cœperis cum ardoribus sempiternis? peccatorum mors est mala, quia semper improvisa, nunquam enim impiis adesse videtur tempus moriendi. Mala est, quia mille post se trahit dolores corporis, mille animi agones: mala est ob vermem conscientiæ jugiter rodentem, & ignem nunquam non ardentem.

Mortem hanc vivis coloribus expressit Isaias, cùm dixit: *corruet, & esuriet, & cùm esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo.* cap. 8. v. 21. cadet nimirùm impius â sorte, â magnitudine, & vanitate gloriæ, laudis, delitiarum, ac divitiarum suarum, cúmque jam prostratis viribus non ampliùs refici potest rebus terrenis, cælestia esurire incipiet, quæ priùs pro nihilo reputabat. sed cùm à Deo quem ipse toties contempserat, se porrò derelictum viderit, in iram & maledictionem cor suum effundet in Deum suum. *Et suspiciet sursum, & terram intuebitur.* v. 22. Et quid videbit? *Ecce tribulatio, & tenebræ, dissolutio, & angustia, & caligo persequens, non poterit avolare de angustia sua.* ibid. undique minæ, undique terrores! videbit in cœlo justitiam Dei vindictæ fulmina in se vibrantem, videbit terram ubique hiantem in orcum, quin sit locus effugii. Quid aget infelix! jam tenebræ nihil proderunt, quibus se involverat, ut liberiùs peccaret. Quando *noluit intelligere ut benè ageret*, Psalm. 35. v. 4. 424.

Tunc dicet cum reprobis : *palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi absque oculis attrectavimus, impegimus meridie quaſi in tenebris.* Iſaiæ 59. v. 10. *Sol intelligentiæ non ortus eſt nobis.* Sap. 5. 6. *ſed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Joan. 3. v. 19. Tunc ſole clariùs videbit, lucem hujus mundi meras tenebras, & felicitatem omnem, nil niſi veram miſeriam. Videbit quàm turpè erraverit, ſed remedium tanti erroris nullum apparebit. Quàm nihil ſplendoris tunc cernet in purpura & fulvo metallo ! quàm multum amaritudinis in carnis & mundi deliciis ! quantum vanitatis in dignitatibus, & honoribus oculos perſtringet.

425. Idem Propheta Iſaias, cùm pararet concionem ita orditur : *mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam:* Cap. 32. v. 9. ſed cur mulieres hæ ſurgere debeant ? annon etiam ſedendo excipere poſſunt verba Prophetæ dicentis ? Non, quia ſurgendum denique ex divitiis iſtis, quæ in terram vos totas incurvant : ſurgendum â vanitatibus hisce, quæ in cœlum attollere non ſinunt oculos : ſurgendum â ſuperbia, & præſumptione, qua plùs quàm humanum quid ſapere, vel deſpicere videmini : *ſurgite & audite.* Quid ergò audient ? *Poſt dies enim, & annum vos conturbabimini confidentes.* v. 10. Non multò poſt concident vanæ ſpes veſtræ, pavor, & turbatio undique vos oppriment : *conſummata eſt enim vindemia, collectio ultrà non erit.* ibid. non porrò colligentur flores, emarcuêre fructus, plauſus, & gloriæ jam vertentur in ignominiam, pulchritudo elanguit, vanitas diſſipata eſt, periit omnis decor, & mundus muliebris, Jam ſilentium indictum eſt choreis, ſymphoniis, theatris, *obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes, exuite vos,* (id eſt ùt gloſſat Lyra, veſtibus glorioſis, induentes vos vilibus & aſperis, ſeu ciliciis.) *& confundimini* v. 11. Faciamus jam ante finem vitæ ex virtute, quod brevi erit faciendum ex naturæ neceſſitate. Confundamur & obſtupeſcamus ſponte, antequam velimus nolimus, confuſas videamus ac turbatas ſtupore ſpes noſtras. Cogitemus, quod idem Propheta ſubdit : *ſuper humum populi mei ſpinæ, & vepres aſcendent. quantò magis ſuper omnes domos gaudii civitatis exultantis.* v. 13. ſi in domo Dei, ſi in humilibus populi, ſi in ipſis ſeptis religioſis ſpinæ, & tribuli non deſunt, quæ in hora mortis pungant, & affligant, quid tribulationis iis tunc incumbet, qui habitant in tabernaculis peccatorum ? *quomodo vivere potes, ubi mori non audes !* dicebat Mellifluus Epiſt. 105. Heu jam vos mordet vel tenuis cogitatio mortis, quid fiet, terribile ubi capiendum erit experimentum duræ ſeparationis ? vel mentio inferni vos exanimat, quid fiet ubi fauces ejus apertas vel clauſis in obitu oculis videbitis ? *qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.* Job. 6. v. 16. Modicum frigus timetis, gelu obrigeſcetis, â

fumo

fumo avertitis oculos, & flammis collo, imò vertice tenus immergimini, & ne modicum jam ploretis, omni ſtudio mentem avertitis â fletu, & ſtridore dentium, qui ibi erit. Qui mortem vivens timet, nihil habet, quod moriens timeat, qui eam meditantur attentè, ab ipſis tenebris lumen recipiunt. *habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Iſai. 9. v. 2. Initio noctis non multùm lucent ſtellæ, ſed ubi omninò diſparet crepuſculum, quantus ex iis ſplendor oritur! tenebræ mortis maturo conſilio ſæpiùs perpenſæ lumen incendunt in agone noſtro, ſed in tempore iſta ruminari debent antequam adſint hæ tenebræ. In medio dierum tuorum, cùm adhuc eos ducis in bonis, cogitatio hæc animum pulſet, ſic luce perfundêris optata, & in te fiet id, quod de ſe dixit Pſaltes Regius: *& nox illuminatio mea in deliciis meis,* Pſalm. 136. v. 11.

Idea LXXIX.

Pœnitentia non relinquit culpæ veſtigia.

426. QUàm modica decrepitæ ætatis ſigna ê buſto ſuo redux ad vitam præfefert Phœnix! qui agilitatem cernit volatûs, colorum in pennis vivacitatem, & totius vigorem corporis, haud perſuadebit ſibi ita revixiſſe ê cineribus! ex feretro recepit incunabula, in igne purgavit ſcoriam ſenectutis, ut renovaret juventam ſuam. Quis diceret ex Saulo repentè naſciturum Paulum, & qui heri ùt lupus furebat in gregem Chriſti, hodiè ùt Apoſtolus gregem paſcat? Prodigium hoc fuit multis ſæculis â Patriarcha Jacobo & prævifum & prædictum: *Benjamin lupus rapax! manè comedet prædam, & veſperè dividet ſpolia.* Geneſ. 49. v. 27. manè aliena rapiet! veſperi ſua etiam diſperget, jam agnus, imò ovium paſtor, qui paulò antè lupus. Qui videret mulierem illam peccatricem adhuc dum limen terit Phariſæi, vocabit eam Magdalenam, ſed ſi hanc rurſus domo cerneret efferre pedem, Mariam cerneret. Venit peccatrix, abiit pœnitens: tota alia redit, quàm acceſſerat: nullus oculus veſtigium in reduce videret peccati, niſi fortè Phariſaicus, dicant ejusmodi farinæ homines, *quia peccatrix eſt.* Luc. 7. v. 39. dicet Veritas æterna: *quoniam dilexit multùm.* v. 47. Venit una, diſceſſit altera, vel ùt loquitur Chryſologus: *venit*

venit Maria, & altera Maria: venit ipsa, sed altera, altera, sed ipsa: ut mulier mutaretur vitâ, non nomine, virtute, non sexu. serm. 7. v. 6. Eadem ante & post erat, sed altera rediit, & venit, venit peccatis operta, abiit sanctitate repleta: venit mulier gelu Aquilonis constricta, abiit seraphicis ardoribus liquefacta: venit scelerum sordibus inquinata, abiit imago Dei viva: velut lolium Christi pedibus est substrata, & velut spica frumenti electa inde assurrexit. Sed unde tanta, ac tam repentina mutatio dexteræ Excelsi? cognovit, flevit, dilexit. *O amor contriti cordis!* ait sanctus Laurentius Justinianus, *qui lutum transfiguras in Deum!* vas ignominiæ in honoris conchilium, habitaculum dæmonum in delicias paradysi, petram scandali in exemplar virtutis, propudium culpæ in sanctuarium gratiæ! quis umbram peccati porrò in Magdalena quærat, si dilectio pœnitens lutum non tantùm in aurum, sed in ipsum Deum convertat? En oculi, labia, capilli antea laquei iniquitatis, facta instrumenta salutis! amor pœnitens de armis malitiæ triumphans trophæa erigit pietatis! cùm jam oculi Mariæ innatent lachrymis, locus non est porrò jaculis cupidinis! labia, quæ distillant myrrham supra sponsum virginum non amplius spargunt aconyta Cypriæ matris! cincinni, quibus speciosum præ filiis hominum attraxit in funiculis Charitatis, non ulteriùs illaqueant ad interitum filios vanitatis! Mulier, quæ domum intravit peccatrix, domo egreditur imago pulchræ dilectionis! Hæc vis veræ pœnitentiæ, martyrium doloris convertit in sacrificium amoris? non redigit victimam in cinerem, sed cor contritum jugiter animat ad novum fervorem! sic intelliges id, quod & asseruit, & negavit Jobus: *peccavi quid faciam tibi.* cap. 7. v. 20. *non peccavi.* cap. 17. v. 2. antè enim dixit, quod fecit peccando, subin hoc destruxit pœnitendo.

Denique ad mœnia Ninive delabitur Jonas, vicos urbis perambulat, & Dei nomine minatur excidium. Clamat ubique supremi Numinis Præco: *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Jon. 3. v. 4. Incolæ dicto Prophetæ territi gemunt, orant, ad Dominum clamant, detestantur culpas suas, saccos induunt, ac jejunia extendunt. Labuntur dies quadrageni, & Ninive adhuc illæsa consistit. Nempe *novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Flevit Ninive, & servata est, sententia vindictæ versa est in privilegium veniæ. Ita rem componit sanctus Ambrosius lib. 2. in Lucæ cap. 1. in fine. Sed sanctus Augustinus salvare vult rigorem pœnæ intentatæ, asserítque, *factum est, quod prædixit Deus?* L. 21. de Civit. cap. 24. post medium. Sed quid dixit Deus? *Ninive subvertetur.* At nunquid non stetit elapso circulo dierum quadragenario? *non stetit*, inquit Hipponensis, *Eversa est Ninive, quæ*

mala

mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat. Duobus modis peccatores destruit Deus, uno in ira, altero in misericordia, uno plectendo, altero condonando. Vel Sodomam incendit ob culpam, vel Ninive parcit propter pœnitentiam, ambæ cadunt, illa in cineres redacta jacet monumentum inveteratæ suæ malitiæ, hæc ùt contritam se coram Domino prostravit, melior erigitur, quàm antea fuit in gloriam pœnitentiæ: Cecidit Ninive vitiosa, surrexit Ninive pietatis, ac justitiæ studiosa: eversa est urbs peccatix, ædificata est civitas sancta, si novam hanc videres, Niniven in Ninive non invenires. Prosequitur magnus Augustinus: *Ita extincta est, & deleta, ut tale â Deo testimonium mereretur accipere dicente: & vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Jon. 3. v. 10. sanctus Doctor verò legit: *& pœnituit à malitia, quam dixit.* homil. 9. *quod nemo lædatur, nisi à se ipso.* Tom. 5.

428. Hoc ipsum est, quod Deus promisit per Ezechielem Prophetam: *auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* cap. 36. v. 26. non dicit: *mutabo*, sed *auferam*, ut nihil reliquum sit cordis lapidei, sed ejus loco reponatur cor molle, & carneum. Anne vides Moyses belluam illam, serpentem hunc, & draconem, qui horrorem undique spirat, *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus*, dicit Dominus, & videbis virgam fieri, quod erat vipera. Obedit jubenti Deo, dextram *extendit & tenuit, versáque est in virgam.* Exod. 4. v. 4. non dicit: *& convertit se*, sed *versa est*, conversio enim semper aliquid relinquit, quod non mutatur, videlicet subjectum solâ mutatâ formâ. Non tantùm figura apparens, sed totum, quod priùs erat, immutandum est. Non decet esse virga solùm apparens, sed vera, nec squamma serpentis restet, nec veneni guttula, aut cor colubrinum, quod aliud virus excoquat. Draco omnis verti debuit in virgam tot olim prodigiorum effectricem. Videtur David mala imprecari iis, qui peccârant, & revera illis bona precatur. *Deficiant*, inquit, *peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint: benedic anima mea Domino.* Psal. 103. v. 35. Pereant nimirum peccatores, ac si nunquam fuissent. Quid dicis Propheta regie? an non scis non peti â Deo mortem impii, sed ut magis convertatur & vivat, *nunquid*, loquitur per os Ezechielis, *nunquid voluntatis meæ est, mors impii, dicit Dominus Deus, & non, ut convertatur à viis suis, & vivat?* cap. 18. v. 23. quomodo ergo tu dicis *deficiant.* Non, inquit sanctus Basilius tale quid delinquentibus optat David, *Non, ut pereant, orat, sed ut convertantur, & immutati Divina cognoscant.* ibid. Vult, ut ex corde, & veritate convertantur, ac si non forent amplius, qui fuerant ante, ut pœnitentiam veram

ram agant ipsi, hoc Propheta desiderat, & ut pœnitentia illos tota ratione immutet, *ita ut non sint*. Clariùs Hipponensis: *quasi duæ res sunt homo & peccator, quod audis homo Deus fecit, quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod feciſti, ut Deus salvet quod fecit.* tract. 12. in Joan. sub finem, Proin pereant, ut vult David ac deficiant peccatores, ita ut non sint, ac si nunquam fuissent peccatores. Deleat omnimodè eos pœnitentiæ rigor, nunquam enim Deus magis salvabit, quod ipse fecit, quàm ubi illi destruxerint, quod fecerunt ipsi.

429. Ita intelligitur illud, quod Dei Filius jubet dicens: *qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Matth. 16. v. 24. sed quomodo quis abnegare seipsum poterit sibi ipsi? an quis de se ipso testimonium dabit, quòd non sit ipse? negabit, & abnegabit Petrus se nôsse Christum, sed quomodo neget se esse Petrum, idque sibi ipsi neget? Ita sanè inquit Ambrosius fieri id potest, & rem explicat adducto illius juvenis exemplo, qui mutatis in meliùs moribus amasiæ dicenti *ego sum illa*, respondit, *sed ego non sum ille*, ita dicit sanctus Doctor *se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur.* L. 2. de pœnit, c. 10. in fine. Alius sit, & jam cum veritate dicere poterit: *non sum ille. Relinquamus*, inquit divus Gregorius, *nosmetipsos, quales peccando nos facimus, & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus.* homil. 32. & hoc est semetipsum abnegare, destruendo in se ipso totum id, quod erat rei, & dando totum id Domino, quod jam totum erat Dei. Hæc prodigia facere potest vera pœnitentia, & ex umbra mortis eruere lucem salutis. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* 2. Cor. 4. v. 6. *quasi dicat, uti olim Deus de tenebris lucem produxit, ita nunc de infidelibus nos fecit fideles*, ait â Lapide. Quæ signa, quærit divus Ambrosius, remansêre ejus incredulitatis, quæ elinguem reddit Zachariam, ubi subin actâ pœnitentiâ impeditum labium solvit in vaticinia? *impletus est spiritu sancto & prophetavit.* Luc. 1. v. 67. Ecce hîc, quomodo Deus in fœnore delinquenti reddat, quod iste suâ culpâ amisit, modo accedat cor contritum, quod culpam deflendo deleat. *non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Ambros. L. 2. in Lucæ cap. 1. Hinc Christus aquam pœnitentiæ, ad quam sedebat Samaritanam præstolans, vivam nuncupavit. *si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Joan. 4. v. 10. quia primò nulla aqua aut pluvia, quantumvis copiosè irriget, ligno arido vitam restituet, sed aqua pœnitentiæ utpote vitalis illi quoque vitam dabit, qui vitâ caret. Dein aqua in alimentum vertitur arboris, quæ antea fructus noxios produxerat vel insipidos, salubres, aut sapidos non proferet quacunque affusa lympha, sed unda pœnitentiæ

non

non solùm virtutem fructificandi trunco communicat sterili, sed etiam vim addit gignendi fructus bonos, ita ut is, qui priùs faciebat fructus mortis, jam progerminet fructus vitæ. Aqua hæc non solos ramos, sed ipsam radicem vivificat. Lege Toletum ibid. Et verò quis non miretur ad puteum hunc vitalem miram mulierculæ toties adulteræ conversionem! venerat peccatis â calce ad caput conspurcata, rediit ex hoc fluminis baptismo undique purificata. Lasciva venerat, reversa est modesta, venerat Samariæ scandalum, & in urbem Sichar rediit factura Messiæ invento præconium. Ut hauriret aquam puteum adierat, & jam aliam aquam non sitit, quàm quæ fluit de illa petra, quæ erat Christus. Huic petenti frigidam ipsa frigide respondit: jam hydriam relinquit, & omnia, ut suis annunciet Dominum, festino pede in urbem delata, *venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* Joan. 4. v. 29. Proin etiam sua publicè fatetur adulteria, *nec suo honori pepercit, ut nomen Christi celebraret.* Ait Toletus. O magnam gratiæ Divinæ vim! O! virtutem miram aquæ pœnitentiæ in felici hac metamorphosi hominum! hoc est mysterium sollicitæ mitissimi Patris in Filium prodigum curæ, hoc ipsum dicere coëgit: *citò proferte stolam primam, & induite illum.* Luc. 15. v. 22. Ut nempe indicaret pristinæ gratiæ ex asse restitutam prolem pœnitentem, qua peccando & luxuriosè vivendo exciderat: jussit illi reddi *stolam primam*, neque differri vel momento eam voluit, ne in lacerâ veste vestigium aliquod appareret culpæ, *citò proferte.* Eadem dies, quæ viderat latronem blasphemantem, vidit etiam pœnitentiæ alis ex cruce in cœlos avolantem: *hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. v. 43, Quisquis autem eam beatorum sedem immigrat, carere debet etiam minima cicatrice, aut signo maculæ. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Apoc. 21. v. 27. At qua ratione tam modici intervallo temporis latro evadit omni ex parte justus? comes supplicii, quòd ob delicta merebatur, fit etiam comes Christi in gloria æterna, â qua tam longè paulò antè aberat? quomodo in peccatis totus illicò superabundat gratia? nempe quod Martyres diris, ac repetitis cruciatibus, Apostoli glorioſis, ac dilatatis laboribus, omnimoda integritate virgines, & Dei Angeli, hoc consecuta est paucis temporis momentis boni latronis feliciter acta pœnitentia.

Idea

Idea LXXX.

Gratiam non minuunt culpæ, quas tollit pœnitentia.

430. SI vides Christum longo itinere lassatum, meridiani solis æstu, famis, ac sitis vexatum molestiis, unius mulierculæ licèt ingratæ, & vel aquæ unius potum negantis salutem quærere! *Jesus ergò fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Joan. 4. v. 6. Si scis quòd Jerosolymas ascendat, ut sanitati restituat paralyticum triginta octo annos in sua infirmitate detentum, & tamen tam incurium suæ salutis, ut ex eo quæri debeat: *vis sanus fieri.* Joan. 5, v. 6. Si intelligis pastorem hunc supremum desiderio in caulam reducendæ errantis oviculæ omnia moliri, ut in humeros suos deviam imponat: *dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad eam, quæ perierat, donec inveniat eam.* Luc. 15. v. 4. Si, inquam, ista nôsti, quid ultra peccator differs spem tuam in Servatoris tui immensa misericordia reponere? inveterate malorum, cœce vix non â nativitate, paralytice per plurimos vitæ annos, pridem defuncte, & dudum fœtens in sordibus tuis, petra scandali in cognatione, & plebe tua, quid times? quid desperas? Eja animos, & vivam fidem concipe, intuere mulierem istam, Magdalenam respice totius Jerosolymæ probrum, septem dæmoniorum receptaculum! en vix *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Luc. 7. v. 38. Et peccatrix esse desiit, atque audire meruit: *remittuntur tibi peccata tua* v. 48. *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* v. 50. Multa peccârat, sed quia dilexit multùm, peccatum omne est sublatum. Amarè flevit & amari meruit, lacrymis rigavit Christi pedes, & totam se in balneo pœnitentiæ purgatam â maculis vidit. Eja etiam tu hunc Archiatrum accede, qui vel maximè cupit in gravissimis morbis scientiæ suæ facere periculum! en protestatur ipse, non est opus *valentibus medicus, sed malè habentibus.* Matth. 9. v. 12. Additque, ut majores animos addat, venisse se unicè in hunc mundum, ut suam miseris impendat misericordiam, ut non justis, sed peccatoribus offerat multiplicem gratiam. *misericordiam volo*, inquit, *non sacrificium; non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Ibid. v. 13.

Respira peccator, spiritum suum 430
omnibus Deus promisit, ut ex nihilo culpæ formaret vasa suæ gloriæ, ac potentiæ:

tentiæ; Emittes *Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Psalm. 103. v. 30. Hócque fieri voluit creatione, non productione. *creabuntur*, hîc enim nulla alia opus subjecti dispositione, quàm, ut sequatur ductum spiritûs ad meliora impellentis, ut obediat gratiæ, neque eam in vanum recipiat. Sequere ergò vocem te vocantis, Deus, qui velle dedit, etiam dabit perficere. Ne te detineat, quòd pulvis sis, ac gleba vilis, hanc enim innovationem Spiritûs non cœlis, sed terræ promisit Deus. Neque promissio hæc facta solùm terræ fœcundæ, ac electæ, sed etiam sterili, spinis & tribulis horridæ. Non tantùm sacratis collibus Libani, & Carmeli, sed etiam Gelboë montibus hæc est felicitas promissa. Nam quibus maledixerat initio regni sui Vates regius, iis in fine vitæ benedictionem est impertitus. Diluvium temporibus Noë venit in pœnam delictorum, diluvium gratiarum, quod veniente Christo in nos depluit, factum est in remedium, ut scilicet destruatur corpus peccati, & homo peccator vivificaretur morte Filii Dei. In hujus egressu â summo cœlo dictum fuit Mariæ: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Luc. 1. 35. in hujus regressu ad thronum Divinitatis acclamatur omnibus; *accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos.* Act. 1. 8. Non solus Joannes semper innocens, sed etiam Petrus & Magdalena non semel rei favore gaudent, & visione Christi gloriosè resurgentis, etiam Thomas incredulus, atque reliqui meticulosi discipuli participes fiunt aspectûs Dominici. Imò videtur hîc superabundâsse gratia, ubi magis abundavit delictum. Magdalena olim peccatrix prima redivivum Dominum vidit, & Thomas in infidelitate obfirmatus non solùm vidit, sed etiam palpavit. Nimirùm *sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Rom. 9. v. 22. & 23. Ter Petrus Magistrum suum negârat, prout Christus prædixerat: *ter me negabis.* Matth. 25. v. 75. ter itidem Petrus Dominum suum amanter est confessus: *dixit ei tertiò: Simon Joannis amas me?* Joan, 21. v. 17. & ob negationes ternas, amaro fletu deletas, triplicem obtinuit Petrus Tiaram, quam Vicarii sui capiti imposuit Christus. Nullus in Dominum magis injurius, ac Saulus, nullus divitias gloriæ ejus obtinuit copiosiùs. Pro eo solo Verbum Patris descendit de cœlis, quod pro omnibus antea in hunc mundum venerat: *& subitò circumfulsit eum lux de cœlo.* Act. 9. v. 3. Lacrymæ fundantur, queis peccata mergantur, & peccata non erunt, quæ imminuant fluenta gratiæ Divinæ. Vivo dolore extinguantur culpæ, & cum fœnore reviviscet Charitas. *cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.* Luc. 7. v. 47 amori grandi major respondet venia.

Deus, qui nulli gratiam debet, 431. omnibus tamen eam dare cupit, ac

etiam gaudet hominibus quàm maximè impendi misericordiam atque clementiam suam. Ideò suæ munificentiæ testem voluit pluviam, quæ ubi cælo decidit, omnes in terra degentes afficit. *Pluit super justos & injustos.* Matth. 5. v. 45. útque rem meliùs exprimeret addidit David: *Pluviam voluntariam segregabis hæreditati tuæ.* Psalm. 67. v. 10. alii legunt *spontaneam.* Sed an pluvia magis in arbitrio Dei, quàm res cæteræ? videtur sanè esse Deo ita reservatam, quin alius in illam jus habeat. Nullus homo efficere potest, ut aquas cælum depluat, licèt tellus vel maximè iis sœpe indigeat, desiderare eas possumus, petere possumus, efficere non possumus, solus Deus ex suæ liberalitatis ærario quando, & quantùm vult, illam terrigenis impertitur. Sic se etiam habent fluenta, & irrigua misericordiæ eò glorioſiora, quò magis voluntaria, cadunt spontè supra zizania æquè, ac triticum, imò felici metamorphosi ipsum lolium transformat in frumentum electum. Magnam suæ clementiæ vim ostensurus Deus Ezechieli campum ostendit ossibus jam putrefactis scatentem, jubet iis acclamari: *ossa arida audite verbum Domini,* Ezech. 37. v. 4. indicare voluit â Dei spiritu non qualescunque, sed annosos, ac in vitiis jam putridos peccatores, qui dudum gratiam animæ vitam amiserant, iterum revocari in vitam, atque iis virtutem habitus præsertim fidei, & spei restitui, quorum jam fecerant jacturam, juxta illud: *aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus:* ibid. v. 11. O ossa arida! necdum omnis spes periit, nondum omninò absciſſa estus de regione viventium! erigite aures, oculos aperite, ingemiscite culpis vestris, & spiritus Domini inspirabit in facies vestras spiracula vitæ, neque enim potentia, neque voluntas illi deest, ut id faciat, útque facillimè etiam faciat. Petebat quidem Ezechiel commoveri ob id orbem, & à quatuor cardinibus terræ afflari ventos supra ossa hæc arida. *à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & revivi-scent.* ibid. v. 9. sed tanto haud fuit opus, nam pluris ossibus aridis hæc vitæ recuperatio non stetit, quàm ut spiritum ultrò venientem exciperent. *ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steterúntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde.* ibid. v. 10. sic Deus agit cum ossibus his arefactis, cum peccatoribus in umbra mortis dudum sedentibus. Libitinæ ac dæmoniis manibus eos eripit, ut suæ gloriæ ministros constituat, ac prælia Domini occipiant præliari, & referre de cœli hostibus triumphos. Irrigent pœnitentiæ lacrymæ ligna arida, ficca, pridem emortua, & licèt Vulcano jam destinata florebunt illicò folia, flores, ac fructus è vestigio productura; ita promisit Deus, qui id prodigii jam fecit, & misericordiæ ejus faciunt quotidie accedente hominum pœnitentia. *Et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, & feci.* Ezech. 17. v. 24.

Expande

432. Expande proin bonæ ſpei plenus brachia, & amanter complectere Metanœam. ſi hanc ſequeris, te fragilem licèt illa tuebitur contra inimicos tuos, habitus videlicet vitioſos. Virtutes reliquæ ùt plurimùm ſingulos adverſarios habent, quos debellent, pœnitentia ſola peccatum omne deſtruit, de univerſis triumphat. Vix natus erat præcurſor Domini, cùm parens ejus ſibi, & aliis promiſit *ſalutem ex inimicis noſtris de manu omnium, qui oderunt nos*, Luc. 1. v. 17. ſed unde Zachariæ ſuborta ſpes tantæ victoriæ? an fortè puer propheta Altiſſimi liberaturus erat Iſraël à jugo Romanorum? minimè gentium, quia victrices aquilæ ſubin contra Judæos ſemper magìs prævaluêre; donec Metropolin eorum Jeroſolymam omninò exſcinderent. Quid ergò ſalutis ex natalibus Joannis genti Iſraëliticæ obvenit? idipſum quod Zacharias annunciabat. Verbo, & exemplo docere debebat modum triumphandi de inimicis. *Venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ, & dicens, pœnitentiam agite.* Matth. 3. v. 1. Præco cœli omnibus ſuaſit modum excutiendi jugum grave, & tyrannidem peccatorum omnium, dum pœnitentiam ſuaſit, útque potentiùs victricem hanc animæ hoſtium omnium virtutem gentilibus ſuis perſuaderet, ipſe jam trimulus eidem ſe totum applicuit. Ita eſt, virtus hæc ſola hoſtes omnes debellat, cæteræ tantùm ſingulos. Temperantia domat gulam, ſed non ſuperbiam, hanc ſternit quidem humilitas, at fœna non injicit inglu-viei; opponitur puritas laſciviæ, non autem avaritiæ; hanc ſubigit liberalitas, non tamen iſta ſubjugat invidiam; ad pedes manſuetudinis corruit ira, ſed iſti adhuc negotium faceſſit acedia, ſícque de cæteris diſcurrendo, virtutes ſingulæ vincunt ſingula vitia. Metanœa ſola cum omnibus luctatur, omnibus ſeſe generoſa opponit omnia devincit, de univerſis triumphat, imò ex ipſo peccatorum veneno antidotum parat: lacrymas excitat, queis culpæ mergantur, & rigentur, ac fœcundentur virtutum ſementes, eo enim paſſu, quo eliminat vitia, inſerit virtutes: in iis agnoſcit turpitudinem offenſæ in ſummum Deum commiſſæ, & adorat bonitatem eius miſericorditer illa, ſi defleantur, remittere parati. Plectit ſuam audaciam, ſatisfacit contractis debitis, fugit periculum relapſûs, offert ſe in Dei obſequium, imò in ſacrificium. Ita exercet, ita armat virtus iſta ad prælia, ad triumphos vitiorum, ut liberemur, *de manu omnium, qui oderunt nos*: ne porò valeant impedire effectus gratiæ, & nobis eripere coronas gloriæ.

Idea LXXXI.

Pœnitentia, ſi non excedit ſaltem gloriâ, æquat candorem Innocentiæ.

PAnnosus, & famelicus ad Patrem redux filius prodigus hujus brachiis excipitur, ac illicó ſtola veſtiri jubetur, & ornari annulo. *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus.* Luc. 25. v. 22. Quæro cur ſtolam primam, ſeu quam priùs, ac recederet à parente filius habuerat, rurſus recipit, & non etiam annulum primùm? ideò, quia recuperata ſtola eſt mirabilis vis pœnitentiæ, quæ abſterſis maculis omnibus priſtinum, quem innocentia dabat, ſplendorem animæ conciliat, annulus verò eſt pignus reconciliationis, quod ante offenſam haberi non poterat. Proin & candida veſtis eſt nobile ſpolium contriti cordis, & una gemma in digitis ſignum nobilitatis, qua cor innocentis carebat. Converſa eſt Magdalena, & beneficio victricium lacrymarum poſt inteſtina paſſionum, ac vitiorum ſuorum bella invidendam vel ipſis animis innocuis obtinuit tranquillitatem. *Vade in pace.* Luc. 7. v. 50. Nihil habuit, quod ploraret Martha, habuit Magdalena, & aquæ hæ animi contriti indices tam altum ſubvexêre ſanctam hanc pœnitentem, ut poſt Matrem Filii Dei inter cæteras mulieres primo loco invocetur. In Eccleſia Chriſti certè ſigna amoris Jeſu longè plura ſorori pœnitenti, ac innocenti exhibita in Evangelio legimus. Quis non ſperet ut ut magnis, & multis aliquando obſtrictus peccatis in benignitate Jeſu, ſi videt mulierem illam peccatricem ope pœnitentiæ ad ipſius ſponſæ honorem evectam, ut ejus exemplô quàm plurimas de orco prædas referat triumphans pietas. *Confidit in ea cor viri, & ſpoliis non indigebit.* Prov. 31. v. 11. In pœnitentis namque Magdalenæ prototypo, quot ſpolia de hoſte tartareo legit ſponſus cœleſtis? innumeri ſunt, qui illius exemplô candorem animi, maculis antè denigratum, lacrymis poſtliminiò eluerunt, atque non ſolùm nitori reſtituêre priſtino, ſed omni virtutum genere ampliùs inſuper exornârunt.

David poſtquam errata ſua ſincera contritione eſt deteſtatus, de ſe ipſo dicit: *& ſuper nivem dealbabor.* Pſ. 50. v. 8. Quid hoc! an non nivis albedo figura innocentiæ nullo unquam maculæ vel levi halitu afflatæ? ita ſanè, quomodò ergò corvus ob culpam ſupra cygnum dealbetur per gratiam, aut pix denigrata nitore ſuperet niveam innocentiam? hæc nimirum eſt prodigioſa pœnitentiæ fontis efficacia, ut

delinquenti plus albedinis conciliet, quàm habuerit adhuc criminis purus. Apud Isaiam hominibus ad frugem reversis promittit Deus: *si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Isai. 1. v. 18. Niveis suis indumentis amictum se ostendit cœlestis Sponsus, quando decorem, & gloriam Ecclesiæ suæ teste Augustino exhibere voluit: proinde inquit sanctus Doctor, *vestis ejus in monte, quæ tanquam nix dealbata effulsit, significavit Ecclesiam omni maculâ peccati mundatam.* Super Ps. 50. *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Matth. 17. v. 2. Angelus etiam ille, qui resurrectionis mysterium annunciavit Mariis niveo vestitus erat indumento: *Et vestimentum ejus sicut nix.* Matth. 28. v. 3. Mira res, nec Angelus, nec Angelorum Dominus candidiore, quàm qui nivem æmuletur, vestitu comparent, & David suæ pœnitentiæ vesti candorem niveo majorem adpromittit? *& super nivem dealbabor.* Angelus quem vidit Daniel lino vestiebatur non byssô, aut purpurâ. *Et ecce vir unus vestitus lineis.* Cap. 10 v. 5. Quis putaret vestes has Angelo congruere? Si candor ei placebat, cur nubem non assumpsit solis radiis nitentem? Si terrestri indumento delectabatur: cur bombycinum coloris albicantis non est mutuatus? sic equidem candidior apparuisset, sed non in sua albedine jugiter perseveraret vestis color. Sericum semel maculatum nunquam ampliùs nitorem suum reparat, linum quascunque contraxerit sordes, fonte puro immersum magis, quàm priùs albescit. Angelus candorem animi sui exteriori cultu demonstraturus non aliam, quàm lineam vestem sibi adscivit, ut ostenderet, quàm in cœlis niteant pœnitentium amictus salutari lachrymarum suarum lavacro repurgati.

Variegata indutam clamyde sponsam 435.
proponit Regius Vates: *astitit Regina â dextris tuis circumdata varietate.* Ps. 44. v. 10. cælestes genii verò illam æthera scandentem non albam, sed dealbatam sunt intuiti. *quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* ubi septuaginta legunt: *quæ ascendit dealbata.* Cant. 8. v. 5. en non nativam, aut congenitam, sed lixivio pœnitentiæ reparatam albedinem sponsa in cælos defert, licèt deliciis illa affluat, & virtutum varietate undique cincta appareat. Sed quomodo ea ipsa se formosam dixit tunc etiam, cùm nigram se sciebat, *nigra sum, sed formosa.* Cant. 1. v. 4. si de forma corporea loqueretur, facilè id posset intelligi, nam etiam suas habet muscas pulchritudo hæc vana, at verò quævis animi nigredo macula est innocentiæ, est culpæ tinctura, quæ cœlestibus oculis nunquam placere potest. Quomodò ergò formosa, si nigra, aut nigra, si formosa? quia pœnitentia eam quibusdam ornamentis instruxit, quæ ipsi quoque innocentiæ desunt: proin addit: *nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decoloravit me sol.* ibid. v. 5. velut diceret, uti glossat Mellifluus: *quid fuscam dicitis, solius solis pulchritudini succumbentem?*

Serm. 28. ſuper Cant. in fine. Ille nigror non inficit, qui candorem meum unius ſolis nitori duntaxat inferiorem facit. Hanc ſola elegantiam conciliare valet pœnitentia, ut nulli alteri cedat, niſi Juſtitiæ ſolis ſeu formoſi præ filiis hominum. *Ovem perditam Paſtor Divinus imponit ſuper humeros ſuos gaudens.* Luc. 15. v. 5. An fortè claudicabat ovicula per avia, & devia errans. Sed de hoc nihil conſtat? Cur ergo non reducit, ſed humeris ſuis impoſitam ad caulas paſtor reportat? non alio ex capite, quàm quia perierat ovicula illa, & inventa eſt, & idcircò cupit amicos gratulari ſibi: *congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* ibid. v. 6. Ecce ovem perditam eò evectam, quo nulla alia devenit. Eas, quæ vocem Paſtoris ſequuntur, ſibilo, & baculo regit, illam velut coronam capitis ſui ipſe inter tripudia, & triumphantis habitu defert.

436. Virgam manu tenebat Moyſes, ſimplicem virgam: juſſu Dei illam manumiſit, & in terram cadens facta eſt reptile viſu horridum: *projecit, & verſa eſt in colubrum, ita, ut fugeret Moyſes.* Exod. 4. v. 3. Apprehendit illam rurſus Moyſes, & iterum virgam habuit in manibus ſuis. *Et tenuit, verſáque eſt in virgam.* ibid. En virga à Deo, vel Divino Miniſtro projecta in Draconem abit, hujus manu ſolo evecta non revertitur, *ſed verſa eſt* in virgam, quàm ante erat multò meliorem. Antequam in ſerpentem abiret, nil erat, niſi obvia arbore præciſus ramus. Subin ex pedo paſtoritio fit baculus potentiſſimi ductoris populi innumeri. Virga evadit prodigiorum patratrix, mari, terræ, ipſi cœlo imperat, digna evadit, quam regat ipſe Dei digitus. Manus Moyſis nunquam patrârat miracula, niſi ùt lepra eam fœdaverat. Mundata eſt iterum, & majus, quàm ipſa virga portentum ſubin operata teſtante Deo: *ſi non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.* Exod. 4 v. 8 Patres communiter per ſponſam Epithalamii Verbi incarnati intelligunt gentilium multitudinem ad Deum converſam. En ſponſa hæc, quam paulò ante fædabant horribiliter Idololatriæ deturpamenta, valuit pœnitentiæ ſubſidio aſcendere ad culmen pulchritudinis, & ſupremum thronum Divinitatis. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Pſ. 44. v. 10. Mille aliis utut ſpecioſiſſimis præferri meruit: *adducentur Regi virgines poſt eam.* v. 15. Imò tanta eſt, & tam excellens hujus Reginæ elegantia, ut ipſe Deus ejus aſpectu frui geſtiat. *Et concupiſcet Rex decorem tuum.* v. 12. Res ſanè plena prodigii! Innocentia Angelica imò Seraphica unicè gaudet viſione Dei, pœnitentia glorioſa non tantùm beatur aſpectu Dei, ſed inſuper videt Deum ſibi complacere in aſpectu ſui, & concupiſcet Rex decorem tuum. Beati torrente voluptatis potantur, dum fontem illum aſpiciunt bonitatis inexhauſtæ, & hæc ipſa immenſa bonitas ſitit pœnitentiæ lacrymas, corda contrita!

Idea

Idea LXXXII.

Contriti amoris sacrificium par holocausto sanguinis.

437. POst lapsum geminum in se reversus, & ad pœnitentiam conversus Psaltes Regius ita loquitur Domino. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum non despicies.* Ps. 50. v. 18. & 19. Ecce hìc dicit sanctus Augustinus. lib. 10. de civit. cap. 5. Eodem Deus loco respicit sacrificia, & unà indicat holocaustum, quod unicè placet, & sine quo reliqua omnia displicent. Soli Deo honor debetur, & gloria, at neutra Deo placet etiam in holocautomate à nobis eidem delata, nisi oblatio nostra melle amoris dulcoretur, vel ùt loquitur Mellifluus. *Horum neutrum acceptavit Deus, si melle amoris condita non fuerint, is per se sufficit, is per se placet, & propter se.* Bern. super Cant. Serm. 83. Omnes sacrificia Majestati Divinæ offerre tenemur, & licèt non omnes vitæ, & sanguinis holocaustum queamus exhibere illi, qui animam & cruorem suum pro nobis litrum redemptionis dedit, singuli tamen, & universi possumus dare cor contritum, & humiliatum. *Una Deo est purum gratissima victima pectus*, decinit Nazianzen. in carm. ad Vitalian. Hæc enim victima acceptabile facit omne sacrificium sanguinis, & æquivalet omni cruento sacrificio, quando pro Deo sanguis fundi nequit. Hac ratione hostias suas Deo placentes effecit Abel. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Gen. 4. v. 4. adeò, ut paucis donis Deo suo oblatis obtulerit plurima. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo.* Hebr. 11. v. 4 hæc est hostia viva, quam idem gentium Doctor nos jubet Domino offerre, útque sit victima amoris, rogat, ut id faciamus amore Dei. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Rom. 21. v. 1. sed si hostiam, & sacrificium nos vult Deo, quare Apostolus vult hostiam vivam? ut nimirùm ostendat hostiam mortuam sacrificium sanguinis nec esse pro omnibus, nec semper esse gratum Deo. Cor contritum, & humile holocaustum hoc, licèt vivens, nunquam displicet, imò magìs placet, quàm mortuum. Et verò difficilius est

quotidie

quotidie vivum millies mori, quàm ſemel moriendo vitam finire. Teſte enim Seneca, *meliùs eſt ſemel ſcindi, quàm ſemper premi.* Lorinus verò ſupra Pſalm. 50. ait, *hoſtia hæc vivens eſt ſancta, Deo placens quodammodo magis, quàm brevis mors martyrum.* Hinc ſanctus Auguſtinus crucem fidelium pœnitentiam vocat, in qua mactando peccatum unà immolamus veterem hominem cum vitiis, ac concupiſcentiis ſuis. *Crucifixio*, inquit, *interioris hominis dolores pœnitentiæ intelliguntur & continentiæ quidam ſalubris cruciatus.* L. de Trinit. cap. 3.

438. Sic videmus ſacrificium Abrahami, licèt incruentum, cœli, ac ſtellarum plauſum tulſſe: *quia feciſti hanc rem, & non pepercifti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Gen. 22. v. 16. vivus remanſit Iſaac, neque guttula ſanguinis hîc effuſa eſt, ſed cor patris exangue manſit dolore filii, quem ex animo Deo parabat immolare ſacrificium faciens amoris perfectius ipſo ſacrificio ſanguinis; hinc primo contentus Deus, alterum impediit, & tamen dixit, *quia feciſti hanc rem.* Felix, qui pro Deo ſanguinem ſuum è venis fundit! ſed non minùs felix, qui eum in ara charitatis conſumit. Ille ſanguine eluit culpas ſuas, iſte lachrymis ex corde contrito in oculos transfuſis. Januas cœli margaritas pretioſas ſanctus Joannes dicit: *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt.* Apoc. 21. v. 21. conſtat in urbem illam ſanctam non recipi lapides, niſi antea probè elaboratos, ùt canit Eccleſia: *ſcalpri ſalubris ictibus, & tunſione plurima: fabri polita malleo, hanc ſaxa molem conſtruunt.* Quomodò ergò portas æthereæ domûs margaritæ nullo malleo ſubactæ conſtituunt? Cimelia hæc auroræ ros per ſtellarum oculos ùt ita dicam colliquatus in chonchis parturit. Auro inſeruntur, quin vel rota eas molat, aut poliat, uti adamantes, vel focus â ſcoria mundet, ùt fulvum metallum: nec ſcalpello, aut malleo opus, qui formam aut ſplendorem concilient, uti fit in aliis gemmis, ac lapillis magni pretii. Unde ergo tam beatæ margaritæ, quòd ſine ullo ictu, ſine vi locum in ſupremis illis ſedibus obtineant, cùm tamen lapides alii illuc non transferantur, niſi antea violentiam paſſi? cùm ſcriptum ſit, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. v. 12. nempe margaritæ ſymbola ſunt lacrymarum cordis contriti, cúmque hæc ardeant flammis amoris, in cœleſti aula florere poſſunt nullo alio artificio, aut vi adhibita, cùm amor doloroſus idipſum efficiat, quod ſcalprum, aut malleus faceret.

En Magdalenam in Phariſæi domo 439
uniones ſuos ſub divite cordis ſui multùm amantis concha perfectè elaborantem lachrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat. Luc. 7. v. 38. Crinibus velut filis aureis excipiebat candentes ex oculis gemmulas iſtas, quæ ſacrato contactu pedibus Chriſti circumvolutæ in

coronas

coronas paulatim formabantur vel ipſis ſtellis invidendas. lachrymæ hæ id ipſum potuêre, quod guttæ ſanguinis, cultro ex aliis victimis expreſſæ. Hinc divus Paulinus de ſancta hac pœnitente ita ſcripſit: *atque ipſos ſibi pedes ſacrarium, ùt ita dicam, & altare conſtituit: in quibus libavit fletu, litavit unguento, ſacrificavit affectu. Sacrificium enim Deo ſpiritus contribulatus, quem illa imolans Deo non ſolùm remiſſionem delictorum, ſed & gloriam præjudicandi eam Evangelio nominis meruit.* Epiſt. 4. ad Severum. *Dein ſubdit: pœnitentia lachrymas habuit in lavacrum, viſcera charitatis in ſacrificium. Sanguinem quoque calicis, antequam fieret calix ſanguinis, oſculis ſugentibus prælibavit. ibid.* Quid refert, licét cruorem non fundat Magdalena, ſi ſpargit lachrymas, quas pretioſo ſanguinis Chriſti liquori miſcet. Poculum ita miſtum amoris labiis exſugit, & quem cor fontem dederat cum fœnore iterum recipit. Hanc utique dicere poſſumus, *hoſtiam viventem, ſanctam Deo placentem.* Rom. 12. v. 1. In martyrio ſibi complacet Deus, quatenus paſſio eſt illius, qui Dei amore illud ſuſtinet, non verò in actione iniqua tyranni inferentis martyrium, Sed in ſacrificio lacrymarum Divinæ juſtitiæ æquè arridet miniſter ſacrificans, qui eſt amor contritus, quàm victima ſeu cor patiens. Non igitur mirandum, ſi Magdalena unguento, alabaſtro, oſculis, lacrymis, crinibus, & ardenti ſuo amore Iſaiæ ſerras, & Jeremiæ carceres æquet, & glorioſas martyres, ac virgines Catharinam, Agnetem, Luciam, & alias in Chriſti Eccleſia præcedat. Ama homo, atque plora, & licèt conviviis accumbas, nihil tibi id oberit. Amor ſacrificulus gratiſſimas Deo victimas, vel ex Apiciis menſis parabit, & ex amoris oſculis victrices palmas colliget, quas alii vix metent inter tormenta, & pœnas.

Intuere ſponſam Canticorum, & 439.
videbis, quòd non minùs placeat ſponſo, cùm quieſcit inter ſui amoris ardores, quàm cùm gemit inter vulnera, & plagas. Dicit: *ego dormio, & cor meum vigilat*: ſiquidem fieri queat, ut, qui amat, dormiat. Sed en illicò ſic quieſcens ſponſum trahit: *Ecce vox dilecti mei puiſantis: aperi mihi ſoror mea.* Cant. 5. v. 2. eadem dolet peſſimè à cuſtodibus ſe habitam: *percuſſerunt me, & vulneraverunt me.* Cant. 5. v. 7. ſed tamen non illicò aſpectu ſuo illam ſponſus dignatur. Quærere illum adhuc debet, & dicere: *adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* v. 8. inter plagas dilecto caret, inter dulcia vigilis cordis ſuſpiria illicò præſentem habet, ut ſciret ſponſo ſuo magis placere amorem, quàm ſanguinem. Ille quoque vulneratum ſe dicit, ſed non alio, quàm dilectionis jaculo. *Vulnerâſti cor meum.* Cant 4. v. 9. ſponſa verò ùt plagis percuſſa nullum aliud dilecto ſuo vult innoteſcere vulnus, quàm cordis: *nuncietis ei, quia amo-*

re langueo. Optimè gnara ab eo præferri magnum amorem multo etiam sanguini. Hinc primas ipsa quoque dat candori incruento puri amoris supra colorem rubeum cruoris effusi, ac dicit: *dilectus meus candidus, & rubicundus.* Cant. 5. v. 10. inter delicias hortenses eadem illicò invenit, quem diligebat: *Dilectus meus,* inquiens, *descendit in hortum suum ad areolam aromatum.* Cant. 6. v. 1. sed in verberibus, & plagis nesciebat ipsa ubi inveniret. Neque in hortum sponsus secesserat, ut spineas rosas, *sed lilia colligat.* ibid. Denique non in vulneribus, sed in candidis suis floribus perfectissima unio obtinetur. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Cant. 6. v. 2. O amor contrite! ô dolor amare! ô lacrymæ pœnitentes! qui ex dulcoribus vestris elicitis sacrificium incruentum haud inferius, imò superius cruento, qui terram in cælum, pulverem in stellas, tenebras in lucem, corvos in columbas, Magdalenas in Marias, & instrumenta licentiæ in sacrata trophæa puritatis felici metamorphosi transformatis, atque teste sancto Augustino ex latrone Martyrem efficitis, eidémque Regnum cælorum paratis, quod ipso martyrio consequi debuêre discipuli Christi. *Inventa est,* inquit, *in eo mensura Martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres.* Tom. 7. de anima & ejus origine ad Renatum. L. 1. cap. 9.

Idea LXXXIII.

In nubibus pluviæ, tonitrua, fulmina.

441. Asserto sancti Gregorii supra Jobum libr. 17. cap. 14. Concionatores sunt nubes illæ, quorum ministerio toties uti Deum constat ex sacris paginis, qui se ipsum etiam nubem dici voluit, cùm misericordiam Patris pluviæ instar in homines spargi Dei filius asseruit. *Et pluit super justos & injustos.* Matth. 5. v. 45. mihi videtur fidelium quemvis lumine veræ fidei collustratum in formandis rerum ideis esse, atque etiam esse debere sui ipsius concionatorem. Terram amat, qui deliciis affluentem eam sibi fingit, spernit, si spinis, & horrentem, & brevi perituram considerat. Deum timet, ubi eum cogitat iræ suæ armatum telis, si jugiter clementem suis illum oculis sistat, justitiæ Divinæ facilè oblivisceturus. Quod igitur in auditoribus præstat sacer orator, hoc quivis in se ipso efficere debet. Jam verò palàm est, non solùm leves à nubibus effundi pluvias, sed

sed etiam tonitrua, quæ terrent, ac fulmina, quæ feriunt. *Et nubes pluant justum.* cap. 48. v. 8. Nubes erit, quæ inter tonitrua, & fulmina tremendum hominibus olim sistet Judicem. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus.* Marc. 13. v. 26. Nubes & mansuetum agnum, & terrificum leonem dabunt. Et aquam illæ, & ignem spargere debent. Nubis officio haud fungitur, qui semper blanditur, nunquam urit. Non sic Mellifluus scribens ad juniorem in vocatione sua religiosa nutantem: *Ad omnem recordationem tui animam meam transverberat gladius timoris tantò acerbiùs, quantò te minùs timentem considero.* Epist. 108. qui mundum intuetur, neque timorem Dei illi inculcat, neque eidem intonat terribilia ejus judicia, neque mundum amat, quia ejus perniciem non amolitur. Scitísne, inquit David, cur tam dura fata, tam tristes casus terrigenis incumbant? *Cur contritio & infelicitas in viis eorum?* ideò nimirum, quia *non est timor Dei ante oculos eorum.* Psalm. 13. v. 3. Ideo tam crebrò peccatur in bonitatem Dei, quia tam rarò cogitatur de justitia ejus. *Irremediabile periculum est*, inquit Augustinus, *sic aliquem vitiis & cupiditatibus frœna laxare, ut rationem Deo se non meminerit redditurum.* Et illicò subdit: *puto, quia magna sit jam peccati pœna, metum, ac memoriam futuri perdidisse judicii.* Serm. 120. de temp. En quo malo statu auditorem tuum relinquas, si sanctum timorem judiciorum Dei ejus auribus identidem non ingeras! salutare hoc tonitru continuò mentis auditum quatiat, ne fors divi Gregorii fulmen animam Dei timoris nimis securam feriat, *perversa*, inquit, *anima rebus præsentibus dedita abscondit sibi futura, quia prævidere futura refugit, quia perturbant præsentem lætitiam.* Hom. 39. in Evang. sed ô infelicem concludit sanctus Doctor, dum vanitatibus velut siderato obtutu inhæret, æternum præcipitium, quod malè provida incurrit, nullatenus perspicit: *dúmque in præsentis vitæ oblectationibus se deserit, quid aliud, quàm clausis oculis ad ignem vadit.* ibid. Væ illis! lamentatur Ezechiel, qui rosis omnia, & plumis instruunt! *væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs.* cap. 13 v. 18. qui ubique mollia & dulcia sectantur! Ulcera tabo, & sanie jam putrida non curantur pharmacis lenibus, sed ferris candentibus. Neque etiam vulgares plagæ uno oleo coalescunt, mordenti etiam mero opus habent. Viator ille Jerichuntinus malè à latronibus vulneratus sic curari debuit, misericors enim Samaritanus *alligavit vulnera ejus infundens oleum, & vinum.* Luc. 10. v. 34. Nec Apostoli labia semper fluere debent lacte, & melle, sal etiam eloquiis ejus inspergi debet, ut memor sit conditionis suæ: *vos estis sal terræ.* Matth. 5. v. 13. adhuc in ista vita teste David. *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi.* Psal. 84. v. 11. subin in altera soli justitiæ locus erit. Si proin Deus non exhibuit huic mundo clementiam absque

que juſtitia, cur nos fingamus id nos obtenturos in altero. Debitis encomiis extollatur pietas Dei, ſed unà addatur, eam ſolùm impendi cordibus divino timore plenis. *Miſericordia ejus â progenie in progenies timentibus eum.* Luc. 1. v. 50. grandia Regius vates enunciet de bonitate Dei, non tamen in hac, ſed in æterna primùm vitâ ea canet. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Pſal. 88. v. 1. *cantabo*, inquit, non *canto*, quia importuna in luctu hujus vallis lacrymarum muſica.

442. Volens Deus formare Jeremiam, quo aptus evadat converſioni populi, virgam ei oſtendit eámque vigilantem. Proin interrogavit eum: *quid tu vides*, reſpondet Propheta; *virgam vigilantem ego video.* Jerem. 1. v. 11. Ecce quomodo concionatores ſuos ipſe inſtruat Dominus! en, quid velit, ut annuncietur populo! quòd nempe virga vigilet, & virga furoris Domini, quæ olim omnes arguat in æquitate. Qui aliter concionatur, qui ſolùm placentia loquitur, hunc utique non inſtruxit Deus. Hic enim, ut concionatori ſuo animos addat, eum inſuper commonet, *ne timeas â* facie eorum. v. 8. jubet illum jugiter memorem eſſe verborum iſtorum: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes.* v. 10. In virga, & olla ignita pariter Jeremiæ oſtenſa ſatis indicavit Deus, terrore judiciorum ſuorum, ac æternitatis concutiendas â præconibus ſuis gentes. Juſtitia Divina virga eſt oculata, ſcit enim, quos, quando, & quomodo ferire debeat, & licèt non ſemper percutiat, ſemper tamen vigilat, ſemper illos notat, qui plecti merentur. Locò *virgam* ſeptuaginta legunt, *baculum nuceum ego video*, ut intelligas, fructum non ferri, niſi ictus accedat, ut fit in nucibus, quæ glandes non reddunt, niſi probè tuſæ. Cæterùm ſi virga populos terret, baculus tamen animos addet juxta divum Gregorium dicentem: *Virgâ enim percutimur, & baculo ſuſtentamur: ſi ergò eſt diſtrictio iræ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet.* Luc. 20. moral. cap. 8. Ita erga utrumque Pſaltes regius ſe affectum ſenſit, ut ab ambobus ſolatia caperet: *Virga tua*, inquit ad Dominum, *& baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Pſalm. 22. v. 4. hæc vera animæ conſolatio virga percutiens, & baculus ſuſtentans. Timor virgæ diſtrictæ Nemeſis non deſperationem, ſed ſpem ingerit: hinc Hebræus legit: *Virgam ex amigdalo celeriter florentem ego video.* Amygdalina hæc virga ubi percuſſerit, flores producet, uberes ſubin daturos pœnitentiæ fructus. Qui virga hac in concionando utitur, utique verba non ſpargit vento. Qui verò locò ejus flores oſtentat, quem dictionis ſuæ fructum feret? id certum, quòd Deus eloquia ſua non communicârit velut floſculos, ſed ut flammam, qua auditores ſuos incenderet. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, &*

verabit

vorabit eos.. Jerem. 5. v. 14. ita decet veros Dei præcones, vibrent fulmina, ſpargant ignes, ſtygem, æternitatem altùm imprimant audientium cordibus, & contritionis flammas etiam ex ſilicibus excutient.

443. Ipſa Dei miſericordia in Chriſto nos quidem viſitavit oriens ex alto, vix tamen pedem movit, quin timore concuteret filios hominum. E cœlo inter ſplendores gloriæ egreſſio ejus jam erat proxima, cùm Maria accepto Nuncio tantum hoſpitem primò ad ſe diverſurum, metu corripitur; *Turbata eſt in ſermone ejus.* Luc. 1. v. 29. Benedictam Angelus prædicat inter mulieres, & ipſa timores concipit? nempe teſte Chryſologo *ſenſit in ſe ſupremum ſuſcipi Judicem.* Serm. 140. v. 7. ſed ſi ipſa innocentia adventum hujus ſupremi Domini timet, ubi parebit malitia? Bethlehem naſcitur, & pacem à militia cœleſti ſolis probis annunciari jubet. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* Luc. 2 v. 14. ut ſcilicet etiam tunc, quando in mundum venit Rex ille pacificus, bella timeant mali, quid olim fiet, ubi venerint Angeli, *& ſeparabunt malos de medio juſtorum.* Matth. 13. v. 49. In iis natalibus certè tyranno Herodi, atque etiam urbi regni metropoli magnus incuſſus metus. *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Matth. 2. v. 3. quid autem turbatur, quid timet Herodes, & aſſeclæ ejus? nempe in puſione amabili, jam metuebat Judicem formidabilem. Huc alludere videtur illud ſapientiæ. 18. *omnipotens ſermo tuus exiliens de cœlo â regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſiliit gladius acutus... & ſtans, replevit omnia morte.* v. 15. hoc ipſum minabatur Joannes prædicans baptiſmum pœnitentiæ. *Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira.* Luc. 3. v 7. idem inculcabat identidem Servator metum mortis ingerens: *vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.* Matth. 25. v. 13. in ipſis quoque Thaboris magnificis gloriis non deeſt timoris cauſa, atque adeò Apoſtoli, coram quibus Jeſus transfiguratus eſt, latus ejus ſtipantibus Moyſe, & Elia, *ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Matth. 17. v. 6. In conciliabulo ſcribarum, & Phariſæorum ante tribunal Caiphæ, ubi plurima opprobria, & calumnias patientiſſimè tolerare voluit Chriſtus, hoſtes tamen ſuos adventu altero, ac divinitate ſua terret. *Videbitis filium hominis ſedentem â dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*: Matth. 17. v. 64. Mulieribus ſibi crucem bajulanti compaſſis futuri judicii mala prædicit: *tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos.* Luc. 23. v. 30. è crucis cathedra ultimum perorans adſtantes monet duplicis manus Divinæ, dexteræ ſcilicet, qua muneretur bonos, & ſiniſtræ, qua plectat malos, idcircò non dixit, *in manum*, ſed *in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Luc. 23. v. 46. Denique gloriolè in cœlum aſcendente Domino mox adſunt cæleſtes genii memoriam refricantes ſupremi

premi Judicii ac dicentes : *hic Jesus, qui assumptus est â vobis in cœlum, sic veniet.* Act. 1. v. 11. cùm igitur ista concionetur Christus Dominus & tunc ista proponat, quando vel maximè clementiam suam hominibus probabat, satis demonstrare nobis voluit, quid & nos aliis, & quilibet sibi ipsi proponere debeat, ut nubis officio ritè fungatur.

444. Quando ipse Deus in throno gloriæ suæ se præbet spectandum, ita mortalium spes erectas cupit, ut salutari justitiæ suæ metù non vacent. In esse do quaquaversum lucido Dominum conspexit Ezechiel, sic tamen, ut flammas etiam spargeret, ac fulmina undique grandinaret. Assistebat leo terrorem incutiens, bos cornibus suis minitans, aquila rostro suo non solùm carnium, & plantarum inhians prædis, *tulit medullam cedri.* Ezech. 17. v. 3. & inter tot terroris incentiva vix unus homo apparet, qui sua humanitate temperet belluarum terrificum aspectum, imò iste etiam homo quoad apparentiam vix differt à leone aquila & bove: *& similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* cap. 1. v. 13. sed ubi canoræ aëdones, quæ harmonicis modulis corda suaviter ad Deum trahant? ubi felle carentes columbulæ quarum dulcedine amoris in Deum crescat vis? ubi turtures, quæ etiam inter gemitus suavè canendo nos in valle ista lachrymarum solentur dulci cantico regionis viventium? nec agnus apparet, qui nobis ingerat misericordiæ Divinæ memoriam? nec ullum lilium, viola, aut flos alius hîc cernitur, unde & oculus & animus jucundè pascatur? nihil horum: sed *hæc erat visio discurrens in medio animalium splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. v.* 13. Ita nimirum Deus suam in hac vita degentibus gloriam ostendit, ita vult nobis innotescere suam clementiam, ita corda hominum ad se trahi jubet, metu scilicet, ac terrore. Vidit hunc ipsum Dominum Joannes initio suæ Apocalypsis, nec illi quid addit, quod suavìùs alliceret, sed quod magìs terreret. *De ore ejus*, inquit, *gladius utraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. v. 16. Deum ipse depingit Evangelista factum hominem, seu vestitum humanitate, & tamen ense utraque parte acuto minantem nobis, illum exhibet. Dicit quidem fulsisse ùt aurum, & quòd capilli ejus fuerint candidi velut nix, sed adjungit: *Et oculi ejus tanquam fulmina ignis, & pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ignis.* v. 15. Niveus videatur candor in vultu, sed priùs igneus terror appareat in pedibus; nec ullus sibi blandiatur de osculo pacis, quem suis electis porriget Dei misericordia, nisi sancto timore antea cor ejus transfixerit gladius utraque parte acutus justitiæ. Misericordias concipiant alii, mihi optimum erit concuti timore judiciorum Dei, atque eriam pro virili concutere alios, ne terribilis illa Ezechielis sententia me quoque involvat:

confor-

confortaviſtis manus impii, ut non reverteretur à via ſua mala, & non viveret. cap. 13. v. 22. & qua ratione eò redactus impius? quia nempe loqui ſibi audivit placentia: & propterea *Hæc dicit Dominus, væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ terræ.* v. 18. hæc ſcilicet ſunt fulcra malitiæ, hæ præſumptiones peſſimæ de miſericordiis Dei, quæ mergunt homines in interitum, ſed Dominus proſequitur. *Ecce ego ad pulvillos veſtros, quibus vos capitis animas volantes, & diſrumpam eos.* v. 20.

Idea LXXXIV.

Lapidibus duris malleus, vel ignis.

445. NUllius, dum adhuc vitali aura fruitur, deſperanda ſalus. Is enim, qui & eſt, & dicitur omnipotens, *etiam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Matth. 3. v. 9. quod tentator Chriſto diceret: *dic ut lapides iſti panes fiant*, nil aliud innuere voluit, quàm ut corda petris duriora panis inſtar mollia redderet. Sed in quo conſiſtit vis tentationis? in eo ſanè potiſſima fuit, quòd dæmon metamorphoſin hanc faciendam diceret verbo, cùm tamen fieri deberet vel Vulcano, vel malleo. In cautela illa Philiſtinorum, ut Iſraëlitis deeſſent fabri ferrarii, *ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.* 1. Reg. 13. v. 19. Hugo Cardinalis notat Satanæ aſtutiam contra populum Dei: cùm iſtis ſubtraheret fabros ſpirituales, ſeu concionatores, qui igne & ferro, uti debent, ſeu ſacrarum paginarum textibus in exſcindendis auditorum ſuorum vitiis. *Faber* inquit, *eſt prædicator, quia operatur in igne, & malleo, id eſt in verbis ſcripturæ.* Hug. ibid. ita ſanè eſt, ſcelerum jugulum non petitur gladio bombycino, ſed ferreo, non floſculis ac lenociniis verborum, ſed ſalubri, ac crebriùs ingeſto metu Divinorum judiciorum. Vix aliud corpus plumbo gravius: facilè ſub aquas mergitur, & non niſi magno conatu à telluris ſuperficie avellitur, accedente tamen artis induſtria, ſive ignis liquefactione, vel mallei ictibus in vas concavum, aut naviculam extenuetur, etiam undis innatabit, ut advertit divus Auguſtinus: *quid enim plumbo gravius? accedit tamen manus artificis ad plumbum, facit inde aliquod vas concavum, & natat plumbum ſuper aquam.* Tom. 13. ſerm. 4. de fer. 3. Paſch. Pharao cum exercitu ſuo & Ægyptii Iſraëlitas perſecuti *ſubmerſi ſunt quaſi plumbum*

bum in aquis vehementibus. Exod. 15. v. 10. duriſſimis horum hominum præcordiis malleus deficit, ictus etiam repetiti virgæ Moſaicæ non ſuffecêre plumbo huic excavando, ut ſuperficiei aqueæ innataret, In fabrica Solymæi templi *malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur.* 3. Reg. 6. v. 7. ſed hoc contigit, ùt expreſſè notat ſacer textus, *cùm ædificaretur* Domus Domini, cùm actu ſuo lapis quisque loco in ea gloriæ æde poneretur. At verò antequam ſacratæ ſedi inferrentur, & malleis & ſcalpris omnia hæc elaborari debuerunt, ut aptè quadrarent; nam ſacra ea ædes *de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt.* ibid.

446. Procul itaque à nobis voces floridulæ, phalerati, & ampullati diſcurſus, cogitata quæcunque amœniora nil proficientia ad emolliendum cor humanum, tunſione mallei, ac ignis activitate opus eſt. Unus proficit *timor Domini ad vitam.* Prov. 19. v. 23. Hic ſolus & iræ vindicis memoria peccatis jam conſepultos iterum vivificat. Iſto autem timore carens, ut ex ſeptuaginta advertit Salazar ibid. *Morabitur in locis, ubi non conſideratur ſcientia.* In omne barathrum infelicitatis ruit, cui ſanctus Dei timor frænum non injicit. Ideo graviter conqueritur Dominus apud Jeremiam de paſtoribus populi ſui, quòd malè operantibus loco ſupplicii pacem annunciarent. *Dicunt his, qui blaſphemant me, locutus eſt Dominus: pax erit vobis, & omni, qui ambulat in pravitate cordis ſui, dixerunt: non veniet ſuper vos malum.* Jerem. 23. v. 17. & poſtquam eos à ſe confundendos juravit, quòd timore ſolvendo populos cauſæ forent delictorum ab iis commiſſorum, ſubjunxit: *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram.* ibid. v. 29. Ecce hîc quomodo conteri debeant lapidea corda, non ingenii lucidis partubus, ſed inflammatis Dei ſpiritu vocibus, non ſuavibus ſonoræ lyræ pulſibus, ſed nervoſis mallei ferrei ictibus. Verba Domini ſunt ignis, & malleus, quid erunt voces blandiloquæ? & ſi priorum utut gladiorum, ac fulminum ſcatentia minis ex occultis Judiciorum Divinorum abditis non ſemper commovent obſtinata rebellium corda, quid floſculi oratoris vani in hunc finem proficient? ſanctorum coronis inſerendi flores, peccatorum compunctioni ſolæ aptæ ſunt ſpinæ. Aliunde jam timentibus, & in crepuſculo diei, ſeu gratiæ vivificantis conſiſtentibus, eſto ſuggerantur miſericordiæ Domini, animos ad meliora tendentibus addituræ, at verò in malo obfirmatis, & in peccatorum tenebris altùm conſopitis inculcandus magnis vocibus rigor juſtitiæ ſupremæ, è ſomno excitandi tubâ judicii extremi, lethargus excutiendus æternis inferorum pœnis. Hinc Pſaltes Regius: *Ad annunciandum manè miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* Pſalm. 91. v. 2. ſed ſi miſericordia, & veritas obviaverunt

verunt sibi, quare de utraque non omni hora sermo fiat? non ita reponit David, manè annunciet misericordiam, nocte veritatem seu judicium. Ubi enim nihil proficit clementia, adhibendus Justitiæ rigor, & ubi cor durum non penetrant benevolentiæ Divinæ jacula, hoc frangi debet vindicis Dei iræ incusso timore.

447. Peccat filius prodigus paterna exul domo, ut liberiori aura alibi frueretur. Peccat & alter, qui domo sua relicta regiam ingressus est cœnæ conviva, at non decenter vestitus. Uterque veste apta carebat, prodigus ea quam à patre acceperat, alter nuptiali, quæ solennitati, ad quam fuerat invitatus, ex æquo responderet. Illum tamen pater exornat: *citò proferte stolam primam, & induite illum.* Luc. 15. v. 22. amplexibus stringit, osculis, & lauto convivio excipit. Istum verò Rex non solùm nova veste non induit, sed insuper jubet: *ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 22. v. 13. peccârunt ambo, utrobique tam in prodigi patre, quàm in instruente convivium Rege denotatur Deus, cur ergo filio solus impenditur amor, convivæ unicus rigor? ideò, quia licèt idem sit Deus, idem in hoc hominis utriusque peccatum, diversi tamen isti fuêre, quamvis pannosi ambo. Prodigus pœnitens ad patrem rediit indignum se reputans aspectu, & favore ejus: Conviva cœnæ ausus est se ingerere, quò non debuerat, & criminis sui etiam convictus protervè in eo permansit, nec culpam suam fassus, nec deprecatus omninò obmutuit. Quid ergò hîc prodessent blanditiæ, ubi nec Judicis præsentis metus elicere valuit sceleris commissi pœnitudinem? ubi tenebræ delictorum jam sunt noctes atræ, ubi vitia jam transiêre in alteram naturam, nec musica expergefacit, nec lenientia proficiunt ad salutem. Nihil huc serviunt luscinæ, & aëdones, sed opus est leonum rugitibus Davidis consilio. *facta est nox*, inquit, *in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant.* Psalm. 103. v. 20. Nec fortè hæc ipsæ belluarum horrificæ voces sufficient, ut istos gravissimo peccatorum oppressos somno denique excitent. Pro tenera puella, quæ sequioris naturæ vitio potiùs, quàm ex malitia in culpam erat lapsa, & ita quidem, ut lapsus iste somno esset, quàm morti similior, *non est mortua puella, sed dormit*, pro ista, inquam, sufficit ad recuperandam gratiæ vitam unius manûs attactus, quem Christus illi benignè impendat. *Tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Matt. 9. v. 25. Ut juvenis vivis reddatur, qui necdum in vitiis adoleverat, & jam ad tumulum efferebatur, satis est unum vitæ & mortis Arbitrii imperium sandapilæ tactu junctum. *Tetigit loculum, & ait adolescens tibi dico, surge, & resedit, qui erat mortuus,* Luc. 7. v. 14. sed ut in vitam revocetur Lazarus, jam ætate provectus, adeóque fors etiam vitiis grandævus, & non tam putre-

factis fœtidus carnibus, quàm inveteratis peſſimè olens habitibus, opus eſt fremitu, lacrymis, & valido clamore. *Infremuit*, ſcilicet Jeſus, *ſpiritu, & turbavit ſe ipſum.* Joan. 11. v. 14. *Voce magna clamavit, Lazare veni foras.* v. 43.

448. Haud bellè ceſſit Davidi pacis oſculum Abſoloni fratricidæ oblatum. *Oſculatus eſt Rex Abſolon* 2. Reg. 14. v 33. Tam parum blanditiis ſuis ad obſequium reductus eſt efferi juvenis animus, ut velut ſumpto virulento catapotio efferatus ſit magis; nam quem antea malum habuit filium pater, ſubin experiri debuit rebellem ſubditum. Infelix Rex ſua pulſus regia, ſummo domi affectus dedecore, & vix non parricidio luere compulſus nimiam ſuam indulgentiam! Nimirum protervi homines, ac in ſuis ſceleribus obſtinaces jam obſurduerunt ad blandas voces, non ampliùs moventur beneficiis, aurésque occludunt velut aſpides ſurdæ ad ſuavia benè ipſis volentium monita. Velut alteri Malchi ſolùm ſentiunt aciem Petrini acinacis non nihil potentiùs auriculam vellicantis, non audiunt ut intelligant, ut rectè agant, niſi ipſe cogat audire dolor. *Et percutiens ſervum Principis ſacerdotum amputavit auriculam ejus.* Matth. 26. v. 51. Ita eſt ſolùm ferrum ſtrictum magnes eſt cordium ferreorum, ſi ſic ferias, ſanas, ubi eo ictu cadant, manus dabunt, ut reſurgant, percuſſi â Deo, ad Deum ſe vertent. *Cùm occideret eos, quærebant eum.* Pſalm. 77. v. 34. Icti à ſerpentibus igneis non ſunt à Deo curati mitis columbæ, ſed alterius ſerpentis ænei aſpectu. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno.* Num. 21. v. 8. Ut ſcilicet liberarentur à plagis ſuis, memores eſſe debebant vindicis non mitis Dei manûs; columba miſericordiam, coluber Divinam ſignabat iram. Blandientis carnis peccata haud ſanantur clementiæ blanditiis, opus eſt terrore iratæ Nemeſis, & ſerpentino ſibilo, qui venenatos ictus minetur. Incutiendus terror præſumptioni temerariæ. Non ſufficit Davidica cythara ad compeſcendum nequam Saulis ſpiritum, nam cùm illa dulciùs inſonat, iſte atrociùs ſævit: *niſúsque eſt Saul configere David lancea in pariete.* 1. Reg. 1. 19. v. 10. Per Prophetam Natanum è cæno ſuo Davidem extracturus Dominus ei præter ingratitudinem Divinis beneficiis redditam & amarè coràm exprobratam, iſta denunciari juſſit: *hæc dicit Dominus: non recedet gladius de domo tua usque in ſempiternum.* 2. R. 20. v. 10. Item, *ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua.* v. 11. ita ad frugem reducitur David peccator. Hoc tonitru Regi Iſraël lethargum potenter excuſſit. Si divitias miſericordiarum Divinarum ſermone ſuo ingreſſus eſſet Natan, fortè adhuc peccatis ſuis indormiret David. Sed minas ingerendo in os Regis, illicò ad pœnitentiam trahit cor peccatoris. *Peccavi Domino*, dicit David ſalubri ſui peccati dolore tactus: dixíque Natan ad David: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* v. 13. pœnitenti atque veniam idcircò merenti clementiam Dei proponens,

Idea LXXXV.

Seminet timores, qui vult ſpes metere.

449. HAud abs re eſt altùm ſentire de miſericordia Divina omni ex parte infinita, ineffabilis amoris plena, & continuo, maximóque exceſſu hominum ſublevans miſerias; ſed nunquam Deum tam miſericordem concipias, ut non ſimul infinitè juſtum timeas. Deus juſtitia carens haud foret Deus, nec juſtitia ejus Divina eſſet, ſi minùs infinita eſſet, ac miſericordia, neque illa clementia digna Deo, quæ nunquam locum dat vindictæ; nam omnia denique, quæ in Deo reperiuntur, Deus ſunt, ſeu in omni genere infinita ſunt. Quot annis jam te ſuſtinet Miſericordia, funiculis charitatis adſtrictum tenens brachium juſtitiæ? dies veniet, quando nihil apparebit, niſi juſtitia, tunc ſcilicet: *cùm venerit Filius hominis in Majeſtate ſua.* Matth. 25. v. 31. Hunc jam vidimus humanitatis, ac patientiæ indutum veſte, ut noſtras toleraret injurias; aliquando eum ipſum videbimus ultionum Dominum *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Jam balatus edidit mitis agni; neceſſe eſt olim rugiat, ùt terribilis leo. Hinc toties Chriſtus hortatur omne ſtudium jugiter impendamus in quærenda ejus Miſericordia, ne fortè improvidis repentè incumbat Juſtitia. *& vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Luc. 12. v. 40. adventus enim hic totus erit iræ & furoris, uti alter fuerat plenus clementiæ, & amoris. Tunc fruſtra inclamabitur Miſericordia, quando undique intonabit Juſtitia. *Quæretis me, & non invenietis.* Joan. 7. v. 34. Columba Noëtica *venit ad veſperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Gen. 8. v. 11. Unde autem avis illa ramum oleæ decerpſit? an non periêre arbores omnes centum quinquaginta dierum abſorptæ diluvio? de plantis aliis quid factum in cataclismo non conſtat, id certum eſt non periiſſe oleas omnes. Sed id quoque indubium, quòd licèt ſemper viruerit oliva Miſericordiæ, Juſtitia tamen executa ſit rigorem ſuum extincto omni mortalium genere, ſolis octo univerſali ſubtractis exitio. Clarè loquamur. Infinita ſine dubio Miſericordia Dei continuò viret, ac floret, ſed ea non obſtante continuò infernus impletur innumeris animabus juſtiſſimo Nemeſis judicio illud in Barathrum quàm celerrimè detruſis. Timorem incuſſurus populis Iſaias dicit

cit de venturo Judice. *Percutiet terram virga oris sui*, cap. 11. v. 4. sed quid virgæ commune cum ore? id, quod sicuti Deus primordio rerum ore suo, *inspiravit in faciem ejus*, scilicet hominis, *spiraculum vitæ*. Gen. 2. v. 7. ita halitus ejusdem oris velut virga, aut potiùs gladio percutiet peccatorem. *Spiritu labiorum interficiet impium*. Isai. loco ante cit. & uno verbo *ite* æternùm damnabit perversorum obstinatam malitiam. Dies veniet Oseæ vaticinio, quando agnus primo suo adventu mitissimus impiis obviabit ùt furore rabida bellua. *occurram eis quasi ursa raptis catulis, & disrumpam interiora jecoris eorum, & consumam eos ibi quasi Leo*. C. 13. v. 8.

450. Paucis rem complexus est David, cùm dixit: *Deus Judex justus, fortis & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?* Psalm. 7. v. 12. æquissimus nimirum Deus est bonis omnibus præmia decernens, malum nullum sine debita pœna abire permittens. Fortis est & patiens: quia, cùm mulctat, nemo ejus effugit iram, cùm parcit, magnam unicuique exhibet indulgentiam, non irascitur quotidie, quia non semper crimina hominum plectit, cùm ea vindictam poscunt, sed crebrò patienter sustinet, ut mali ad frugem redeant. Sed nisi id fecerint, *nisi conversi fueritis*, prosequitur David, *gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. ibid. v. 13. & 14. Ita nempe fit, teste sancto Gregorio, ut subin acriùs puniantur, qui diutiùs tolerantur. *Deus*, inquit sanctus Doctor, *quos diu, ut convertantur, tolerat, non conversos duriùs damnat*. Hom. 13. in Evang. Timeamus proin justitiam Dei in vita, seu cùm tempus adest misericordiæ, & hanc consequemur in morte, quando ingruit hora solius justitiæ. *Dulcis, & rectus Dominus* canit idem Regius Vates. Ps. 24. v. 8. blandus est nobiscum in hac mortalitate degentibus, æquus erit jam ad confinia æternitatis consistentibus. Nec iris pacis, nec sol justitiæ simul apparent in eadem mundi plaga, sed si illam vides in ortu, alter situs erit in occasu, vel vice versa. Qui durante vita semper respexit iridem, ea ad occasum tendente, nihil inveniet nisi solem justitiæ. At verò ubi in hunc jugiter oculos intenderit adhuc vivens, morti proximus amicum sibi arcum lætus intuebitur. Dixerat Deus Noëmo arcum meum ponam in *nubibus*. Gen. 9. v. 13. En signum clementiæ, & pacis iridem in cœlo depictam. Sed quando parebit hæc lætitiæ tessera? non aëre sereno, *sed cùm obduxero nubibus cœlum*, dicit ibidem Dominus, quando nempe densis timoris nubibus immersum erit cor hominis, illi sperent dulcedinem clementiæ, qui metuerunt rigores justitiæ. Serenitas cœlo redibit, sed post lacrymarum diluvium. Dum adest serenum florentis, & nihil timentis juventæ, adesse quidem creditur pax, sed non est pax, non est hæc iris à Deo promissa, sed delirium mentis exer-

exerrantis, pacem sibi fingentis, ubi non est. Noë justus, & timens Deum, Noë arcæ sese sponte includens, Noë in omnibus secutus beneplacitum Dei, fruetur iride pacis, non illi, qui clementia Divina abusi nunquam metuunt rigorem justitiæ, antequam experiantur dudum meritas nequitiæ suæ pœnas.

451. *Et vidi*, inquit Sanctus Joannes, *alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus.* Apoc. 10. v. 1. si nubes circumdat corpus totum, cur solum caput coronatur iride? ut scilicet intelligeremus, non esse in vitæ primordiis aut medio illius cursu præsumendum arcum pacis, sed solùm in fine ejus exspectandum. In hac peregrinatione amicti nube timoris Dei incedant, qui in morte sperare cupiunt clementiæ Divinæ iridem. Docent Physiologi, prænunciam esse tempestatum iridem manè apparentem, quæ verò vesperi se spectandam præbet sudi cœli prodere indicia; ita qui in vita nimiùm præsumit de clementia Dei, multùm habet, quod timeat, ne in morte procellis desperationis obruatur. Sed, qui dum viveret, jugiter tempestates metuit, in fine promittere sibi poterit serenitatem nullo ævo turbandam. Justitia primo locô constituenda, dein pax, sic enim mutuo fœdere sociabuntur juxta illud: *Justitia & pax osculatæ sunt.* Psalm. 84. v. 11. Anima sit in Jericho, seu mundo isto non solùm ùt rosa, sed ùt rosetum, seu *quasi plantatio rosæ in Jericho.* Ezech. 24. v. 18. Quia rosa undique flos est, rosetum quaque versus spinis obseptum. Spinæ cingant vitam nostram ut in morte mereamur coronari rosis. Palma ex asperitate trunci sui non nisi post multos annos emergit, & diu exspectandum, donec fructus dulces proferat, & triumphi ramos referat. Oliva inter arbores ultima baccas suas profert, cúmque sit misericordiæ symbolum, discimus, totius anni tempora æquanimiter ferenda, donec legere possimus fructus ejus. Notatu dignum est, quòd columba primùm sub noctem signum lætitiæ attulerit mundo naufrago. *venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ.* Gen. 8. v. 11. Post tot timores Noë justus, ac innocens non ante vesperam pacis nuncium recipit. Ita est, neque ullus justorum alius recipiet misericordiam, nisi post exactam inter timores justitiæ vitam suam. Columba, seu spiritus Domini ramos oleæ, seu pacis perennis securitatem nulli porrigit ante mortem. Proin illa avis, quæ non grandævo, & sancto Patriarchæ, sed juventuti effræni extra arcam in diluvio vitiorum lascivienti pacem crocitat, non erit columba spiritus Divini, sed corvus monstri avernalis, aut astutus serpens, qui olim Evam decepit cum suo *nequaquam moriemini.* Gen. 3. v. 4. certum est, quòd serò venerit columba Noëtica, *venit ad eum ad vesperam*, idque probabile, quòd ramum olivæ nulli filiorum adhuc ea ætate, & respectivè ad patrem juvenum, sed Noë soli jam sexcentorum annorum seni detulerit.

452. Scio equidem Davidicum illud effatum: *miserationes ejus super omnia opera ejus*, Psalm. 144. v. 9. ita est, super opera ejus, seu quæ fecit ipse Deus, & omnia bona sunt, non super opera, quæ fecit peccator, non solùm mala, sed pessima. Esto meritis Christi reseratam rursus omnibus januam cœli, ita tamen reserata est, ut verè de illa dici possit: *non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Apoc. 21. v. 27. id etiam terrere debet, quòd justitiæ, non misericordiæ januas vocet Psaltes Regius, per quas aditus patet in regnum cœlorum: *Aperite*, inquit, *mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Psalm. 117. v. 19. portæ nempe sunt justitiæ, quas soli ingredientur justi, non autem profani, sacrilegi, adulteri, & hujusmodi farinæ homines. Scribit Josephus Hebræus. L. 6 de bello. cap. 6. in templi Salomonici porticu, quæ gentium dicebatur, quadraginta omninò portas ad quatuor mundi plagas fuisse apertas. Multi nimirum sunt, qui ex omni orbe Ecclesiam Dei ingrediuntur. Timendum tamen, quia ad ingressum sacratioris aditi illius templi Solimæi, quo gloria cælestis Jerusalem denotabatur, una sola patebat janua, ut oraculum Christi impleatur, *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth 22. v. 14. Dum vivimus, ad ista metu emori deberemus, ut viva spe gauderemus, quando erit moriendum. Quot autem mortalium, quia in vivis sperârunt nimiùm, in morte spes vanæ vertuntur in desperationem. Ille sibi promittat clementiam in judicio, qui judicium supremum jugiter timet, misericordiæ tempore. Jeremias vestitum impiorum ita describit: *Hiacynthus & purpura indumentum eorum.* cap. 10. v. 9. per hiacynthos indicatur misericordia, per purpuram ira Divina: dicere proin voluit Propheta, quòd illi, qui in vita se tegunt misericordiâ, in fine ejus se videbunt opertos flammis iræ Divinæ. Timemus Deum & justitiam ejus, quia timidis solùm nata est misericordia, effato illius, quæ hanc peperit: *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Luc. 1. v. 50. & si hanc Misericordiam Mater misericordiæ duntaxat promittit timentibus eum, à quo illam sperent, qui non solùm non timent, sed insuper gravissimè audent offendere Deum? ad quid prodest ungere clementiæ oleo currum vitæ humanæ, si hic sponte sua jam temerariè currit ad inferni baratrum? nisi forté ut citiùs eò deveniat. Bonum est oculos ad cœlum erigere, sed æquè bene vertet, non ratò eos ad inferos quoque deprimere. Pondere suo in vivis libremus Justitiæ Divinæ rigorem, & in morte tutiùs cantabimus misericordias Domini. Ut has mereretur nobis Servator, in cruce pependit. Noluit tamen latus suum seu fontem pietatis aperiri nobis, nisi post emissum jam spiritum. *cùm viderent jam mortuum, non fregerunt crura, sed unus militum lanceâ latus*

ejus

ejus aperuit, & continuò exivit sanguis, & aqua. Joan. 19. v. 33. sed cur fons vitæ recludi non debebat tempore vitæ? ratio videtur, quia necdum timore mota est terra, necdum sciſſi dolore montes & petræ, necdum aperta monumenta mortuorum. Fluat scaturigo miserationum, sed nondum cruci affixum adhuc rident, & blasphemant ora peccatorum. Non quando adhuc infringuntur humanæ, & Divinæ leges, sed cùm illi, qui transfixerunt justum, percutiant, & vivo dolore veræ contritionis rumpant saxea sua pectora. Neque id omitti debet, quòd cruor ex eo fonte ante lympham manârit, cùm tamen naturali ordine hæc utpote fluidior illum prævertere debuisset. *Exivit sanguis & aqua.* Nempe indicare Dominus voluit, quod qui potiri cupit undâ misericordiarum æternarum, priùs lavari debeat sanguine terroris justitiæ Divinæ.

453. Proin in agro pectoris sui quivis seminet timores, ut subin metere possit bene fundatas spes salutis animæ suæ. Judas, qui nocte passionis Dominicæ osculo telam suam ordiri cœpit; dixit: *Ave Rabbi, & osculatus est eum* Matth. 26. v. 44. die altera funè desperationis telam illam absolvit. *Laqueo se suspendit.* Matth. 25. v. 5. Psalmus Davidicus 94. qui cum lætitia incipit, *Venite exultemus Domino.* v. 1. desinit in funestissimum threnum: *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* v. 11. Contra verò, ubi in Isaia virgæ præcedit timor, illicò fructus insequitur bonæ spei: *egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* cap. 11. v. 1. miror Moysen in medio maris rubri sicco pede consistentem cum exercitu suo, nec paululùm ibi substitisse, ut gloriam debitam cantaret Miserationum Domini. Sed necdum omne periculum evanuerat Israëlitis adhuc in mari versantibus, necdum omnes transierunt fluctus, necdum Pharao submersus erat cum curribus, & equitibus suis. Discrimine omni sublato, salo omni transmisso, & litoribus securo pede calcatis tempus fuit glorias canendi, & triumphos. *Cantemus Domino gloriosè.* Exod. 15. v. 1. Non passionis tempore, sed post crucis completa mysteria lætum canitur *Alleluja.* Quomodo nos in ista valle lachrymarum in terra aliena *cantabimus canticum Domino?* Psalm. 136. v. 4. subin cum Davide quilibet in timoribus seminans dicere poterit: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm. 88. v. 2. Ipse hic Regius Vates ait: *confitebor*, & non *confiteor tibi in cythara.* Psalm. 42. v. 4. hanc interea suspendens, dum transeant dies luctus: in his enim terris timorem sanctum à Deo petit, & non importunam in fletu musicam. *Confige timore tuo carnes meas.* Psalm. 118. v. 120. Non postulat laqueum spei, non vinculum misericordiæ, licèt & ista ad virtutem trahant; metum petit, & hoc configi cupit, ut illi jugiter in hac vita inhæreat, atque ita securiùs sperare valeat in altera.

Idea

Idea LXXXVI.

Signum veri doloris, filium esse amoris.

454. EGestatis, & famis molestiæ opibus dilapidatis reduxêre filium prodigum in paternos lares. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat, in se autem reversus dixit: quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo!* Luc. 15. v. 16. v. 17. at verò quando jam parentis conspectum subiit, quò ad misericordiam illius viscera inflecteret, nihil de miseriis paupertatis, nihil de stomachi latratibus, nihil de nuditate sua, & heri, cui serviverat conquestus sævitie, unicè in hæc verba prorumpit: *Peccavi in cœlum, & coram te.* v. 19. nempe unicè dolebat de peccato suo, quando in se reversus ad patrem venit; de peccati pœnis licèt acerbis ne quidem cogitatione tactus: ita fieri deberet in omnibus, qui prodigum filium imitati sunt delinquendo. Supplicia peccati ad mundi, & vitiorum fugam trahant, & panis abundantia, quæ est in domo Dei, retrahat à mancipatu dæmonis. Non autem ideò pulsandæ fores bonitatis Dei, ut vitæ hujus effugias mala, sed ut remedia pares animæ malè affectæ, ut sincero dolore, & pœnitentiæ lacrymis abstergas contractas maculas. Quærendus Deus non ut tibi bene sit, sed quia malum est reliquisse Dominum: certè parùm fidas illi dolori, quem supplicii causavit metus: genuinum solus & concipit, & parturit amor. Abortus potiùs vani, quàm veri uniones dicendi, quos fulminis horror formavit in conchis; non sunt sinceri doloris partus lacrymæ pœnis expressæ. Exanimat quidem metus, non autem animam satìs urget ad sua deflenda mala. Solus commissi mali dolor perperam acta ritè deplorat. Etiam generosiores feræ perterrefactæ sæva tempestate latibula quærunt, at non idcircò ferinam exuunt naturam, pavent ipsæ, & ab aliis paveri desinunt. Sublatâ pavoris causâ, ungues iterum acuunt in prædam. En rei luculentum paradigma. Durante cataclismo ferocia in belluis elanguit, lateri accipitris hærebat columba, lupi ovis, & leonis agnus: *ingressa sunt ad Noë in arcam bina & bina ex omni carne.* Gen. 7. v 15. Ante oculos stabat discrimen vitæ, arcam intuebantur tumuli instar. Quò mortem effugerent, naturam comprimebant. Rediit cœli serenitas: aruit tellus, evanuit

nuit periculum, cessavit metus: atque illicò fera ad ingenium rediit, leo ad arrogantiam, ad vorandas carnes lupus. Quot vicibus gemens sub ictu virgæ Mosaicæ mitescebat Pharao permissurum se abire Israëliticum populum adpromittens. Vix plaga cessabat, & metus, & rursum revocabat promissa, ac pertinaciter obluctabatur Domini voluntati. Lege Exodum à capite 8. Ferrum & æs quoque molescit ad flammarum vim: abscedat ignis, rigorem pristinum illud assumet.

455. Dum Balthasar attonitus videt funestos characteres, quos in pariete exarabat ignota manus, totus concutitur horrore. *Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum.* Dan. 5. v. 6. Vix mysterium detexit Daniel, & metus cessat, ac turbatio. Obtusa enim semel timoris acie plus valet vitii præsentis illicium, quàm supplicii etiam paulò post futuri metus. Ideò additur *tunc* turbatum esse impium Regem, dum scilicet pavor urgebat sceleſtum, resedit iste, fuit, quod antea erat ipse. Quibus Deus Cainum non terruit minis? *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Gen. 4. v. 7. nihil tamen horum sufficit, quò minùs prima oblata occasione fieret fratricida. Quàm seriò per Samuelem idem Dominus Heli pontificem monuit: *Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, timent amba aures ejus.* 1. Reg. 3. v. 11. sed nihil profuit salutare monitum, ut ille sublata noxia indulgentia acriùs animadverteret in filios. Nudum, ac in se armatum cœlestis Genii ensem coràm intuebatur Balaam, *Et vidit Angelum stantem in via evaginato gladio.* Num. 22. v. 31. Et hoc non obstante licèt non maledixerit Israël, prout volebat, Divina videlicet vi impeditus, iterato tamen tentavit, ut posset maledicere. Achab, qui vix ignito Eliæ verbo territus nonnihil resipiscit, haud multò post ad idololatriam rediit. Nux quæ solùm percussa fructum reddit, haud spontè illum reddit. Non dantur, sed flagello excutiuntur nuces. Qui crimen abhorret, quia pungit, stimulum potiùs, quàm vitium refugere convincitur. Sic non redditur fructus dignus pœnitentiæ: ut hunc obtineas agere oportet, non pati duntaxat. Hinc vox clamantis in deserto peccatoribus acclamat: *Facite ergò dignos fructus pœnitentiæ.* Luc. 3. v. 8. qui fecit peccatum, ipse etiam ex se proferat fructum, sponte hunc det, neque exspectet, illud eliciat pœnæ peccato annexæ timor. Ipse pœnitens dolore suo in se mactet culpam; neque enim proficit, si cum ipso pœnitente mortis falx eam demetat. Multi delicta quidem deserunt, sed ea deflent, uti uxores suas vidui; plùs dolent, quòd sint relinquendæ, quàm quòd habuerint. Ab iis recedunt, non quia abhorrent, sed quia timent, nempe ne inficiant mortuæ vivos, & ipsi quoque pereant. Etiam uxor Loth reliquit Sodomam non odio urbis, sed

metu incendii. Concepit mulier dolorem, non quia civitas peperit iniquitatem, sed quia & ipsa Sodoma paulò post conceptura erat ignem. Dum Sodomam deserebat, identidem in Sodomam oculos conjiciebat, *respiciensque uxor ejus post se versa est in statuam salis.* Gen. 19. v. 26. Nequam urbem reliquit corpore, non animo. In ea perire timuit, & ideò pedem ab incendio retraxit. Nisi in salem fuisset conversa, restinctis flammis Sodomam iterum fors esset reversa. O quot hominum à noxa recedunt, quia noxiam sibi vident; eidem diutiùs adhæsuri, nisi metuerent pœnam!

456. Non quidem malum dico supplicii metum, sed neque dici meretur optimus, neque etiam ubique tutus. Si malum non est mala fugere, parùm prodest, nisi eorum odio fugias. Hinc Christus nos monitos voluit, quando dixit: *memores estote uxoris Loth.* Luc. 17. v. 31. Quæ dilectam urbem respiciens in salinam statuam versa est exemplo & terrori omnium. Etiam vaccæ Philistiim præsepe, & vitulos relinquebant, cùm in plaustro arcam Israëlitarum deferrent; sed *ibant in directum pergentes, & mugientes, adeóque dolentes ibant.* 1. Reg. 6. v. 12. multi vel metu in virga venientis Nemesis Divinæ, vel spe gaudii cœlestis, vel etiam, ut arcam Dei sequantur ad astra ducentem, à vitiis quidem recedunt, sed dolentes, magis quàm lætantes recedunt, fugiunt damna, non malitiam delicti. Haud alio ex capite hi volunt destrui corpus peccati, quàm ne ipsi unà pereant in peccato. Absalonem rebellem filium persequebatur David, sed ita persequebatur, ut tamen malum malè non perderet: *servate mihi puerum Absolon.* 2. Reg. 18. v. 15. Bello illud appetebat, quia diadema regni invaserat, sed cùm amaret, volebat, mortem evaderet. Si Davidem Absalon quietè regnare sivisset, nunquam Absalonem David Martis & mortis discrimini objecisset. Multi sunt, qui velent sociare luci tenebras, Belial Christo--, neque peccata fugerent, nisi à regno Dei illa excluderent. Abraham ejecit Agar ancillam & Ismaël puerum ejus non suo arbitratu, sed Saræ in viri arbitrium nimirum potenti dominatu. *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Gen. 21. v. 11. Nisi minas intentaret æterni ignis Deus, nisi qui mala agunt, regnum Dei non consequentur, pauci ex corde ejicerent peccatum, & malè natam sobolem ejus. Israëlitæ Ægypto non excesserunt, nisi ob plagas Ægyptias, si tam durè eos Pharao non habuisset, ejus dominio potiùs, quàm Mosis per desertum ductui inhærerent. Si unguibus carerent Sirenes, Ulysses pauci cantibus earum occluderent aures, & nisi crimen morderet, rari ab eo abhorrerent. Antequam carcerem subirent Josephi fratres, nunquam venditi fratris delictum malos angebat, traditi sunt compedibus & pœnitentis animi indicia prodidêre his vocibus: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Gen. 42. v. 21.

Dum

Dum inter delicta abundant bona, hominum fatuitas nunquam illa credet mala. Impius erat populus ille, qui à calce ad caput repletus sceleribus videbat se suis innatare deliciis: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Psalm. 143. v. 13. Heu viles animæ, quanti virtus, quanti Deus valeat, tam parum gnaræ! sola Dei amissio jactura est maximo dolore ferenda! sola culpa timenda est, utpote unicè mala, non pœna, quæ commensurata culpæ potiùs haberi debet bona. Non omnis tamen dolor veræ pœnitentiæ! filius genuinus non dolet de malo, quia impeditivum salutis æternæ, sed salutem æternam quærit, licèt dolore constet. Jacob post luctam non dolet de plaga sua, aut claudicatione, sed potiùs lætatur salutem animi inde obtentam. *Salva facta est anima mea.* Gen. 32. v. 30.

457. Solis apparentiis haud est contentus Deus scrutans in corde motivum ac finem doloris. Non ei placent sepulchra dealbata, ubi nive modica conduntur immunditiarum cumuli. Quid prodest vultum præferre pœnitentis, ubi cor adhuc est totum peccantis. His non veniam, sed summam Jesus intentat miseriam. *Væ vobis Hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis.* Matth. 23. v. 27. Apud ejusmodi farinæ homines ratio fit supplicii, quod incentivum credebatur indulgentiæ, cor lachrymarum fontem intuetur Deus, non oculos aquæductus. Haud sufficit sonus doloris, nisi dolor accedat cordis. Actus debet esse contritionis, non vox: operatio, non verbum: non satis est dicere, opportet agere. Si hoc facias, nil refert, ut id ipsum dicas: ex radice amoris, & ex compage animi proferri debent digni pœnitentiæ fructus, uti in arboribus produci solent folia. Etiam abscissus ramus germinat, sed quia à radice sejunctus non multò post sine fructu exarescit. *Genimina viperarum!* inquiebat Baptista, *quis ostendit vobis fugere â ventura ira?* Luc. 3. v. 7. Non evadit Dei vindictam, qui serpentis instar se ipsum immutat; pellem extrinsecus projicit, venenum in interioribus latens reservat. Quid prodest sacco & cinere se obtegere, si virus adhuc hæreat in corde? etiam Judas Christum amplectitur, atque eidem oscula in horto figit: *Et osculatus est eum.* Matth. 24. v. 49. quòdque signum amoris videri poterat, initium fuit nefariæ proditionis: *Dederat autem traditor eis signum.* Marc. 14. v. 44. Ploravit Magdalena, ad pedes Servatoris sese abjecit, capillos dissolvit, unguentum sparsit, lachrymis plantas Domini rigavit, & crebris libavit osculis, sed nihil horum remissionis peccatorum causa fuit, sed solus amor: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7. v. 47. Exteriùs deflebat, quod interiùs urebat, distillans per oculos venenum intùs consumens quod interea evomebat amor: rubore operiebatur facies, quia pudor jam obsederat pectus, & magis capillis suis erubescentiam suam tegebat, quàm

pedes Divini Magistri. Unicè lacrymas fundit ob malum culpæ: nil sollicita de malis pœnæ. Et in ipsis culpis nil magis deflendum videbat, quàm earum repugnantiam cum sincera sui cordis amore. Ploravit, quoniam amavit, & dilectione sua veniam promeruit. Hoc est deflere, & verè dolere: ista est pœnitentia filia charitatis, & efficax causa absolutionis. Hic est dolor perfectus, angi dolore mali, quod fecimus, non illius, quod peccando meruimus. Contra Deum commisimus peccatum, & hoc sufficit, ut sit contra nos semper. Id unum in suo peccato attendebat David: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Psal. 50. v. 6. Magdalenam ad pedes Christi non attrahunt mala corporis, neq; etiam detrimenta honoris, sed agnitio bonitatis Divinæ turpiter à se vilipensæ. Plorat, non quod amisit, sed quod deliquit, & ideò plorat, quia Deum amat, non quia seipsam. De peccato solo dolet, hoc unum deflet, & idcircò in gratiam recipitur, ideó audire meretur: *remittuntur tibi peccata multa.* Luc. 7. v. 50. Et de salute animi obtenta secura redditur: *fides tua te salvam fecit.* Luc. 7. v. 50.

Idea LXXXVII.

Publicæ lachrymæ sunt pœnitentiæ soleñia.

458. MAgdalenæ pœnitenti, si stemma ejus gentilitium, ac mulieris conditionem spectes, nec domus Pharisæi, nec convivii tempus videntur convenisse. Ille Dominus, qui præsentiam suam Xenodochio indulsit, quo infirmum curaret, nec dedignatus est centurionis ædes, ut ægrum ibidem servum petitæ sanitati restitueret, etiam à Magdalena vocatus in castellum ejus se contulisset; uti tunc, licèt inde longè distans, subin advenit, quando fratrem illius Lazarum ab inferis excitavit: vel si ipsa ad Jesum venire censebat convenientiùs, quò animæ vitam reciperet, minimùm venisset in desertum vel eo tempore, quò sine cujuspiam aut invidia, aut sarcasmo piis suis posset litare ob commissa scelera lacrymis? Ita videtur fieri debuisse, sed ita nec fieri debuit, nec etiam factum est. Cur enim sollicita sit de eo, quid dicant homines, quæ placere cupit soli Deo? Ad pedes Christi, non autem ad humeros ejus illa se abjicit, quæ peccati suffusa pudore nec videre sustinet Dominum, nec etiam ab eo videri, publicano illi similis, qui præ horrore criminum suorum in templo *â longè stans nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Luc 7. v. 38. solos Jesu oculos,

non cæterorum hominum reformidat Magdalena, atque magis formidat ac mille fulmina: illis ſolis diſplicere timet, adeóque ipſum non ad ſe venire, neque ipſa illum in deſerto commorantem adire præſumit. Domi ſuæ vel in loco ab hominum frequentia ſemoto plorare quidem poterat culpas ſuas: ſed ibidem apud alios pudefieri non poterat ob culpas ſuas. Quæ antea vanitatis, & vivendi licentiæ fecerat oſtentationem, pœnitentiæ, ac fletûs ſui non affectabat occultationem; hinc convivii frequentiam ſtudioſè quærit, ut lacrymas ſuas omnium oculis expoſitas Chriſto eò magis probet, quò plures viderent inter epulares lætitias eſſe genuino dolore expreſſas. Omnibus nota erat mulieris in urbe peccatricis effrons peccandi libertas, omnibus pariter innoteſcant lacrymæ ſcelerum patratorum dolore perfuſæ. Quæ palam fieri ſua peccata non erubuit, pœnitentiam ſuam & Phariſæis & Publicanis patere nullatenus horruit. Sua crimina deflet & Magdalena & David, ambo videntur eſſe dolore pares, licèt diſpari ſucceſſu. Plorat Magdalena, & non ſolùm ignoſci ſibi peccata audit, ſed & ſalutem & pacem annunciari. *Remittuntur ei peccata multa.* Luc. 7. v. 47. *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* v. 50. Plorat & David; licet autem etiam ipſe peccatum ſuum à Domino translatum audiat, multùm tamen ipſi piandum ſuperfuit in morte filii ex adulterio nati, in lapidibus Semei, in jaculis Abſolonis. Diu peccaverat Magdalena, ſemel peccata toties iterata deplorat, & illicò veniam conſequitur. Bis tantùm deliquerat Rex Jeſſæus, & ipſe teſtatur, quòd per integras noctes lachrymis ſtratum ſuum rigaverit. Quomodo ergò illa poſt brevem fletum jam pace potitur, & iſte adhuc bellis etiam ab ipſo filio illatis impetitur; ipſa tranquillitate animi maxima gaudet, iſte animam ſuam ſpiculis, quibus rebellis Abſolonis cor trajectum fuerat, tam diu transverberari ſentit? Nempe Magdalena errata ſua defleverat in domo aliena, in ædibus grande ſupercilium ferentis Phariſæi, in oſtentoſo convivio: pœnitentiam egerat palàm, & coràm convivis, domeſticis, & lautæ menſæ miniſtris omnibus. De die lacrymas fuderat, ante homines dicteriis pœnitentem mulierem proſcindentes, ſe publicè confeſſa erat peccatricem. Defleverat etiam David, ſed de nocte, non in frequentia hominum, ſed coram uno Natano, non in foro, aut aula regia, ſed in ſecreto ſuo cubiculo. Deus pluris æſtimat cor pœnitentis cereæ facis inſtar dulcibus, ac peccatoribus aliis exemplo prælucentibus lacrymis colliqueſcentis, quàm illius, quod privatim & velut ſub modio integros oculorum imbres profundit. Hinc Chriſtus: *vides hanc mulierem?* v. 44. vides quomodò palàm nullius verita præſentiam, & quot ſignis maximopere de ſuis peccatis doleat, quid ergo miraris, ſi omnibus audientibus eidem delictorum ſuorum pleniſſimam

nissimam à me veniam indulgeri percipis ;

459. Dum dilectum suum concubia nocte sponsa indagat, nullatenus illum reperit, *in lectulo meo* inquit ipsa, *quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi, & non inveni.* Cant. 3. v. 1. subin vicos urbis dolens pertransit, sollicita quærit, atque illicò in ejus occursum venit. *Paululùm cùm pertransissem eos, inveni.* v. 4. Pœnitentiæ myrrha omniũ oculis ostentosi fasciculi instar pateat, meditullio appensa pectoris, & cantatâ sic propalàm peccatorum palinodiâ sponsus aderit : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. v. 13. Jejunârat post culpam David, ploraverat in lectulo suo, nec tamen ab omnibus inimicis suis pacem obtinere poterat. Hanc prærogativam solùm meruit publicus coram arca Dei saltus, & jubilus etiam insultante Michol à Rege editus. Nam ut 2. Reg. c. 6. v. 14. dictum fuerat : *Et David saltabat totis viribus ante Dominum*, statim Caput sequens ita incipit : *Cùm sedisset Rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique ab omnibus inimicis suis.* Adeô ut ad obtinendam à Deo pacem plùs valuerit manifesta hæc Regis Israëlitici ante ancillas servorum suorum humiliatio, Domino exhibita, quàm in spelunca Engaddi generosè data Sauli capitalissimo suo hosti venia. Publicus hic religionis actus majora obtinuit, quàm privatus per singulas noctes fletus, & panis lacrymis mistæ comestiones. Hinc tam anhelè anima sancta in Canticis desiderabat offerri sibi occasionem palàm contestandi suum in Deum amorem, & cultum : *Quis*, inquit, *mihi det te fratrem meum . . . ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat* ? Cant. 8. v. 1. Et licèt adoratio debeatur Domino, si tamen palàm fiat, talis est, ut contemptui insuper eos subducat, qui illam exhibent : *Et jam me nemo despiciat.* Hæc fuit boni latronis felicitas, & virtutis sublimis excellentia : tanquam Dominum & Deum suum invocavit Christum ex infami crucis ligno pendentem eo ipso tempore, quo tot alii illum blasphemabant. Dixit ipse palàm audientibus omnibus : *Domine memento mei.* Luc. 23. v. 42. Et ipse vicissim audire meruit Domini verba solatii plena : *Hodie mecum eris in paradiso.* v. 43. Vox unica, & unum verbulum in Dei laudem coram aliis prolatum tanti valuit, quantus ipse est Deus, quem ita obtinuit. Leprosi alienigenæ fidem magno encomio dignatus est Christus, quia nempe ille post receptam sanitatem *reversus est cum magna voce magnificans Deum.* Luc. 17. v. 18. confessus nempe erat coram turbis agnoscere se benefactorem suum, à quo fuerat leprâ mundatus, & veluti Dei filium se illum adorare. Etiam cœcus ille Jerichuntinus clamoris sui post Christum, innumera audienre catervâ, uberem fructum tulit, visum in nictu oculi sibi à Domino redditum. *Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret : ipse*

ipse verò multò magis clamabat: *Fili David miserere mei.* Luc. 18. v. 39. Non minùs præstitisse videtur Divus Petrus, ac bonus latro, & leprosus antè adducti, quando adorationi Christi Domini etiam humilitatem addidit, nec tamen par ipsis retulit præmium. En quid præstiterit Apostolorum Princeps: *Procidit ad genua Jesu, dicens: exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Luc. 5. v. 8. audin, quid receperit ex ore ipsius Christi dicentis: *Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens.* v. 10. latro confessione sua lucratur paradisum, leprōsus corporis munditiem, Petrus solùm ex piscium captura fit hominum piscator. Nempe illi publicè glorificaverunt Deum, ipse tantùm privatim. atque idcircò majus consecuti sunt præmium, ac Petrus. Christum recens natum Reges, & pastores adorârunt, & tam illi, quàm isti, uti de pastoribus piè credi solet, oblatis muneribus suam Domino testati sunt gratitudinem, ambo pro modulo suo. Et tamen Reges publico jam, & repetito cultu in Ecclesia Dei celebrantur, & pastorum nulla porrò memoria agitur. Ratio esse videtur, quia Magi aboriente palàm in conspectu Herodis, & urbis Jerosolymitanæ venerati sunt Dominum suum, ductum stellæ diu noctúque per longa terrarum spatia secuti: *Ubi est*, dicebant illi in aula Herodiana *qui natus est Rex Judæorum, vidimus enim stellam ejus, & venimus adorare eum.* Matth. 2. v. 2. Pastores autem in silentio noctis Bethlehem transierunt, & in præsepis angulo nullo alio, quàm creata triade, conscio defuncti sunt eo debitæ venerationis officio. Idem fuit utrobique obsequii genus, sed Regum publicitate sua, quàm pastorum longè sublimius.

Ploret ergò, & palàm Magdalena 460.
ploret, lacrymæ enim fœminei pudoris victrices sic faciliùs ipsum Cor Dei devincent. Ploravit & Ezechias, & ad primas lacrymas mors victa aufugit, quia Deus quoque iis se victum professus est: *vidi lacrymas tuas, & ecce sanavi te.* 4 Reg. 20. v. 5. Haud opus est, ut hæ cordium triumphatrices feriant, sufficit, ut appareant. *Vidi*, dicit telis suis armata divina Nemesis, cúmque staret accincta excutiendo fulmini post factas Regi minas: *morieris enim tu, & non vives.* v. 1. Ezechias vel unicam lacrymulam fundit; sic enim vertit Pagninus & Lyra: *Vidi lacrimam tuam*, & omnis furor Domini evanescit: *vidi lacrymam*, & retractata mortis sententiâ indulsi vitam. Non unam solùm sed plures lacrymas dedit jam ad mortem decumbens Ezechias, prima tamen suffecit, ut cor Domini emolliret, & libitinæ telum declinaret. David mitigaturus iram Dei ob sanguinem justorum ab impiis innocuè effusum, ultionem quidem eámque manifestam petit, dicens: *Et innotescat in nationibas eorum coram oculis nostris ultio sanguinis eorum, qui effusus est.* Ps. 78. v. 10. Sed quò votis suis damnetur certiùs, non cruorem fusum, sed emissum justorum ploratum allegat: *Introëat*, inquit, *in*

conspectu

conſpectu tuo gemitus compeditorum. v. 11. Quaſi diceret, Domine ad placandam juſtiſſimam iram tuam offerre quidem volebam, velut propitiationis ſacrificium, vocem ſanguinis juſtorum pro virtute, fide, ac gloria tua cæſorum; at verò memor, quanti ſint in conſpectu tuo meriti lacrymæ, velut victimæ charitatis, ut ad has reſpiceres præoptavi: *Introeat in conſpectu tuo gemitus.* Neque etiam Apoſtolus de Chriſti meritis nobis impetratis loquens alterius ſacrificii meminit, cùm dixit: *qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationésque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt.* Hebr. 5. v. 7. Et ideò fortè ſponſus ſuper omnia ſponſæ oculos dilexit, quia iis ſe vulneratum ſenſit, non autem dilexit ob formoſitatem, ſed quia fontes ſunt lacrymarum: *Vulnerâſti cor meum ſoror mea, ſponſa, vulnerâſti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cant. 4. v. 9. quare autem ex oculis vulnus? quia nempe, *oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Cant. 4. v. 1. Columbarum occuli ſunt oculi ſuffuſi lacrymis, non tantùm hi cor dilecti vulnerant, quia ſpecioſi ſunt, quàm quia lacrymoſi. Magis arrident, quia deflent, quàm quia vident. Dolor, qui intrinſecùs latet, majore dignus amore, quàm decor, qui foris apparet. Amat ſponſus dilectæ ſuæ oculos utpote fontes lacrymarum, adeòque pulchræ incentiva dilectionis.

614. Res notabilis! qui ſibi in omnibus ſufficit Deus, quas in theſauris Divinitatis ſuæ non invenit, videtur foris quærere lacrymas. Is per os Prophetæ generi humano dixerat: *ſi eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ.* Pſalm. 49. v. 12. Et tamen idem per ſanctum Joannem ita loquitur: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Eccur Domine, haud dubiè aliquid ab iis petes, cum quibus te eſſe, vocas delicias tuas? ita ſanè, *ſi quis*, proſequitur ipſe, *audierit vocem meam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.* Itane Domine, qui neque eſuris, neque, ſi eſurires, indigeres cibis filiorum hominum. *Tuus enim eſt orbis terræ.* et jam venis ad pauperculos homunciones, imò ad viliſſimos peccatores velut cœnulam ab eis emendicans? an fortè quia omnia tua nobis dediſti in filio, ad nos redire debes, ut aliquid tibi reddamus? ita ſanè, ſed nihil aliud, quàm lachrymas noſtras, quas lacrymis Redemptoris noſtri mixtas ſummopere & eſuris, & ſitis. Qui olim in ſidereis hortis inter candidiſſimas mentes Angelicas eras veluti *qui paſcitur inter lilia.* Cant. 2. v. 16. jam pœnitentiæ lacrymas, poſtquam humanam naturam induit Filius tuus, relictis liliis ſeu Angelis appetis: peccatoribus nobis, quorum cœnas anhelas, ſingillatim acclamas: *Pœnitentiam age, ecce ſto ad oſtium.* ibid. Jubes ut lacrymas tibi propinemus, quo hilariter tuam cœnam manduces. Olim lætabâre in colligendis liliis paradiſi, jam exultas, ſi metere valeas pœnitentiæ

tentiæ nostræ absinthia. *Messui*, inquis, *myrrham meam.* Cant. 5. v. 1. atque etiam fateris, gaudere te messe hac amara longè magis, quàm dulci illa lectissimorum florum collectione. *Gaudium* inquis, *erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonanginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Luc. 15. v. 7. Et verò Divini Fiiii humanam induti carnem par lacrymarum pœnitentiæ sitis: teste enim sancto Joanne fatigatus ab itinere, in mediæ diei æstu, & maximo sui amoris ardore eas à Samaritana ad fontem Sichar delata levaminis ergò petiit dicens: *Da mihi bibere.* Joan. 4. v. 7. fontem nimirùm sitiebat ex contrito peccatricis mulierculæ corde scaturientem, atque etiam cibum esuriebat conversionis illius, ac proin reduci discipulorum catervæ cibaria afferenti, & offerenti respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* ibid. v. 32.

462. Notat Divus Chrysologus opportunè Magdalenam adfuisse convivii tempore, ùt cognovit, *quòd Jesus accumberet.* Luc. 7. v. 37. quò scilicet illi ferculum gratissimum cor contritum, & pœnitentis doloris lacrymis maceratum apponeret. Rogari voluit Dominus à Pharisæo, ut ejus mensæ assideret: *Rogabat eum, ut manducaret cum illo:* v. 36. Quò verò cibum sibi sapidissimum à Magdalena obtineret, teste eodem Chrysologo, si non rogavit, mandavit, ut illuc veniret. *Non rogata venit*, inquit, S. Doctor, *sed jussa: ipse sic fecit eam fisti sibi*, Serm. 93. addítque, *& potum lacrymis temperat in mensura, & ad delicias Deitatis totas.* Adeò autem sitiebat has lacrymas Dominus, ut convivii & convivarum oblitus unicè ad eas respiceret, quod innuere voluit Evangelista dicens: *conversus ad mulierem dixit Simoni.* v. 44. quasi tergo cæteris omnibus obverso in solam Magdalenam plorantem oculos defigeret. Regius vates in persona Christi dixerat: *Moab olla spei meæ! quis deducet me usque in Idumæam?* Ps. 107. v. 10. & 11. Sed cur Dei Filius non suspirat sanctam Sionem? florent hîc virtutes, & justitiæ nitor regnat in Patriarchis, Prophetis, ac omnis generis viris probis. Quia nempe appetit pœnitentes, & non innocuas animas, peccatores quærit, non justos; Idumæam, & Moab desiderat regiones peccantibus refertas, ubi si abundavit peccatum, etiam affluant lacrymæ pœnitentiæ. Harum etiam in cruce siti tenebatur, quando dixit *sitio.* Joan. 19. v. 38. sed quo eam levaret teste Hipponensi, *Vix unum latronem reperit, quem gustaret.* in Psalm. 34. Nihil proin mirum, si Manue Angelum Dei convivio excepturus non agnum neque vitulum, sed hædum offerat. *Et faciamus tibi hædum de capris.* Judic. 13. v. 15. nempe hædus seu peccator pœnitens, uti Angelorum Domino, ita & Angelis cibus est sapidissimus. Hi nempe gustum æmulantur filii majoris illius Patris, qui minorem prodigum vitulo saginavit. Hædum ille famebat, quod

quod satis ostendit, cùm de eo sibi negato à Patre conquestus est: *nunquam dedisti mihi hædum, ut epularer cum amicis meis.* Luc. 15. v. 29. Etiam cœlestes hi genii plurimum lætantur super hædino hoc sacrificio, contritionis flammis probè asso: *ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* ibid. v. 10.

463. Nec tantùm inter angores vel mensæ Pharisaicæ, vel aræ Crucis Christi sunt deliciæ pœnitentûm lacrymæ, etiam in ipso cœlo his afficitur cupediis, hanc ambrosiam sitit. Cùm enim è mensa sua regia ferculum misisset Petro, magno illo linteo cælitùs submisso, hîc vidit contineri non turtures, columbas, agnos, aut ejusmodi homines justos denotantia animalia, *sed omnia quadrupedia & serpentia terræ.* Act. 10. v. 12. Puta Camelos, tygrides, hydras, dracones, & similia peccatorum Ectypa. Ne autem dubium esset, an Christus de hoc cibo comederet? dicit sacer textus de Apostolorum Principe esuriente: *Vidit cœlum apertum, & vas descendens submitti de cœlo in terram.* v. 11. Atque vocem audivit ipse Petrus dicentem sibi: *quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* v. 15. Manna olim ab Angelis pinsum est, cor pœnitens Deus ipse in sapidissimum cibum excoquit: ipsas reliquias à vicario suo relictas iterum sibi asservari voluit, & ne vel mica periret, jussit ad se reverti. *Et statim receptum est vas in cœlum.* v. 16. Ita est, ait antè laudatus Chrysologus. *Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lacrymas pœnitentium.* Serm. 93. Num. 10. In hunc finem Christus Pharisæi mensæ interfuit, ut liberaliter pasceretur suspiriis Magdalenæ contritæ, & lacrymis amoris ejus sitim suam extingueret. Teste Isaia *Angeli pacis amarè flebant.* cap. 3. v. 7. Rigare nempe doloris lacrymis Dei hi ministri volebant, ne sicca innocentiæ lilia demum fastidiret Dominus, quò scilicet hæc ipsa, quantum fieri poterat myrrham olerent pœnitentiæ. Sed ut verum fatear, longè magis Deus afficietur lacrymis hominum, quàm Angelorum. Hinc non constat posteriorum, quantumvis amarè fleverint, sed solùm priorum in cœlesti patria fletum divinis labiis degustandum: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21. v. 4. quando scilicet madentibus adhuc fonte contritionis filiis suis prodigis cœlestis Paterfamilias occurrens osculum pacis figet, etiam minimam quoque lacrymam, teste Joanne, ipse & non alius exsuget. Sic David fatetur: *Deus vitam meam annunciavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Psalm. 55. v. 9. *Meas* dicit, hominis scilicet peccatoris non innocentis Abel, justi Abrahæ, sancti Moysis. Proin Deus, in cujus visione consistit gloria beatorum, pro gloria sua, aut potiùs speculo, in quo suam gloriam intueatur, lacrymas accipit pœnitentis. Ipse autem per Isaiam testatur: *Inebriabo te lacrymâ mea.* cap. 16. v. 9. Ecce hîc Dei delicias. Unas lacrymas cœnæ

suæ

ſuæ adhibet, illis ſolis electos ſuos potat, & ipſe extra ſe his unis delectatur, ſuas eas dicit, non quaſi à ſe fuſas, ſed quia labiis ſuis è contritorum hominum oculis exſuctas.

Idea LXXXVIII.

Glorioſum omnipotentis Dei opus eſt converſio peccatoris.

464. OMnibus hominum operibus cooperatur omnipotens Dei manus, non tamen omnium operum horum author vult eſſe Deus. Bona pro ſuis agnoſcit, malorum, in genere moris, nec vult, nec eſſe poteſt origo. Imò bonorum operum aliqua ſibi ita propiora facit, ut in iis potentiæ, & infiniti amoris ſui gloriam conſtituat. Inter hæc poſtrema Regius vates recenſet converſionem peccatoris ad ſtatum pœnitentis. In ea velut præcipuo ſuo opere dicit gloriari, ac lætari Dominum. Nam de mundi ad meliora reductione locutus ſic inquit: *Emittes ſpiritum tuum, & renovabis faciem terræ, ſit gloria Domini in ſæculum, lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Pſalm. 103. v. 30. & 31. Dùm Deus creavit cœlum, & terram, & omnia, quæ in iis ſunt, cuncta hæc, quæ fecerat teſte Moyſe vidit, & erant valde bona. Peccatores verò ad ſe converſos non ſolùm oculis ſuis dignatur, ſed & in iis ſibi complacet velut operibus ſuis, in iis velut gloria ſua lætabitur. Idem David canticum gratitudinis ergò cantaturus, quod Deo magis arrideret; *Jucundum ſit ei eloquium meum.* v. 34. non optat, ut juſti, & innocentes, ſed ut peccatores ad pœnitentiam converſi fiant corona gloriæ Domini; *Deficiant*, inquit, *peccatores âterra, ita, ut non ſint*, id eſt, quales antea fuerant, ſed ſint jam in ſanguine Agni dealbati, & in hoc ſuo voto benedici Deo, ùt vel maximè decet, ſibi perſuadens, illicò ſubjunxit. *Benedic anima mea Domino.* Et verò hæc Dei opera utì noſtris ſunt miſeriis utiliſſima, ita Miſericordiæ Divinæ maximoperè glorioſa. Quò cœna paſcalis paretur, in qua ſub forma panis Deum ſuum manducat homo, ſufficiunt gemini diſcipuli Petrus & Joannes. His enim à Chriſto dictum eſt: *Euntes parate nobis paſcha.* Luc. 22. v. 8. Adeò ut innocuum agnum componere valeant bini homines. Quò verò

verò ex lupo pastor Ecclesiæ fiat, Saulus, ipsius Dei hominis altero in mundum adventu opus est: *Saule, Saule, quid me persequeris.* Act 9. v. 4. Nec pedem de throno Majestatis suæ movit Deus, quando Angelis gloriam decrevit, neque etiam justis aliter beatitudinem largitur, immotus suo loco Dominus eorum cuilibet solùm acclamat, *intra in gaudium Domini tui.* Matth. 21. v. 23. At verò ut peccatori cœlestis hic paterfamilias occurrat, non solùm throno, sed & domo sua progreditur, quò gratiam illi ac stolam primam restituat. *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens ceeidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Luc. 15. v. 20. Cúmque toto pondere amoris sui in filium hunc prodigum pius parens incumberet, videtur quòd gloriæ sibi vertat amplexus ejus.

465. Oves, & agnos suos Christus Petro commendat, & eorum curam jubet habere: *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Joan. 21. v. 16. & 17. *Meas* dicit, quia suo sanguine emptas, *meos*, quia pretioso hoc liquore consperses, & à cæteris salutari hoc signo discretos. Verùm cùm idem optimus Pastor cerneret unam à veritatis via aberrantem lupi faucibus proximam, ipse curam ejus suscipit, nihílque moratus labores, & itineris incommoda, nil à deserti spinis, ac tribulis deterritus, *dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad eam, quæ perierat.* Luc. 18. v. 4. Quid hoc Domine, unius Petri cura sufficit pascendis agnis, & ovibus adhuc in tua caula existentibus, cur tu ipse onus suscipis unicæ huic, quæ perierat iterum reducendæ? nempe ipsa hujus, quæ se ipsam perdidit, miseria præ cæteris indigebat infinita tua misericordiâ, imò hæc maxima est clementiæ, & charitatis tuæ in peccatores immensæ gloria, salvum facere, quod perierat. Ut Adam formetur justitia ditatus originali Deus, uti multi volunt, etiam ministerio utetur manus Angelicæ, quæ limum terræ ritè præparet, sed ut idem Adam culpâ suâ Dei gratiâ spoliatus pœnitendo amissa recuperet, Deus ipse hortum voluptatis adibit, illúmque velut de remedio tanti lapsûs primi hominis cogitaturus hinc inde peragrabit. *Cum audivissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram.* Gen. 3. v. 8. Cœlestis paterfamilias, ut convivas evocet, *misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis.* Luc. 14. v. 17. Sed ut Lazarus ad vitam revocetur, non servus, sed ipse Dominus venit: *vado, ut excitem eum.* Joan. 11. v. 11. Discipulis credulis resurectionis suæ nuncium per Magdalenam mittet: *Vade ad fratres meos, & dic eis.* Joan. 20. v. 17. Sed incredulitatis vulnus in Thomæ præ cordiis jam putrescens ipse sanatum ibit: *affer manum tuam, & mitte in latus meum.* ibid. v. 27. Ista nempe sunt opera excelsa Bonitatis Dei nostri, in hisce gloriam suam ad extra quærit, si quam optimè possit iis facere, qui malè egerunt, ut eos bonos efficiat. *Ego Dominus*, inquit, apud Ezechielem,

locutus

locutus ſum, & feci. cap. 17. v. 24. Neque alius iſta faciet, neque etiam poterit facere. Quidnam autem id, quod ſuæ Deus & gloriæ, & omnipotentiæ reſetvavit? Illud ipſum, quod paulò antè loco cit. locutus eſt: *frondere feci lignum aridum.* Hæc eſt nobilis characteriſtica inexhauſtæ Dei Clementiæ, & Bonitatis.

466. Nimirum converſio peccatorum opus eſt diviniſſimum, opus eſt gloriæ Domini; in hoc maximè lætatur immenſa Dei charitas, ſi pœnitentiæ adminiculo homines etiam ſceleſtiſſimos mutare queat in magnos ſanctos. Non enim ſemper in thronum gloriæ, & trophæum gratiæ ſuæ cedros evehit incorruptibiles, vel abietes cacumen ad ſidera attollentes, ſed etiam ſuo multoties ſplendori deſervire vult rubum ſpinis horridum, & omni fructu ſterilem. Hinc ſe Moyſi in medio infrugiferæ, & ingratæ hujus ſtirpis manifeſtat amoris cinctus flammis. *Apparuit ei Dominus de flamma ignis, de medio rubi.* Exod. 3. v. 2. Non aſſumpſit in vaſa gloriæ ſuæ nitidiſſima naturæ Angelicæ cimmelia, ſed in luto Adamico theſauros condidit Divinitatis ſuæ. *Nusquam Angelos apprehendit, ſed Semen Abrahæ.* Hebr. 2. v. 16. Licèt enim natura Divina infinitè etiam ab Angelica diſtet, magis tamen adhuc videtur diſtare ab humana. Major proin fuit exceſſus amoris Divini, fieri hominem, ac Angelum, cùm iſte innumeris paraſangis, illum perfectione excellat. Ezechieli præcipit Deus, Jeruſalem urbem electorum effigiaret. An fortè effigies hæc ſculpi debebat in auro, ſmaragdo, aut alio pretioſo lapide? minimè! ſed in vili laterculo. *Fili hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo civitatem Jeruſalem.* c. 4. v. 1. Oſtendere voluit Dominus placere ſibi, ut trophæa pietatis, ac gloriæ ſuæ incidantur iis lapidibus, qui ad ignem beneficiorum ſuorum obduruêre, & gratiis ſuis reſtitêre pertinaciùs. Hic eſt genuinus Spiritus Patris Miſericordiarum flammas ſuæ charitatis excitare non in aris aureis, aut adamantinis, ſed in vaſis luteis, ac fictilibus: *Altare de terra facietis mihi.* Exod. 20. v. 24.

Ne proin deſperes quicunque peccâ- 467.
ſti: dies veniet, quo hortus cordis tui etiam virtutum aromata proferat, quantumcumque id arefactum ſit vento vitiorum, & avernali aquilone, modò impoſterum noxiis hiſce, quo potes ſtudio, declinatis, ſalubres excipias flatus ab auſtro flantis Spiritus Divini, dicásque: *Veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius!* Cant. 4. v. 16. Et en venit auſter hìc, & illicò ſecuti ſunt delicioſi fructus? idcircò ſponſa Epitalamii dilectum ſuum invitat. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.* Cant. 5. v. 1. Fructus hi non fuêre innocentiæ, ſed pœnitentiæ: hinc dicit: *Meſſui myrrham meam, comedi favum cum melle: comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* ibid. Lacrymas pœnitentis doloris exprimat anima, & dulcorem amantis charitatis ſorbebit, odorémque

que ſparget boni exempli in Eccleſia ſanctorum ad delectamentum. Ita evenit prodigo: dæmoni renunciavit, ſeu miſerrimæ regionis illius quam immunda animalia fœdabant, ſpurciſſimo civi; ad patrem pœnitens rediit, & convivium invenit, in totius domus apparatum hilaria. *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Luc. 15. v. 23. Non dicit, & *manducate*, ſed *manducemus*, videlicet omnes, quotquot hanc incolimus gaudii ædem. Sic Magdalena, ùt ſe Chriſti pedibus adſtravit, ùt flevit, ùt multùm dilexit, ſibi collegit favum dulciſſimæ quietis: *vade in pace.* Luc. 7. v. 50. Aliis verò tam domeſticis quàm externis convivio præſentibus ſuavè olentem exempli optimi reliquit fragrantiam. *Et domus impleta eſt ex odore unguenti.* Joan. 12. v. 3. Denique concludit Chryſoſtomus: *Chriſtus, dum eſſet parvulus ab extremis finibus vocavit Magos, poſt illos publicanum, poſt hunc meretricem, poſt illam latronem, poſt iſtum vocavit blaſphemum.* Tom. 1. hom. 2. in Pſal. 50. ante medium. En quot vaſa iniquitatis converſa ad gloriam Domini in vaſa electionis? *Principia peccantium evacuavit, ut nullus poſtmodum deſperaret de ſua ſalute. Si impius es, cogita publicanum; ſi immundus es, attende meretricem; ſi homicida es, percipe latronem; ſi iniquus es, cogita blaſphemum.* ibid. Imitare pœnitentes, quos es ſecutus peccantes, & Deum æquè tibi habebis, ac illi ſibi propitium.

Idea LXXXIX.

Pœnitentia deſtruat peccatum. & fructum ejus.

468. NUlli benè conveniet cum Deo, niſi malè eidem conveniat cum peccato. Serpentis è parte ſtabat Eva, quando magis virulento ſibilo auſcultavit, ac Dei verbo. Comeſtio fructûs ſubdolè oblati erat indicium pacis jam factæ cum dracone antiquo, initium belli perfidè Domino inferendi. Deus tamen, utpote infinitè miſericors, promiſit diſſipaturum ſe fœdus peſſimè initum, ſtatim ac mulier pacem redintegret cum Deo ſuo. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & ipſa conteret caput tuum.* Gen. 3. v. 15. In hunc finem Verbum æternum venit de regalibus ſedibus ſuis, ut nimirum inter carnem culpas appetentem, & ſpiritum eas abhorrentem, ſeu inter peccatorem, & peccatum æternas inimicitias

tias poneret : *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Matth. 10. v. 34. ſic enim pax cum Deo, & homine componitur, ſi caro & ſpiritus continuis ſe jurgiis laceſſant. Addidit etiam promiſſo ſuo Deus : *Ipſa conteret caput tuum.* Inimicitias nempe eò progreſſuras mulierem inter, ac ſerpentem, ut non antè ſint ſedandæ, quàm eliſo avernalis hydræ capite utut ſeptemplici. Peccatori ſeriam pœnitentiam molienti denunciat Deus per os Ezechielis, ut Judicis perſonam aſſumat : *ſi autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur.* cap. 18. v. 21. Medicus infirmi membra urit, & ſecat, ſed miti manu, non dolorem ægri intendit, ſed ſanitatem. Judex ita urit, & ſecat, ut reus plagam, & dolorem inferri ſibi ſentiat in pœnam delicti. Nec officio ſuo defungitur pœnitens, ſi ſolùm condemnet culpam, etiam plectere ipſe debet factus Judex æquè, ac carnifex. Certum genus dæmonii ſunt vitia, blandè expelli nequeunt, ſtatione non cedent, niſi vi ejiciantur. Arripit cytharam David, & harmonicis modulis ſedare nititur miſeri Saulis furorem, cùm malo dæmone agitatur : ſed fruſtrà laborat, muſicâ enim non mitigat, ſed incendit furentis inſaniam. *Tenebátque Saul lanceam, & miſit eam, putans quod configere poſſet David cum pariete.* 1. Reg. 18. v. 11. Quid prodeſt hîc blanda cytharam pulſantis manus, ſi ea nihil ferit malum ſpiritum Saulis, qui profligari nequit, niſi in brachio forti? ſi ſuum & Dei hoſtem timore Domini confixiſſet David, vel ſaltem minis pœnarum, quas impiis etiam Regibus, niſi reſipiſcant, infliget ſuprema Nemeſis, terruiſſet Saulem fortè, ad ſonoros hos tonos reſipuiſſet infelix, ac ipſe quoque cantâſſet in æternum miſericordias Domini. Fruſtrà molitur inter blanditias hoſpitem expellere, qui creatur, ac educatur inter lenocinia. Ideò tam pauci curantur, quia ipſis nulla niſi molliora pharmaca dantur ! non componitur ſono cytharæ, vel oris, quod reſcindi debet cultro rigoris.

Quæ vera ſit converſio pœnitentis, 469.
Paulus docuit, adductô Agaris exemplo. *Sed quid dicit ſcriptura : ejice ancillam & filium ejus.* Galat. 4. v. 30. Per filium peccatum intellige, per matrem ſeu Agarem peccandi occaſionem, cujus veluti partûs delictum eſt. *Ejice*, non dicit, amanter corripiat, vel ut ſaltem pacificè dimittat, ſed vi expellat. Ita ſtatione ſua extrudendum peccatum, ſancto quodam odio ſine ulla ſpe clementiæ abjici debet, ut reverti porrò non audeat, & vultum ſubire pœnitentis, niſi adhuc pejora experiri velit. En quid contigerit cacodæmoni illi, qui velut caſtrum ſuum incolebat energumeni animam : Ubi fortè majori vi cedere coactus non nihil inde ſecedere debuit : *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine :* aliquantò tempore migraturus quidem, ſed facilè ſubin rediturus : *revertar in domum meam, unde exivi.* Luc. 11. v. 24.

24. *Exierat* nempe, non fuerat *ejectus*, idcircò iterum reverti pro lubitu valuit. *Suam* dicit domum illam, licèt eam jam reliquerit: quia nempe scit, quòd non ingratus ibi fuerit hospes, neque etiam sine dolore dimissus. Quamvis delictum amâsses, uti pupillam oculi tui, vel etiam delicti occasionem & petram scandali, non dimissione hîc, sed projectione opus esse docet, ac jubet Christus. *Erue eum, & projice abs te*, non tantùm peccatum, sed quidcunque tibi sit peccati causa. Matth. 5. v. 29. Etiam vi ejiciendi domo & radicitus abscindendi pessimi animi hospites. Dicendum cum Regio Vate: *persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* Ps. 7. v. 38. sed ex corde ipsos persequi debes, nisi velis, ut porrò redeant. Si solùm exteriori facie relinquas peccatum, & non ex animo, uti Lothi uxor Sodomam, time, ne idem tibi, quod illi accidat. *Respiciens uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Gen. 19. v. 26. imò ipsa hîc timenda securitas, prout de virginibus dicit Mellifluus. Hom. 3. super *missus*. *Et ut timeant cavenda, etiam tuta pertimescere solent.* En Dei Mater etiam ad Angeli occursum timet! *Turbata est in sermone ejus.* Luc. 1. v. 29. Et tu ad dæmonum insultus non totus horripilas? Illi tutiùs vitam transigunt, qui etiam tutissima timent, qui in Sodomæ incendiis haud periit Lothus, nec turpe quid inter tot mulieres alienigenas unquam admisit, solus inter solas filias suas gemino se polluit incestu. Prudenter David non solùm odit iniquitatem, sed & semitas ejus, quæ tot sunt, & tam occultæ: *omnem viam iniquitatis odio habui.* Psal. 118. v. 128. In quem locum Ambrosius: *Et benè posuit viam iniquitatis; ille enim faciliùs iniquitatem declinat, qui vias ejus non fuerit ingressus.* Serm. 16. Ita fecit Samaritana non solùm odio habens, & relinquens peccatum, sed & hydriam, quæ fors occasio fuit, ut iniquitatem biberet velut aquam. *Reliquit ergò hydriam suam mulier, & abiit.* Joan. 4. v. 28. Atque etiam hæc necessaria fuit veræ conversionis consecutio, quam colligere licet ex particula *ergò* ab Evangelista adducta, neque enim vera est pœnitentia, ubi adhuc nidulatur occasio peccandi. Adhuc ulteriùs progressa Magdalena, quæ non solùm Alabastrinum vas suum reliquit, sed omnino fregit: *Et fracto alabastro effudit super caput ejus.* Marci 14. v. 3. ut scilicet eo porrò uti nequiret ad usus vanos, licèt etiam vellet, Hoc est abjicere ansam peccandi, cùm illam impossibilem posthac reddimus.

Ambo præceperat Deus Abrahamo, ut & mater, & proles domo pelleretur. *Ejice ancillam, & filium ejus.* Exeat ædibus tuis peccatum, exeat unà occasio, & fructus ejus. Si radicem vivere sinas, licèt malam herbam præcideris, iterum pullulabit lolium, & zizania: eradices opportet, non seces, nisi jugiter cultro uti velis. Qui in præcipiti stat, necdum cadit, 470

cadit, qui verò inter præcipitia ludit, haud procul abest à lapsu. Deliciæ non semper vertuntur in vitia, docet tamen gentium Doctor, parùm ab animi morte abesse, qui immoderatè ejusmodi sectantur. Imò de viduis fatetur, quòd viventes jam mortuæ sint, si iis nimiùm indulgeant. Nam (vidua) *quæ in deliciis est vivens, mortua est.* 1. Timoth. 5. v. 6. sed si *vivens est*, quomodo dici potest *mortua*? explicat id sanctus Bernardus hac ratione: *Vita in deliciis agens, & mors est, & umbra mortis, quantùm enim umbra propè est corpori, cujus est umbra, tantùm pro certa vita illa inferno appropinquavit.* Serm. 48. in Cant. post medium. Qui ex propria fragilitate cadit, quomodo consistet in lapsum hinc inde impulsus? Petra in se ipsa friget, sed accedente mallei ictu scintillas spargit incendiis pares. Christus surdum, & mutum curaturus à cæteris illum segregavit. *Et apprehendens eum de turba seorsum.* Marc. 7. v. 33. Haud dubiè etiam inter turbas sanari à Christo poterat, voluit tamen illum ab aliis secedere, ut doceret peccata non curari, si adhuc duret occasio peccandi. Is solus, ùt per Jeremiam indicat Deus, vitæ securus est, qui voluntarios abrumpit mortis laqueos. *Si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoveberis.* cap. 4. v. 1. Post magnum ploratum ex ipso magni amoris ortum incendio Christus Magdalenam in pace quidem dimittit. *vade in pace.* Luc. 7. v. 50. Nec obest, quòd meridies jam transierit, quòd jejuna advenerit, quòd nec bolum illius convivii degustaverit: etiam famelica inde abeat, non porrò subsistat domi alienæ, ad propriam revertatur, si pace ipsi data imposterum frui velit. Neque refert quòd periculum videatur minui à præsentia Filii Dei, adsunt filii hominum, & quidem Pharisæi! domus est convivii, locus deliciarum, istiusmodi fugiat mulier pœnitens, si diu retinere obtentam semel pacem cupiat. Ita etiam Divus Petrus, statim ac illum respexit Dominus: *Egressus foras flevit amarè.* Luc. 22. v. 62. Cur egreditur discipulus ædibus, ubi Christus pro ipso & cæteris hominibus patitur? an alibi commissæ culpæ ardentiorem aget pœnitentiam, quàm ibi, ubi Dominum innocuum tam indigna pro se tolerantem videt? ancillam nempe Petrus timet jam sibi factam perjurii causam, & petram scandali; relinquendæ fores, ad quas ejusmodi ostiariæ excubant. Nec ipsa Dei præsentia eum satis protegit, qui peccandi occasionem in tempore non deserit.

Notandum etiam à nemine Petrum fuisse ea domo ejectum, sed suapte 471.
sponte digressum esse. Quivis ipse sibi amputet occasionem peccandi, si vult hanc cum fructu dimittere. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te.* Matth. 18. v. 8 non loquitur de *manibus* Christus, sed de *manu*, aliàs non tu, sed alter deberet eas abscindere. Multis filiis patres occasionem peccandi præ-

ciduntur, sed illi avulsâ unâ sciunt sibi non deficere alteram, quam ardentiùs subin sectantur. Jonathas nunquam arctiùs se Davidi adstrinxit, quàm cùm Saul ei prohibuit, ne porrò commercium cum eo haberet. *Pepigit ergò fœdus Jonathas cum domo David.* 1. Reg. 20. v. 16. Aulâ suâ Davidem exegerat Saul., insecutus est fugientem, ut cæderet, sed quò magis pater Davidem persequitur, eò majori affectu filius illum prosequitur. Illum, qui vult mori, frustrà alius in vivis detinebit, nec vis aliena hominem præservabit ab exitio, qui sponte sua vult perire. Nisi ipse Samson sibi vires suas adimat, detegendo capillorum mysterium, nullus eum ligabit, nec sui juris faciet. Unum Achillis telum sanare vulnus poterat, quod ipsum fecerat. Culpæ malum nemo tollit, quàm qui posuit. Cerva pinguescit serpentum veneno, quod appetit, & eo, quo montes terrentur fulmine, ipsa suos fœtus enititur. Nullæ minæ in iis quidpiam efficient, qui ridere assolent cœli fulminantis iras. Veniam det granum frumenti, si hîc tanquam ectypon assumam duri cordis. In terram id projicit agricola, telluris humiditas totum macerat, putrefacit aqua, & tamen hæc omnia extrinsecus sibi advenientia ad nihil serviunt, nisi ut granum hoc Phœnicis instar è tumulo suo cum fœnore reviviscat, & quod unicum humi deciderat, multiplex resurgat. Si ipsummet hoc granum antequam telluri mandaretur, vel parum contraxisset putredinis, putrefactum jugiter, & solum mansisset. Sed cùm alia putrefactionem inducunt, vegetiùs redditur, ac in grana plurima multiplicatur. Nisi tu ipse velis curare te ipsum, nullus alius te curabit, nec perniciem à te amovebit, quam tu ipse quæris. Hinc Sara jussit virum suum, ut ipse expelleret Agarem: *Ejice ancillam*, nec contenta est Abrahami responso, quod Saræ arbitrio illam subdat: *Ecce ancilla tua in manu tua est, utere illa, ùt libet.* Gen. 16. v. 6. Nam licèt vel fuste hera famulam abigat, redibit illa, si ipse herus Abrahamus non ejiciat

Neque sufficit expellere Agarem, 472
etiam Ismaël domô exigendus; Nam diu non emanebit mater, si adhuc remaneat proles, & ipse quoque Abraham id præstare debet: *Ejice ancillam, & filium ejus*, quia si pater, quem genuit, domo pellit, periculum nullum suberit, ut redeat. Bonum est mercimoniis abstinere, quas vides non parare divitias, nisi post sexcenta vitia. Bene est, rupisti vinculum iniquitatis, negotiationem domo tua velut alteram Agarem ejecisti, sed adhuc Ismaëlem retines. Expulisti Matrem culpæ scilicet originem, quare autem sobolem reservas parentis pessimæ fructum? exulare fecisti arborem, quare pomum virulentum asservas? nundinationem es detestatus, quia lucris suis injustis mortem tibi attulit, & ipsum fatale lucrum adhuc hærere vis in loculis tuis? En Zachæus non tantùm publicani officio renunciat, sed insuper dicit! *& si quid aliquem defrau-*

davi,

davi, reddo quadruplum. Luc. 19. v. 8. Quid prodeſt amicitiam illorum abrumpere, quibuscum aliorum famam proſcindebas, ſi læſam non reſtituis, ſi damna non reparas, quæ alterius honori intuliſti? Haud ſatis eſt filio prodigo valedixiſſe vitæ luxurioſæ, ſed eam inſuper deflet coram patre, ſe illius filiatione indignum profeſſus: *Peccavi in cælum & coram te.* Luc. 15. v. 21. Magdalena non ſolùm vetitis deliciis, ac vanitatibus ſeſe abdicat, ſed inſuper pedibus Jeſu illas ſubſternit largo rigatas lacrymarum imbre. *Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat.* Luc. 7. v. 38. O quot abhorrent Agarem velut ejus tædio affecti, & amant adhuc Iſmaëles ſuos. Ejiciunt matres, ſed detinent filios, fugiunt etiam malas occaſiones, ſed triſtes adhuc volunt poſſidere earum effectus? & tamen certum eſt non dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum! Binorum maximorum Regum dubia eſt æterna animæ ſalus videlicet, Salomonis, & Nabuchodonoſoris. Reſpectu prioris dubium in eo verſatur, quòd peccantem certò ſciamus, pœnitentem certò non ſciamus. Quare autem dubium adhuc perſiſtat reſpectu poſterioris, non tam in propatulo, Licèt enim & hic peccârit, conſtat tamen ex ſacris paginis, quòd pœnitentiam egerit atque humiliatus reſipuerit: *Glorifico*, inquiebat, *Regem cœli, quia gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Dan. 4. v. 34. Neque etiam conſtat, quòd poſtea ambitioni rurſus litaverit. Cur ergo de ſalute illius adhuc relictus eſt dubitandi locus? Nempe quia licèt redux ad imperium non legatur ulteriùs peccâſſe, legitur tamen ſubin non reſtituiſſe malos fructus peccati. Non dilexit poſtliminiò Agarem ſuam, ſed tamen neque domo ſua ejecit Iſmaëlem: vaſa aurea Templi Domini abſtulerat, & quamvis nova furta non patrârit, ablata tamen nunquam reſtituit. Vaſa enim ea Balthaſar ſucceſſor ejus adhuc in theſauris ſuis cenſuit, & in furto hoc patris etiam filius periit. *Præcepit ergò jam temulentus, ut afferrentur vaſa aurea, & argentea, quæ aſportaverat pater ejus Nabuchodonoſor de Templo.* Dan. 5. v. 72. Ecce hîc hæreditatem pinguem, quam foboli ſuæ relinquunt parentes, rapinas nempe alienorum, ut in iis tam patres quàm filii æternùm perdantur! Quare ergò non timeatur de illius ſalute, qui licèt delicta ſua deteſtatus ſit, fructum tamen injuſtitiæ dominis ſuis reddere noluit? etiam Achab cinere & cilicio opertus jejunavit, ſed Nabothi vineam, quam injuſtitia rapuerat, haud reſtituit æquitas. Confeſſus eſt Antiochus, juſtè ſe morte plecti ob vaſa pretioſa è Tabernaculo rapta, & licèt reſtitutionem promiſerit, eam tamen non eſt exſecutus. Peccatum ſuum Antiochus deflebit, ſaccum cilicinum Achabus induet, & loco diadematis cineres regio capiti imponet, neque tamen ablata reſtituet, licèt ignes de cœlo minetur Elias, & triennalis ſiccitatis plaga terram exurat.

exurat. O quot, qui mundo videntur omnino mortui, nihil sunt præter sepulchra dealbata intùs pleni horroris! Facies apparet macilenta, & exhausta jejuniis, cor autem eorum hæret in arca, eáque fors vasis sacratis grandium Ecclesiæ patrimoniorum repleta! O quàm miseri isti! O quàm malè iis erit in novissimo?

Idea XC.

Eradicetur vitium, & inseratur virtus.

473 NOn sufficit lolium agris evellere, opus etiam est bonum semen ibidem spargere. Utrumque Jeremiæ præcepit Deus, quando dixit: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Cap. 1. v. 10. Magdalena ab odio peccati, quod penitus destruxerat, illicò perrexit ad dilectionem Jesu, quam ubertim testata est dulci oculorum imbre: *cum lacrymis cæpit rigare pedes ejus.* Luc. 7. v. 38. Ploravit, se se humiliavit, adoravit, unxit, dilexit. En quot post eradicata Zizania virtutum plantæ! Divus Paulus luce cœlitùs accepta non solùm horrore peccati procubuit humi, sed unà secum traxit omnem molem irarum, quibus spirabat totus: nec solùm dixit peccavi Domino, non peccabo porrò! sed insuper se totum Dei obsequio obtulit, qui ante ejus Ecclesiæ evertendæ se penitus devoverat, dicens: *Domine quid me vis facere?* Act. 9. v. 6. Nempe terra cordis nostri ejus est conditionis, ut nisi germinet flores, spinas proferat. Neque malus culparum odor evanescit cum ipsis culpis, nisi virtutum bonus odor, & illud dissipet. Bonum est non reverti ad vomitum, neque adjicere peccatum ad peccatum. Sed oportet insuper peccati mala compensare pœnitentiæ bonis, & saltem tantundem postea ædificare, quantum antea destruxisti. Malæ consuetudines, ac radicati vitiorum habitus non statim extirpantur unâ vel altera pessimorum actuum detestatione. Quid prodest telam aranea hodie dissipare, nisi araneam ipsam cædas, quæ novam die crastino texet. Mos pravus non concidit, nisi ubi eidem probum superstruxeris, nihilque vitioso habitui magis opponitur, quàm oppositæ virtutis exercitium. Si virtutes plantare studeas, non solùm tolles, sed penitùs extirpabis vitia. Bonum est, quod Petrus loco egrediatur discriminis pleno, & occasionem peccati fugiat, ne porrò labatur. Bonum est, ut fœdus pangat secum ipso, ne

porrò

porrò cogitet de negatione Domini, ac Magistri sui, ne imposterum tam gravi piaculo sese obstringat, quale est perjurium. Sed necesse est insuper, ut lacrymas fundat, suâsque in amaritudine cordis sui recogitet culpas, uti fubin fecit: *Et egressus foras flevit amare.* Luc. 22 v. 63. Neque etiam his videtur contentus esse Christus, sed insuper vult trinæ negationi respondeat dilectio terna, & ut peccatis subrogetur satisfactio in cura, & sollicitudine agnorum, atque ovium: *contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: Petre amas me?* Joan. 21. v. 17.

474. Quod hoc non præstiterit in infelici sua pœnitentia, Judam proditorem perdidit. Etiam ipse detestatus est maximum scelus suum: tradidisse se sanguinem justum palàm est confessus: imò etiam malè acceptum pretium iis, à quibus acceperat, restituit: *Et projectis argenteis in templo recessit.* Matth. 27. v. 5. A Synagoga Satanæ, pessimis scribis, & pharisæis se subduxit, & tamen periit, quia scilicet contentus loculos vacuâsse numis, cor omisit replere virtutibus, & animam dolore munire commissi criminis, nec non veram fidem, ac spem concipere Misericordiarũ Domini. Non videtur oculis peccâsse Job, uti labiis sacræ scripturæ effato non peccavit, tam enim sanctos habuit, ut nequidem cogitarent de virgine. Nihilo seciùs illos non solùm clausit vanitati, sed insuper aperuit contemplationi Dei, ut videret, quomodo ambulandum esset in Lege Domini. *Nunc autem oculus meus videt te, idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Job. 42. v. 6. In eo Zachæus ostendit verè se ad meliora conversum, & reformatum esse in filium Abrahæ, quia non solùm usuris æternum dixit vale, sed insuper ex malis lucris eleemosynas largas est elargitus, & injustitias cum fœnore compensavit, quia cum veritate dicere potuit: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & siquid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. 19. v. 8. Jesum domum suam hospitem induxit, ut eam totam ejus obsequiis manciparet, & eidem salus obtingeret. Generosè proin abscindantur Zizania, & eradicentur vitia, excoli tamen etiam debent virtutum plantæ, ac omni studio curari, altas agant radices, ne quovis tentationum halitu vel decidant, vel emarcescant. Hinc non talem duntaxat pœnitentiam, eremi incola, Joannes præscribit, quæ culpas abigat, sed quæ etiam heroicarum virtutum fructus proferat dicens: *Facite ergò fructus dignos pœnitentiæ.* Luc. 3. v. 8. Fundetur vera pœnitentia in radice dilectionis, & sic palmis sese coronabit. De sponso Epithalamii dicit Salomon, quòd fuerint *crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Cant. 5. v. 15. Ita exsurgit perfectionis statua, si præter soliditatem suam insuper fundetur in basi charitatis. Ita de prostratis vitiis triumphat, cujus velut sponsi comæ *sicut elatæ palmarum.* ibid. v. 11.

475. Egregiæ divi Pauli oblationi sui ipsius ad

ad omnia ea, quæ sibi à Deo mandarentur, promptè exequenda addidit Christus: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. v. 16. Non enim solùm agere, sed & pati proprium esse debet eorum, qui se Dei obsequio post veram conversionem devovent. Vita animæ perfecta non solâ pœnitentiæ aqua, sed & sanguine heroicarum virtutum rigari debet. Ambo hi liquores scaturiunt ex Christi latere, *è quo exivit sanguis & aqua.* Joan. 19. v. 34. Illius rationem reddens Rupertus dixit: *Exivit aqua sed de socio sanguine, nam sine sanguine aqua prodesse non poterat.* Lib. 2. de Oper. spir. S. cap. 11. Gentium verò Apostolus scribit, culpas non remitti, nisi ante cruore respersas, *sine sanguinis effusione non fit remissio,* Hebr. v. 22. Quò vera sit contritio cordis, fundi debet sanguis: toleranda multa: ferenda crux, & alia cruci annexa, Nam velle manus variis etiam sanguinis innocui injustè fusi, maculatas sceleribus pauxillo aquæ devotionis, ac teneritudinis abstergere, stultitia est Pilato digna, qui *accepta aqua lavit manus coram populo dicens: innocens ego sum â sanguine justi hujus.* Matth. 27. v. 24. Magnum quid præstitit Abraham proprium filium paratus Deo immolare, non tamen minùs egisse censendus est David, cùm Dei voluntati parvulum suum è Bersabea natum etiam in mortem obtulit: *Ingressus est in Domum Domini & adoravit.* 2. Reg. 12. v. 20. Nescio quid virulenti habet in se voluntas propria: vel omnia inficit, vel saltem insipida reddit. Eadem res ultrò concessa, vix grata accidit, magni æstimatur, si vel tuis ingratiis alteri cedat. Quavis die pro lubidine multa agimus, & patimur, quæ si alterius voluntate essent agenda vel toleranda, censeremus esse quoddam martyrii genus. Sciat vir pœnitens, neutiquam sufficere plumas sponte projicere, ùt aves solent, cùm iis gravantur, aut pellem inter binos lapides relinquere serpentinam; opus est fieri ovibus similem, quæ in silentio, & patienter tonderi sustinent. *Dentes tui sicut greges tonsarum de lavacro.* Cant. 4. v. 2. Haud satis est aqua tingi, neque etiam ex vitiis assurgere ad virtutes, insuper ferri debet, quod cœlestis sponsus ferendum offert, obmutescere oportet coram tondente, ut simus veræ Christi oves, de quibus sponsa Ecclesia lætari queat: *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.* ib. *Conversus sum,* inquit David, *in ærumna mea, dum configitur spina.* Psalm. 31. v. 4. Amabilis spina, quæ dum pungit, compungit! in tua plaga salus! in vulnere isto vita! sed non omnes spinas, ut ut pungant, hæ dotes exornant. Quæ manu aliena figuntur, ubi patienter ferantur omnium optimè corda hominum penetrant. Quas enim propria germinat voluntas, rarò ad salutem stimulant, utut cultores suos non parùm fodicent. Etiam pisces hisce aculeis instruuntur, nec tamen ipsi punguntur iis, sed pungunt alios.

Rosam

Rosam suæ spinæ armant, non ipsam sed alios feriunt. Sponsus idcircò dilectam suam vult esse, *sicut lilium inter spinas.* Cant. 2 v. 1. non ut rosam; hæc suas sibi spinas creat, ad gustum sunt, non ad dolorem. Lilium ab extra productas patitur, & sine repugnantia patitur! illa ut filias suas habet haud noxias matri: istud ùt tormenta sua sentit, nec tamen gemit, sed generosè tolerat.

Idea XCI.

Quod non patet, non curatur vulnus.

476. HOminem dæmon mutum reddiderat, & oris usum Christus muto restituerat. Ambo admiratione digna, & quod obmutuerit mancipium hoc dæmonis: *Et illud erat mutum.* Luc. 11. v. 14. Et quod loquelam Christi favore recipiat: *& locutus est mutus.* ibid. Quid ab homine magis petit hostis avernalis, nisi ut peccet, & peccando æternùm pereat, quare ergò hominem loqui non finit, cùm tamen solutum labium vix non sit certum peccatum, aperta pernicies. *Erravi*, inquit David, *sicut ovis, quæ periit.* Ps. 118. v. 176. Sanctus Ambrosius legit, *os aperui sicut ovis, quæ periit.* ibid. Ambo unum, idémque videntur os aperire, & perire, loqui & hallucinari. Imò antequam vocem efformes, jam errâsti, si ad sonum oris emittendum, ipsum os aperuisti. Mirum dictu, idem est labium diducere, & cor errore seducere. Culpâ originali haud vacat vox, quæ necdum formata, jam est ad errores damnata. Hinc dixit Job, vix videri possibile, ut vir linguosus scelere careat. *Nunquid verbosus justificabitur.* Job. 11. v. 2. Labia comprimat, qui justitiam adamat. Eidem patientissimo viro omnia abstulit dæmon, excepta linguâ, quàm unam reliquit, quò, ùt rebatur, certiùs perderet. *Et derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* Job. 10. v. 20. Ut enim morti animæ aditus pateat, sufficit ora patere, ubi lingua, residet *universitas iniquitatum*, teste Jacobo Cap. 3. v. 6. Si ergo dæmon energumenum suum perdere voluit, cur illi labia occlusit? cur mutum, & surdum effecit? si salvare intendit Christus, cur ei linguæ usum restituit?

Ratio est, quia damnum certissi- 477.
mum animæ in eo consistit, quando vel unicum peccatum reticet, quò pereat. Magis valet labium obseratum, quàm janua vitiis omnibus patula. Nimirum *cùm fortis armatus custodit atrium suum, cuncta in pace sunt ea, quæ possidet.* Luc. 11. v. 21. Dum istam

istam oris clavem diabolus in manibus habet, nihil est, cur timeat, nullus arce exibit, nisi serram hanc antè reserârit. Quò vincatur dæmon garrulus, unus Christi sufficit contemptus: *Vade Satana.* Matth. 4. v. 10. Et illicò aufugiet, *& reliquit eum diabolus.* v 11. Ut autem diabolus mutus loco pellatur, Dominus totus, & aliquâ temporis morâ occupatur: *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11. v. 14. Testatur divus Marcus energumenum pessimè fuisse à diro suo hospite habitum: *Et diabolus allidit eum, & spumat.* Marci. 9. v. 17. Si autem mutus est dæmon iste, crudelis sit pariter necesse est, nullus enim magis sævit, quàm qui linguam constringit, nullúmque telum eo nocentius, quod vulnus tegit à se factum. Filius Dei ex essentia sua est Verbum, & bonus: filius, seu abortus dæmonis silentium est, & malus. Rogat Christus muti parentem, à quanto tempore piscis instar obmutuerit, & sibi reponi audit: *ab infantia.* Ita fit à prima ætate, ut peccata sileantur in sacro tribunali connititur dæmon. Et addit energumeni pater, quòd obtulerit filium *habentem spiritum mutum, qui ubicunque apprehendit, allidit illum, & spumat.* Miser ille silet, & dæmon pilæ instar eum jactat, dum peccatum apud se retinet, diabolus peccatorem, ùt lubuerit, excipiet. Etiam cœli, teste Isaia: si obtegantur, decident, *replicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea.* Cap. 34. v. 4. Videtur oppositum fieri debere, ità ùt complicati diutiùs ac expansi consistant, sed minimè. Macula enim obtecta est tineæ instar, quæ splendorem adimit, & virtutem penitùs consumit, licèt etiam cœleste quid fuerit, quod habem eam abscondit, in feralem enim cometam abibit, ipsis à benignioribus stellis incensum. Idcircò de Deo cecinit David, quòd sit *extendens cælum sicut pellem.* Psal. 103. v. 2. si verum cœlum es, Judici tuo sine plica & ruga te ostendes: si minùs, atque te, ac culpas tuas complices, ne penitùs animi tui arbitris pateas, cades etiam ex ipso cœlo: Id de te fiet, quod idem Propheta est vaticinatus: *Ecce tenebræ operient terram.* Isai. 60. v. 2. Et quid aliud sit, nisi terra eáque sterilis, quæ abdita amat? Non campos, aut hortos, sed terram Isaias dicit tenebris opertam. Si floreres virtutibus, etiam abundares luminibus, sed dum tellus suis in tenebris jacuit, nullum primitùs nec florem, nec fructum produxit; *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Gen. 1. v. 2. tunc floribus, & fructibus abundare cæpit, quando luce perfundi. Evanescentibus in corde sponsæ noctis tenebris: *Jam hyems transiit, imber abiit, & recessit*: illicò dicere potuit, *flores apparuerunt in terra nostra.* Cant. 2. v. 11. ubi tenebræ adhuc durant, flores non protuberant, quia, si culparum umbræ omnia contegunt, virtutum vigor emarcescit. Quando lucis suæ radios evibrat Deus, dissipantur nubes

bes utut fætæ ignibus & grandine. *Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis.* Pſ. 17. v. 13. quas flammas & averni incendia, quot fulmina & tempeſtates patitur cor Deo, & ſuis miniſtris abditum! *cùm ergò occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & aparuit clibanus fumans.* Gen. 15. v. 27. ubi in tenebris deliteſcunt peccata ocyus flammis vindictæ Divinæ, vel incendiis laſciviæ comburitur hominis culpas ſuas ita occulentis animus. Etiam Apoſtoli in caſſum laborant, dum retia in tenebris ad navigii ſiniſtram jaciunt, ipſimet teſtantur: *laborantes per totam noctem, nihil cæpimus.* Luc. 5. v. 5. nimirùm his in ſpelœis nidulatur infernalis hoſtis. *Inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua:* Pſalm. 9. v. 30. Ibi reſidet velut in domo propria: ejus ſunt præcordia umbris hiſce repleta; ibi dominium tenet velut *in ſpelunca ſua*: ibi vim, & potentiam ſuam exerit, ſciens tempus ſuum hoc eſſe; *hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Luc. 22. v. 53. Avernus totus hanc noctem perambulat. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ.* Pſalm. 103. v. 20. ſola peccati, & orci monſtra lucem fugiunt. *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt.* ibid. v. 22. & diem culpa duntaxat reformidat, quæ in noctis tenebris commiſſa eſt. *Via impiorum tenebroſa.* Prov. 4. v. 19. Nempe qui hanc ingrediuntur, ejusmodi ſunt, qui teſte David *neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Pſalm. 81. v. 5. Id certum, non umbras, ſed meridiem quæri à ſponſa: *Indica mihi, ubi cubes in meridie.* Cant. 1. v. 6. Et quando de nocte quæritur, non invenitur. Hinc ipſa dicit: *per noctes quæſivi, ſed non inveni.* Cant. 3. v. 1. Et ſi aliquando pleno meridie nox ingruit, ſol juſtitiæ Chriſtus occubuit. Erat autem ferè *hora ſexta, & tenebræ facta ſunt.* Luc. 23. v. 44. *Et hæc dicens exſpiravit,* v. 49. in morte hac Chriſti revelatum quidem eſt velum, ſeu reconditum Synagogæ, ſed quia vi id factum, nil ea revelatione profectum. *Velum templi ſciſſum eſt medium.* ibid. v. 45. & ideò etiam mortem oppetiit Servator noſter, quia velum id non apertum eſt, quando, & cui aperiri debuerat. En hic etiam miſeriam hominis peccantis! multis crimina ſua pandet, atque etiam gloriando, & alios ſcandalizando pandet, túncque obmuteſcet, quando ſacro Judici ſincere revelanda forent. Etiam Judas faſſus eſt peccatum ſuum, cùm dicit, *peccavi tradens ſanguinem juſtum.* Matth. 27. v. 4. ſed peccatum faſſus eſt Scribis, cùm fateri debuiſſet Chriſto, vel ejus Miniſtris, imò his ſtudioſè occultavit, & ne pateret nequiter ſimulavit: *Nunquid ego ſum Rabbi.* Matth. 26. v. 25. hoc non eſt medico detegere vulnus, ut ſanet, ſed abſcondere, ut lethali cancro abſumatur

Malum eſt peccare, pejus peccatum non prodere. *Impietatem peccati* ejusmodi ſilentium vocat David, ut advertit Rufinus Aquileienſis in illud Regii vatis: *confitebor adverſum* 479.

ſum me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei Pſal. 31. v. 5. ita enim citatus Auctor loquitur: *Cum agimus malum, vel loquimur, vel cogitamus, peccatum eſt: cùm autem id ipſum abſcondere Deo volumus, jam non ſolùm peccatum eſt, ſed impietas peccati:* ſic intelligimus id, quod olim de Judæis dixit æterna Veritas: *ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* Joan 15. v. 22. ſed nunquid hoc unum erat Judæorum peccatum, quòd agnitæ veritati fuerint refractarii, ac lumini cælitùs accepto rebelles? an nulli inter eos adulteri, fures, homicidæ, idolorum cultores? ita quàm plurimi ejusmodi fuêre. Unum tamen erat eorum peccatum teſte Hipponenſi, *quo tenebantur cuncta peccata, quod unusquisque, ſi non habet, dimittuntur ei cuncta peccata.* Peccatum mutum non ſolùm eſt peccatum, ſed peccatum peccatorum, quia dum os obſtruit, nullum eorum digredi ab homine ſinit. *Viſitabit*, inquit Iſaias, *Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leviathan ſerpentem.* Cap. 27. v. 1. ſed an non lupus rapax Leviathan, laſciva Siren, leo ſuperbus, hydra ferox! ita, totum id Leviathan eſt. Cur ergo ſuper ſceleribus ſuis non viſitat eum Dominus; quia nempe majùs quid eſt ſerpentinis involueris venenum peccati condere, & maculoſis ſquammis velut fatuo lumine alios decipere. Leviathan talis eſt, qualis vipera, quæ in lucem partum non emittit, uſque dum virulento dente malè concepta ſoboles ventrem matris perfringit. Hoc ſcilicèt peccatum peccatorum Deus gladio furoris ſui olim medium ſcindet, cum damno illius irreparabili, qui ſponte hanc vomicam detegere noluit, ut remedium caperet. Hinc acerbius ſupplicium malis ſtellis imprecatus eſt Job, quando non lapſum, ſed tenebras iis eſt precatus. *obtenebrentur ſtellæ caligine ejus.* cap. 3. v. 9. Perniciem meritam petebat iis vir zelo Dei plenus, & majorem ſubeunt, ſi obtenebreſcant, quàm ſi cadant. Lapſæ enim adhuc erigi poterant, caligine obvolutæ etiam in cœlo de ſtellis in carbones abibant. Peccantem Adamum intuetur Deus, non tamen illicó eum vel ad judicium vel ad pœnam vocat: abſcondit ſe miſer ſub arboris foliis, hísque nuditatem ſuam, ac peccatum commiſſum obtegere parat. Tunc ocyus Divina nemeſis tribunali ſuo ſiſtit reum, ac pro merito plectit. Tacebit Deus, ubi alia ſcelera patret homo, non tacebit, quamprimum illa occulere paret. Ubi id molitur Adam, ſtatim illum inclamat: *Adam ubi es.* Gen. 3. v. 9. non dicit, quid feciſti? ſed quare te abſcondiſti? nempe hæ peccati tenebræ, ſunt peccans peccatum, tale quid ſunt, quod caret remedio. *Tenebræ ſtupefecerunt me*, dixt Iſaias. cap. 21. v. 4. Quem locum Septuaginta vertunt: *iniquitas inundavit ſuper me*, nimirùm idem eſt ſeſe abſcondere, ac derelinquere, culpam diſſimulare & ea irreparabiliter abſorberi. Hinc idem Propheta, væ tibi acclamat!

clamat! *ſecretum meum mihi, væ mihi.* c. 24. v. 16. non torquetur culpis alienis, imò nec etiam propriis, niſi in quantum eas occultavit. Secretum hoc, & latibulum ſceleris, virus, & toxicum fuit peccatoris, quomodo tantum ignem impunè clauderet ſinu ſuo? væ idem aliis quoque eſt comminatus, qui latebras hasce peccatis ſuis quærebant: *væ, qui profundo eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum sunt in tenebris opera!* cap. 29. v. 15. væ omnibus illis, qui Deo, & Miniſtris ejus detegere recuſant perperam acta, ſic enim nihil aliud præſtant, quàm ut æternis tenebris ſe, & culpas ſuas addicant!

Idea XCII.

Qui in lucem producit peccata ſua, olim ſplendebit luce gloriæ.

480. NOn ſolùm in hiſce mundi tenebris vigilias agere ſuos juſſit Chriſtus Dominus, ſed etiam voluit utramque eorum manum ſplendentibus facibus inſtrui: *& lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. v. 35. Luces præſcribit, quæ tenebras diſſipent, ne ſcilicet operetur manus, quod illius, cujus ſcire intereſt, non videat oculus. At quomodo operemur, manibus noſtris, ſi ambæ lucernis ardentibus ab opere detinentur? hoc ſcilicet efficere debemus, ut omnia opera noſtra ſint lucida, tam procul à tenebris abſint, ut ſine alio lumine ſe ipſas noſtræ manifeſtent actiones omnes, & ſingulæ. Apud Danielem Chryſoliti figuram æmulatus eſt aſſumpto corpore cœleſtis Genius: *Corpus ejus quaſi Chryſolitus.* cap. 10. v. 6. Lapis hic eſt pretioſi Jaſpidis genus, aurei coloris quidem, ſed ita tralucentis, ut nihil diaphaneitate chryſtallo cedat: non enim eſſe poteſt angelus Dei, niſi qui totus intus & foris puritate niteat, & cryſtalli inſtar. Id peccatori ſuadebat Jeremias, cùm dixit; *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.* Thren. 2. v. 19. aqua ſemel effuſa eò non redit, quò effundi cæpit, hoc petit firmum emendationis propoſitum, ut illuc non relabâre, unde ſemel emerſiſti. Symbolum etiam in aqua habes, ut culpæ tuæ manifeſtatio undique claritatem habeat, ſic quod aquæ inſtar effunditur, denique in cryſtallum concreſcet. Sed inquies, quomodo luceant opera mea, ſi ſint opera tenebrarum? ſed hoc ipſum eſt prodigium veræ peccatorum confeſſionis

fessionis, ut ipsas tenebras vertat in lucem, & ex obscuris colligat splendores, atque tales quidem, quibus solis loco induatur Deus. Viderat Joannes *mulierem amictam sole*, uti habetur Apocal. 12. v. 1. Regius autem vates confessione velut lucidissima indutum veste Dominum vidit, *Domine*, inquit, *Deus meus magnificatus es vehementer: confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Psalm. 103. v. 1. & 2. Res mira creatura Phœbi splendoribus lucet, Creator videtur tenebris se ipsum amicire, confessione peccatorum! Ita est, confessionem hanc induit, sed simul decorem, quia major est lux peccati vera confessione aboliti, quàm ipsius Phœbi: hujus proin splendores relinquit Deus mulieri, sibi doloriferæ confessionis lucem omni creato lumine lucidiorem reservat. Ista culparum manifestatio, quæ lachrimantibus oculis fit ad aures sacri Judicis, purpura est, quæ ipsam Dei majestatem decet. *Et decorem induisti amictus lumine.* Neque Christus unquam se Angelis formosiorem ostendit, quàm cùm irrigatum vidêre pœnitentis Magdalenæ lacrymis: *Confessionem & decorem induisti.* ibi enim quò se pulchriorem exhiberet, vultum solis operuit capillis fæminæ id tergentis, quod oculorum fonte laverat. *Aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit.* Luc. 7. v. 44. In Thabore solis splendores exhibet Jesus: *resplenduit facies ejus sicut sol.* Matth. 17. v. 2. Eámque hominibus ostendit. In domo Pharisæi, unde egredi parabat ostensurus se Angelis, ac lætitiam iis facturus: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. v. 10. Sed vestis ejus alio lumine non fulget, nisi pœnitentis Magdalenæ confessione; eo tamen vestitu gestit Christus occurrere Angelis, & quidem vestimento hoc indutus alio non indiget lumine. Post pœnitentiam culpæ migrant in stellas, & de tenebris peccati splendescit mirabile lumen.

Vice versa jugiter se prodit ignis, 481.
vel flammâ, vel ardore, aut fumo, hinc quæ occultantur culpæ, majorem subin vultûs ruborem excutiunt. Dum lapis sepulchralis tegit peccatorem, odor infamiæ illum manifestat. Tollite lapidem, inquiebat Christus apud quatriduani Lazari monumentum, & Martha, mali odoris conscia respondit: *Domine jam fœtet.* Joan. 11. v. 39. Recludatur sepulchrum, remove operculum, reviviscet defunctus, & evanescet omnis odor malus. Nemo peccata sua magis absconderat, quàm mutus Evangelicus, vitio enim linguæ, ac vocis defectu revelare non poterat. *Et illud erat mutum.* Luc. 11. v. 14. hoc non obstante testatur S. Marcus, quòd & stridorem dentium, & oris spumam, & faucium aridita-tem exterùs prodiderit. *Et spumat, & stridet dentibus, & arescit.* Marc. 9. v. 18. Quid refert, os non aperiri ad detegendum ulcus animi si corde clausum virus se ipsum in spumæ-

mæ ejectæ ſignis manifeſtè oſtendit! Quid prodeſt ore non proferre eheu illud peccatorum doloris indicium, ſi in ſtridore dentium, & virium debilitate ſatìs patet, quàm gravi ſcelerum pondere animus opprimatur? Abominationes tuas aliquando ea ipſa tellus aperiet, quàm jugiter inquinans *Et revelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet ultra interfectos ſuos.* Iſai. 26. v. 21. Licèt poſt fratricidium ſileat Cain, magnis tamen clamoribus exauditur cruor Abelis proditoriè cæſi. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. v. 10. Ecce hìc ſcelera non ſolùm vocem, ſed & clamorem edunt, qui à terra ad cœlum uſque pertingit, cúmque non unum ſed multiplicem! *clamor Sodomorum,*
482. *& Gomorrhæ multiplicatus eſt.* Gen. 18. v, 20. Nihil profuit Adamo foliis contegere nuditatem ſuam, ſi ea ipſa magìs hanc revelant! *Quis enim indicavit tibi, quòd nudus eſſes?* Gen. 3. v. 11. Duplex eſt erubeſcentia, una peccati altera honoris parens: *Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam.* Eccl. 4. v. 25. Ea, quæ labium obſtruit, mortem generat: quæ frontem occupat, vitam, & pulchritudinem conciliat. Hinc ſponſus dilectam ſuam celebrat ob iſtam ſecundi generis erubeſcentiam, *ſicut vitta coccinea,* inquit, *labia tua, ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Cant. 4. v. 3. Verum quidem eſt, ſanguinem elici generoſa confeſſione delicti, ſed omni formoſitate pulchrior vultus hic rubens. Ita de ſorore ſua Gorgonia ſcribit Nazianzenus: *Unus ille rubor placebat, quem gignit pudor, unus candor, quem parit abſtinentia.* Orat. de ejus laud. uti autem decorem conciliat ſceleris ſponte aperti erubeſcentia, ita turpitudinem auget ejusdem malè tecti nequitia. O perverſitas! exclamat Melliſluus, *non pudet inquinari, & abluì pudet!* Ep. 185. Qui innoteſcere recuſat homini Chriſti vices in ſacro tribunali agenti, hunc olim non agnoſcet Dei filius futurus omnium Judex. *Ego,* inquit ipſe, *ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Joan. 10. v. 14. Lupus fugit paſtorem, ovicula ſequitur, & gaudet in ejus oculis verſari, vocémque illius audit. Quam non agnoſcit Divinus Paſtor, non eſt ovis Chriſti, ſi in miniſtro ſuo hunc Paſtorem non agnoſcit, ab illo quondam cognoſcetur non ùt agnus, ſed velut hircus, licèt ovinam pellem indutus illicò detegetur lupus..

Non Adamo, non Evæ, ſed ſoli 483.
Caino nequam eorum filio maledixit Deus. *Nunc igitur maledictus eris* Gen. 4. v. 11. Cur id? quia illi faſſi ſunt commiſſum ſcelus, iſte palliare voluit: *num cuſtos fratris mei ſum ego?* ibid. v. 9. Addunt aliqui, terram, in qua innocuus Abelis fuſus cruor fuiſſe rubri coloris, ne fratricidium vel ipſo aſpectu ſanguine reſperſa proderet: Nam ita ex Hebræo legunt: *clamat ad me de terra rubra.* Attamen *Deus non irridetur.* Galat. 6. v. 7. Qui ita culpam tegit, qui fucatis eam coloribus, prout

prout in se ipsa est videre non sinit, denique maledictionem incurrit. Notat Divus Athanasius, ideo à Christo ficui hanc factam imprecationem: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Matth. 21. v. 19. *quia post transgressionem Adam accepit folia ficûs, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum.* Et hac de causa concludit sanctus Doctor, meritò Deus arefecit operculum peccati: ut scilicet citiùs infructuosa arbor arderet, Neque etiam sufficit culpam fateri, si non ita loqueris, ut te videat Confessarius. Et elingues, & bilingues in eo tribunali, ubi seipsum accusare debet reus, odit Deus. De zizaniis, seu malis hominibus jubet Dominus Deus: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Matth. 13. v. 10. idque fieri præcipit in tempore messis, quando scilicèt frumentum bonum in horrea cœlestia inferretur, paleæ in clibanum mittentur, ut ardeant. Sed quare in fasces vult hæc zizania alligari? quia & ipsi non ritè fassi sunt culpas suas, quas in unum collectas sine ordine conscientiæ arbitri in aures deposuêre. Ita nempe dicent hi, qui olim stabunt ad sinistram Judicis: *& non ministravimus tibi.* Matth. 25. v. 44. Omnia distinctè, & minutatim forent exponenda, utì boni facient, dicere deberent: *non pavimus te, non dedimus tibi potum, non cooperuimus te!* in fascem illi perperam acta sua colligant, & in fascem collectos ipsos ad averni ignes projicient. *Colligata est iniquitas Ephraim.*, plorat Oseas, hinc ocyùs sequitur: *absconditum peccatum ejus.* Os. 13. v. 12. Nempe idem est crimina in cumulum projecta exponere, ac illa omninò in latebras abjicere. Confessio genuina nihil commune habet cum messe, ubi uno falcis ictu plurima gramina sternuntur, sed similis sit vindemiæ, ubi racemus unus post alterum decerpitur, nam & hìc peccato uno deprompto cum dolore alterum exponendum. Etiam mulierula illa, antequam ad puteum, Sichar Christus ei cor immutaret, aliquo modô se ream fateri cæperat, id autem omninò confusè. *Sum mulier, inquit, Samaritana.* Joan. 4. v. 9. Id quidem eras, sed nil præterea? Cur non dicis fuisse te juventæ scandalum, veneris prostibulum, adulterorum receptaculum? miraris, quòd tecum vir Judæus loquatur, & non recordaris infamis tui sexviratûs. Pessima sanè confessio, nil mulieri peccatrici profutura, nisi Christus dicendo ei *omnia quæcunque fecit*, meliorem docuisset instituere. Prodigus quoque collo tenus luxuriis immersus ubi pœnitentiam circumspicit, nullius alterius, quàm famis extremæ meminit: *hìc fame pereo.* Luc. 15. v. 17. revera nulla fuit confessio hæc, & verè dixit pater ejus: *mortuus erat.* v. 32.

Idea XCIII.

Pugnandum omnibus.

484. SI Jesus licèt in desertum à spiritu ductus post producta per quadraginta dies continuos, & preces, & jejunia, postquam voce de cœlo supra Jordanem lapsa jam orbi inclaruerat tanquam filius Dei, pugnare tamen debet, & dæmoni obviare tentanti, quando *accedens tentator*, triplici eum ariete impetiit, quis nostrûm â pugnis istis se tutum credet? si in paradiso, quem plantavit Dei manus ad delicias hominum in statu innocentiæ versantium, non deest serpens callidior cunctis animantibus, qui sui securos invadat, ubi tandem prælii campus deerit? In ipsis cœlis Lucifer inventus est, cujus fastum, & vanitatem debellaret cœlestis militiæ Princeps Archangelus Michaël. Ex utero matris suæ jam sanctificatus fuerat Jeremias, vix natus, etiam sanctus, magnus Propheta, & insignis minister Dei! hic tamen vir tantus antequam mittatur, ut bellum indicat sceleri, contra hostes suos se se præmunire jubetur: *tu ergo accinge lumbos tuos.* Cap. 1. v. 17. sed si pugnandum contra monstra vitiorum, quæ populum Dei devorant, cur ipse Propheta se se præcingat, ne ipsi nocumentum afferant? quia nempe nullus est sui ipsius securus, ut ut plurimos in aliis retulerit triumphos. Vel maximè illis blanditur scelus, à quibus clades accepit maximas, ut vel semel vincat, à quibus toties se victum dolet. Quas non detonuerat in carnis vitia Philippicas David, & tamen denuò factus est suæ trophæum vile? monet Apostolos Christus: *sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. v. 35. Ne scilicet, dum aliis prædicârint, se ipsos perderent. Ne, dum lucernas manibus præferrent ad lumen gentium, ipsi intùs avernales ignes paterentur in sui exitium. Hæc ex mente sancti Gregorii prima fuêre Dei ad magnum Job verba: *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Cap. 38. v. 3. Tremendum quid! à planta pedis usque ad verticem capitis non erat in Job sanitas: putruerat caro, scatebat vermibus, tam fœda jam erat, quæ magis ipsa sterquilinium inficeret, quàm inde quidpiam putoris traheret. Et tamen adhuc eam timere jubetur, ac contra illam accinctus stare tunc quoque, quando cum ipso Domino ei est agendum! Justus erat Job, simplex, & timens Deum; talis erat, ut servum suum vocet, & eo contra dæmonem glorietur omnium Dominus. Et nihilo seciùs vir tantus, post-

poſtquam ſacrificium bonorum omnium, utì & ſui promptus obtulerat, poſtquam de ſtulta uxore triumphârat, poſtquam amicorum fallaces inſidias devicerat, poſtquam de Orco tot, ac tam præclaras palmas retulerat, vir, inquam, tantus â Deo audit: *Accinge lumbos tuos*, ne ſcilicet hoſti uni, propriæ ſcilicet carni jam marcidæ, jam conſumptæ vermibus adhuc ſuccumberet. Quodſi ergo pugnandum Prophetis, Apoſtolis, ipſi Dei filio, dum in hac vita degunt, quæ eſt militia ſuper terram, an cæteris has pugnas licebit ſpectare otioſis?

485. Ne nudus incedas, dum montem conſcendis, monebat Euripides: *Quippe rubis, tribulísque viret mons undique denſus.* Timendum eſt, nam ipſæ mortificationis ſpinæ blandam carnis roſam acriùs exſtimulant, dúmque horti purpuram ambiunt, feriendo lædunt. Multoties ex duro & frigido chalybe excutiuntur ſcintillæ, in quibus ipſe poſtliminio ardeat! In ipſis cervi venis vermes naſcuntur, queis torqueatur adeò, ut virulentos ſerpentum dentes appetat, quo intrinſecam peſtem ſubin in aquis eluat. Lege Mizaldum Cent. 1. 7. Clamabant filii Prophetarum ad Eliſæum. *Mors in olla vir Dei.* 4. Reg. 4. v. 40. & factum eſt aconithum, quod præbere debeat victum. In ipſo manna populus Dei invenit, quo ſibi caveret, cùm ſcilicet *ſcatere cæpit vermibus.* Ex. 16. v. 20. Ætna nive velut gelidis canis opertus magnis intùs conflagrat incendiis. Cygnus plumis totus in deſerto albicat, & tamen intus carnes carbonis inſtar nigricant. Proceræ Libani cedri, licèt nihil habent, quod à tinea ſibi timeant, à flammis ſpineti metuant: *Egrediatur ignis de rhamno & devoret cedros Libani.* Judic. 9. v. 15. Ex ipſo monte, quem opacant, Vulcanus aderit, qui has arbores depaſcat. *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* Zachar. 11. v. 1. Dum nempe ſenſuum portæ inconſideraté panduntur, præcordia ignis ſubit, qui incendia ſuſcitet. *Ulula, abies, quia cecidit cedrus.* ibid. v. 2. quia ſi pro tam altis arboribus nulla adeſt ſecuritas, quid fœnum, palea, & canna paluſtris præſumat?

Omnes timeant, & illi maximè, 486.
qui ſanctitate eminent. Tempeſtates & ventorum procellæ magìs furunt in robuſtas arbores, quàm in teneros juncos. Navis auro, & Indorum mercibus onuſta, pyratarum acuit ungues. Lumbrici, & lolium nunquam majori copia excreſcunt, quàm in ſolo pluviis uberioribus madido. Avernalis draco avidiùs inhiat bolis iis, qui dicuntur *cibus ejus*, ſcilicet Dei, *electus.* Habacuc. 1. v. 16. Non impetit Chriſtum diabolus in Cana Galileæ, ſed poſt humiliationem maximam in Jordane exhibitam, ubi Dei Filius in forma peccatoris apparuit lavacro indigi: *Tunc ductus eſt, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. v. 1. *Tunc*, quando impleta omni juſtificatione videtur aquis baptiſmi conciliâſſe innocentiam. *Tunc*, quando tam ſanctus apparuit, ut meruerit à

Patre

Patre æterno dici Filius ejus dilectus. *Tunc* ergo pugnam cum dæmone ſuſcipere debuit, quando totius perfectionis culmen ſeſe attigiſſe oſtendit. Hinc Tertullianus de baptiſmo. *Ipſum Dominum poſt lavacrum ſtatim tentationes circumſteterunt quadraginta dierum jejuniis functum.* Id confirmat David in perſona Chriſti loqui ſic auditus: *dixi: Deus meus es tu.* Pſal. 40 v. 16. Sed poſt hanc glorioſam, & perfectionis plenam conteſtationem illicò ſubjungit: *Eripe me de manu inimicorum meorum.* ibid. Nempe ubi plus virtutis, ibi etiam plus contrarietatis. Vix Regius Pſaltes amoris deliquiis inhæſerat: *Defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.* Pſal 68. v. 4. quando addit: *multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui odio habuerunt me gratis.* v. 5. Illuc citiùs advolant tenebrarum principes, ubi magis vident ſplendere pietatem. Vix Deus Jobum velut virum æqui, rectíque amantem laudat, & ocyùs Satan licentiam in eum inſurgendi ſollicitat: *ſed extende paululum manum tuam.* Job. 1. v. 11. Victor de quatuor Regibus evadit Abraham, & tunc primùm velut ingrueret ex victoria timoris cauſa ipſum confortat Deus. *Noli timere, ego protector tuus ſum.* Gen. 15. v. 1. Videtur ſic animari meliùs potuiſſe Patriarcha ille ante pugnam, ſed haud quaquam, quia maximum à dæmone periculum incumbit poſt relatam palmam.

486. Nunquam magis timendum, quàm poſt virtutis exercitium. Epithalamii ſponſa etiam tunc, quando ſeraphicis amoribus jam exarſit in illum, quem diligit anima ejus, fatetur, neſcire ſe, ubi illum invenire debeat. Hinc anxia ipſum inclamat: *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Cant. 1. v. 7. Hinc dilectus eam monet: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Cant. 8. v. 6. Imò etiam ſuper brachium tuum, ut ſcilicet duplici ſcuto armaretur. Et cur? *quia fortis eſt ùt mors dilectio.* ibid. qui enim multùm amat, multùm habet, quod timeat, & accinctus jam eſt præliis, qui magnis abundat virtutibus. Id utique ipſa intellexit ſponſa, quando ſubin dixit: *Ego murus, & ubera mea quaſi turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens.* ibid. v. 10. Sed ſi pace fruitur, cur expetit arma, cur de mœnibus, & turribus cogitat? hoc ipſo de hiſce habenda ſolicitudo, quia quò firmiùs quis pacem ſtabiliît cum Deo, eò validiùs impetitur ab orco. Immò non dicit ſe reperiſſe pacem, ſed *quaſi pacem.* Non enim eſt tellus hæc regio pacis, ſed conflictûs: armiſtitium dici poterit, pax conſtans eſſe haud poterit. Etiam anima contemplatione rerum cœleſtium penitùs abſorpta, atque per Rachelem indicata, pediſſequam habebit Balam ſeu turbationem, quam ipſe parens Labanus dederat: *Cui Pater ſervam Balam tradiderat.* Gen. 29. v. 29. Jacobo adhuc in via perfectionis Novitio per otium ſe videndum in ſcala præbet Deus. *vidítque in ſomnis ſcalam.* Gen. 28. v. 12. verùm ubi jam virtute factus eſt robu-

robuſtior, tota nocte manum cum Angelo conſerere debet. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè.* Gen. 32. v. 24. Vix Evangeliſta Lucas Chriſtum vocat plenum Spiritu Sancto, cùm ſubnectit tentationi fuiſſe expoſitum. *Et agebatur in ſpiritu in deſerto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo.* Luc. 4. v. 2. Nempe qui eo ſpiritu divino refertus eſt, à ſpiritu maligno quàm plurimas referat palmas neceſſe eſt. Si virtutis candor floret, non deerunt ſpinæ tentationum, quæ pungant. In hac vita hominem vitæ integritati quàm maximè addictum eſſe oportet, *ſicut lilium inter ſpinas.* Cant. 2. v. 1. Addit Iſaias: *In cubilibus, in quibus priùs habitabant draeones, orietur viror calami, & junci.* cap. 35. v. 7. timebat dæmon, ne ibi floreret lilium, & ſerpentes appoſuit, qui veneno omnia inficerent; quia ubi futuram magnam ſanctitatem auguratur callidiſſimus hic hoſtis, ibi virulento ſuo halitu omnia inficere conatur. In corde Magdalenæ ſeptem omninò dæmonia nidulabantur, totidem enim ab ea ſubin exiverant teſte divo Luca. cap. 8. v. 2. Nimirum in ſancta hac pœnitente virere debebat immortalis Phœnicis inſtar amor Divinus. Valori reſpondet pugna, ventíque eo validiùs inflant carbaſa, quo fortiùs iſta reſiſtunt.

Idea XCIV.

Tentatio, quam ſolùm pateris, nil nocet, niſi ſimul appetis.

487. NEutiquam opponitur tentationi filiatio Dei. Quem filium ſuum dixit æternus Pater in ſolitudinem miſit, ut eum tentatio apprehenderet. *Tunc ductus eſt in deſertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4. v. 1. adjungit ſanctus Paulus: Servatorem noſtrum *tentatum per omnia pro ſimilitudine, ſed absque peccato.* Hebr. 4. v. 15. Nil proin metuenda tentatio, quam inviti patimur, ſeu præter voluntatem noſtram. Nemo de illa ſit anxius, quam, licèt ſentiat, eidem tamen non conſentit. Quod affligit, non delectat, nec vina nocent, quæ non ſapiunt. Omnis inferni rabies in diſcipulis Chriſti ſe ſe effuderat. *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Luc. 22 v. 31. En quid evincat tentatio, & auctor ejus? granum purgat à lolio, & palea! ſuccutiet te, ſed & mundabit. Si pati nôris, nec abjicieris, ùt pulvis terræ, nec ùt palea ardebis, ſed

sed evades olim frumentum electorum. Qui cribrari recusat, mundari non amat, & tamen certum est., nihil coinquinatum intrare posse in regnum cœlorum. Jesus utut *flos campi* fieri voluit granum tritici, ut scilicet nobis per omnia fieret similis, non solũ cribrari, sed & mori voluit, ut multum fructum ferret. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet.* Joan. 12. v. 24. Nobiscum ille est, dum Satan nos impetit. *Cum ipso sum in tribulatione.* Psal. 90. v. 15. Quis societate tam optata munitus tentationem formidet? *funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus*, dicit David Psal. 118. v. 61. Etiam scopulos arietant maris fluctus, illi tamen immobiles rident cassos impetus. Nil terribilius & ignominiæ plenius, ac filii Dei crux probrosissima, nihil tamen in Ecclesia Dei majori gloria excipitur cruce Domini: nam ipse latriæ cultus eidem exhibetur soli Deo debitus. Tantum honoris illi ligno obvenit, quod invitum servire debuit in mortem Filii Dei. En ipsæ blasphemiæ, desperabunda consilia, cogitata turpissima nolentem te identidem exagitant, si ea pateris, lucro tibi non damno fuisse intueberis. Captivum se gemebat sub lege peccati Doctor gentium, sed cum mente condelectaretur legi Dei, sibi à Deo dici audivit, *virtus in infirmitate perficitur.* 2 Cor. 12. v. 9. quidquid moliatur inferioris hominis rebellio, si intra rectæ rationis limites incedat tui melior pars, superior homo, securus esto, *super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psal. 90. v. 13. Tentationem hanc vel illam, quam leonis instar formidas, ne te devoret, si generosè contemnendo calcas, favum mellis in victoria, ut olim Samson reportas. De monte sponsam suam vocat dilectus: *Veni de Libano, veni*: & ad quid? horrorem incutit vel id audire: *de cubilibus leonum, de montibus Pardorum*! Quid sponsæ tenellæ cum ferocissimis his belluis? confligere cum iis debet, ac victoriæ coronam referre; *veni coronaberis.* Cant. 4. v. 8. sed unde tantum robur in manu tam debili? à sponso illam confirmante. Adstat, qui ad prælium vocat, ad se venire jubet, ut propiùs succurrat. Hebræus legit loco *veni*, *mecum venies*, hoc duce certus est triumphus, ipsæ pugnarum aleæ ipsissimæ sunt laureæ. Nil nocet virus, quod propinat Babylonica meretrix, calicem suum offerre potest, ut bibas, vim inferre non potest. Nisi ipse cordis abdita pandas, quidcunque efficiat, nunquam inficiet.

Nemo tentationem metuat, quæ 488.
non vocata venit; illam timeamus, quam spontè advocamus. Christus in desertum secessit, non ut ipse tentationi obviaret. Ipse illuc se contulit, ut se jejunio, ut precibus daret totum. Tentator fuit, qui Christum pietatis operibus litantem invasit: *Accedens tentator*, non ipse istum accersit, quare ergo non vinceret, qui ita compa-

comparatus certamen ſubiret. Qui ſe duci ſinit à ſpiritu, ut tentetur à diabolo, non habet, cur timeat, quia Deus faciet cum tentatione proventum, quam ille vel immiſit, vel permiſit, non homo temerariè in illam ſe induxit. Hinc ter jam confuſus Chriſtum vincentem reliquit diabolus, vel, ùt ſanctus Lucas dicit: *receſſit ab illo.* cap. 4. v. 13. David adhuc teneræ ætatis, & juvenis, gigantem ſtravit, & de carnea mole triumphum egit, non tam ſuo valore, quàm adverſarii temeritate. Quotidie monſtrum illud hominis in arenam deſcendebat provocans inter blasphemias Iſraëlem, ipſe diſcrimen ſibi quærebat, & invenit, funda, & lapis arrogantiam dejecit, ſpontè ſua in præcipitium ruentem. Sed ipſe etiam monſtrorum domitor, & gigantum devictor David poſt multos triumphos ad unum mulieris aſpectum corruit. Quia videlicet hic ipſe periculum adiit, ubi aliàs pericula non volenti advenêre. Nec dicere ſufficit; quòd Bethſabee ceſſerit, quam de Golia retulit, palmam; quia gigante fortior eſt mulier formoſa; non, inquam, hoc ſufficit, cùm enim triumphans ab incircumciſo Philiſtæo rediret, in occurſum ejus integri puellarum chori Jeroſolymis proceſsêre, & has inter forte ea ipſa blando ore plaudebat victori, quæ olim Regem proſtravit. Nihilominus David in flore juventæ, inter acclamantium ſirenum voces hoſtilibus ſpoliis ſuperbus ſibi ipſi conſtitit, qui ſubin ætate & virtute maturus in unius etiam procul viſæ aſpectu indecorè captus eſt: tum omnium inſidias evitat, quando eum triumphantem pugilem catervatim adoriuntur; cùm una nec ſciens, nec volens in incauti oculos incurrit, illicò deprædatur animam ejus. Nimirum ibi tentatio apprehendit eum: *Egreſſæ ſunt in occurſum mulieres.* 2. Reg. 18. v. 6. Hic ipſe David ſponte ſua diſcrimen ſubit: *vidit, miſit, & requiſivit, & miſſis nunciis tulit eam.* 2. Reg 11. v. 2. & 3. Idcircò primo conflictu victor evaſit, ſecundô victus. Nullus trium puerorum, qui Babylone miſſi ſunt in caminum ignis, flammæ ſenſêre ardorem, ſed qui curioſitate ducti acceſſere propiùs, iſtos papilionum inſtar rogus abſumpſit. *Et incendit, quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.* Dan. 3. v. 48. Quantumvis ferox ſit leo Samſonem in via aggreſſus, triumphum augebit & dulcedinem victoriæ: ſed qui immanis belluæ in ſe inſurgentis rictum compreſſit, opprobrium fit inimicorum ſuorum, cum temerariè ſe in ſinum Dalilæ conjicit. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſtiim, ſtatim eruerunt oculos ejus.* Judic. 16. v. 21. Dæmon quando hominem devorare intendit, *inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.* Pſ 9. v. 9. Si accedis, cibus illius eris, ſi fugis, poſt te incaſsùm rugiet. Culpa quæ te aggreditur, præmiat, non premit, quam tu provocas, opprimit.

Joſephus Ægyptius formoſus, & captivus impudicæ dominæ ſuæ & blanditias, & minas devicit. Quod certamen aleæ plenius! adoleſcens ad flagitium 489.

flagitium provocatus, imò tractus vincit, fugit, pallium relinquit in alienis brachiis, ut suis manicas inducat! arduum prælium! certa tamen juveni casto victoria, qui ad certamen non descendit, sed pugnam ultrò abjects spoliis declinat, *qui relicto in manu ejus pallio fugit.* Gen. 39. v. 12. Vice versa Princeps Apostolorum, cùm temere domum ingreditur, quam de negationis periculo monitus vitare debuerat, ad unam mulierculæ vocem sternitur, licèt lapsum suum à Jesu adhuc benevolè ipsum respiciente conversus paulò post deploret: *Egressus foras flevit amarè.* Matth. 26. v. 75. sed cur in atrio non fundit lachrymas, ubi oculis pietatis à Magistro fuerat respectus? *foras* tendit Petrus, elongari vult fugiens, à loco, ubi periit, plus nocumenti timet ab occasione præsenti, quàm auxilii ab intuitione Magistri. Quando procul à lapsûs periculo integræ cohortes invadent Dominum, tunc animi plenus arrepto gladio in ejus defensionem stabit Petrus, si verò ipse in locum discriminis se sponte inducat, ad unius ancillæ vocem exanimis corruet. Conferamus in hoc suo certamine Petrum Moysi. Petrus jam vir ab ipso Dei filio ad prælia Domini prælianda instructus. Moyses paucorum annorum juvenis inter aulæ impiæ educatus licentiam. Petrus mille virtutum exemplis roboratus in via perfectionis. Moyses inter mille scandala improbitatis, & idololatriæ. Jam verò Petrus ad vocem ostiariæ trepidat: & *accessit ad eum una ancilla.* Matth. 26. v. 69. Moyses omnibus illiciis, & minis fæminæ principis, & Regiæ prolis in os restitit: *negavit se esse filium filiæ Pharaonis.* Hebr. 11. v. 24. Petrus negat Magistrum, ac Dominum suum, ne levamen relinqueret calefactionis nonnihil frigidiuscula tempestate. Moyses ignominiam generis sui, seu notam filiorum Dei prætulit omnibus thesauris, & deliciis regni. Moyses denique, ne fidem amitteret, imperium spernit, & Petrus pro re nihili excidit fide, & Deum suum nôsse se pejerat. Unde tam dispar & pugnæ, & pugilum exitus? quia nempe Moyses invitus, vel saltem non suapte sponte delatus est in curiam, sicque nil nocuêre pericula corruptæ aulæ maxima. Petrus turpissimè labitur in domo Caiphæ, quam ille liberè erat ingressus, ex libidine sua heri nequam servis nequioribus se jungens, & ad focum considens cum iniquis, qui in concilio justorum seu Apostolorum stare debebat. Tam facilè vincitur tentatio, quæ nos aggreditur, tam propudiosè illi succumbimus, quam ultrò accersimus. Dum Dina Patris lateri insistit, etiam inter idololatras culpæ vivit innocua, vix tentorio paterno *egressa est Dina, ut videret mulieres regionis illius* nimirùm Sichemitas. Gen. 34. v. 1. Et ocyùs naufragium facit pudoris. Duæ meretriculæ, cùm Salomonem pro tribunali sedentem adeunt, omnibus suis technis pervertere non valent sapientissimi Regis præcordia, quò minùs judicet

rectum judicium. 3 Reg. 28 Et inter Reginas, & concubinas suas, quas ipse sibi elegit Salomon fit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: *Depravatum est cor ejus per mulieres.* 3. Reg. 11. v. 4. David capitali suo hosti Sauli ignoscit, quando hic se eidem in spelunca sistit, & fidissimum militem suum Uriam, quem ipse è castris avocat, filium mortis ad Joabum remittit. Quantum valoris, ac constantiæ Regius hic Vates ostendit in Psalm. 26. dum dicit: *si consistant adversus me castra, non timebit cor meum: si exsurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo.* v. 5. & 6. Videtur provocatio inimicorum, haud tamen est; timoris contemptum David præsefert, spem firmam in Dei opem sibi pollicetur, non quando ipse in hostes suos moveat, sed quando hi adversus ipsum procedant: hinc dicit, *si consistant adversus me castra, si exsurgat adversus me prælium.* Non leones, neque ursos ex spelæis suis evocabat ovium adhuc Pastor, sed si belluæ ipsæ veniebant, & tollebant arietem de medio gregis percutiebat eos, prædámq; eruebat audacter de ore ipsorum & si consurgebant illæ adversus intrepidum hunc pastorem, ille apprehendebat mentum earum, & suffocans interimebat.

490. Tentatio, juxta effatum Spiritûs sancti, est ejusdem qualitatis pix, quæ non maculat, si nos tangat, maculam verò aspergat, si tangatur à nobis: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccles. 13. v. 1. Est sicut ignis, qui cominùs stantem adurit, eminùs positum illuminat. Est instar Basiliści, qui, ùt scribunt Mythiologi, visus occidit, non visus occiditur. Laqueus est, qui non detinet, nisi ei pedem inseras. Mare est furens, quod dum arenas convolvit, iras despumat, minarum montes fluctibus crispatis ciet, tellus ejus furores ridet littus non transgressuros. Ne timeas *non accedet ad te malum.* Psalm. 90. v. 10, nisi tu malo propinques. Formica radici arboris insidens nil formidat cete, horrorem navigii oceanum sulcantis. Cancer in rivuli fundo positus rugientis Leonis rabiem flocci pendet. Sic procul à Jove procul à fulmine. Si Filii Israël spontè sua in Ægyptum descendant, séque duro Pharaonis regimini submittant, quid mirum, si mancipiorum flagellis excipiantur, fugiant crudeles terras, & neque omnes Ægyptii in ipsos prævalebunt. Exspectasis homo, ut pericula te invadant, noli iis temerè obviam procedere. Iter agebat cum tota sua familia Jacob, ovium & aliarum pecudum gregibus dives: cùm audit sibi obviare Esau valida suorum stipatum manu, extimuit Patriarcha feræ gnarus fratris indolis: cœlum in tanto periculo inclamat, ad Deum confugit, sed an mentionem facit bonitatis, misericordiæ, Potentiæ, & providentiæ Divinæ, ut sic Dominum moveat, ad opem ferendam? nihil minùs; licèt enim ista prodesse possent, nil validius censuit, quod Deum in suas partes traheret,

traheret, quàm innuere jussu ipsius Dei expositum se fuisse præsentaneo discrimini. *Domine*, inquit, *qui dixisti mihi, revertere in domum tuam.* Gen. 22. v. 9. In verbo tuo mi Deus redituiad patrios lares me accinxi, tuo jussu viam hanc cum meis carpsi, tuum jam est me porrò tueri, ut sine noxa revertar ad propria. Et verò ita protexit Deus Jacob servum suum, ut inimicis ad latus hærentibus somnum metu liber capere potuerit. In navi velis, & remis instructa fluctuat, & naufragium patitur Jonas, à facie Domini fugiens in Tharsis, projectus autem à Divina providentia in medios maris fluctus tutam inter spumantis elementi furores navigationem experitur: *Et præparavit Dominus piscem grandem.* Joan 2. v. 1. Divinè Spiritus sanctus: *velut à facie colubri fuge peccata.* Eccles. 21. v. 2. Vide, ne serpentem hunc in tuam perniciem provoces, ne obtutus in eum figas, ne manus extendas, ut cædas, vel ferias; in sola fuga hìc salus, fuge, & vinces. Gedeon in animum induxerat, *ut fugeret Madian.* Judic. 6. v. 11. Et vocat illum Angelus Domini: *virorum fortissime.* v. 12. Ipsúmque certum reddit, quòd in hoc robore à fuga ipsi addito victurus sit Madianitas, *vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian.* Liberavit, & documentum dedit, hîc in sola fuga esse victoriam.

Idea XCV.

Tentatio virtutem exercet, & perficit.

491. GLoriarum plenus in Thabore Petrus lætitias suas pro modulo celebrat. Cùm ecce nubes illum suscipit, unà cum binario fratrum Jacobo, & Joañe ac gaudia timore miscet: *& timuerunt intrantibus illis in nubem.* Luc. 9. v. 34. Quid times Petre? ne fulmen aut grandinem hæc nubes effundat? nil timendum ubi tonitrua non reboant, sed è nubilo voces dulcisonæ aures mulcent: *Et vox facta est de nube dicens: hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* v. 35. En hìc quàm nulla timoris causa, ubi omnis vis tempestatis in solatium abiit! O quot horrores somniant, dum ingruunt dulcedines! quoties vox è cœlo insonans opacas tristitiæ dissipat nubes! discipuli mærore oppressi ex absentia Christi conflictari se credunt cum spectris, *putaverunt phantasma esse.* Marc. 6. v. 49. Et illicò Magistrum sibi suave loquentem audiunt: *Ego sum, nolite timere.* v. 50. Et tranquillitas rediit mari, & pax animo. Potissimi Patrum sentiunt à bono Spiritu Christum in solitudinem fuisse

fuisse impulsum. *Ductus est à Spiritu in desertum.* Matth 4. v. 1. Sed cur ille in arenam descendit, cùm certam ibi prævidet pugnam? Nimirùm Servator in desertum secedit, ut ibi oret, jejunet, munere à Deo sibi demandato fungatur. Securus implere placitum Divinum, nil timet imminens sibi, ac prævisum cum antiquo serpente prælium. Generosè contemnit tentatoris accessum, ut nos doceat his terriculamentis non obstantibus implere sui patris jussum. Jam facies Christi resplenduit, ùt sol, jam nivis albedinem æmulabantur in Thabore glorificati vestes, sed vox Filii Dei ferens encomium non exauditur, nisi post nubem. Sive ergo ingruant nubes, quæ cœlum obnubant, quæ nimbos, & turbines intentent, parùm obnubilant, serenitatem tamen paulò post redituram portendunt. Etiam umbras creat cœli fortitudo, quæ roborat. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. v. 35. Et in medio obscuræ hujus nubis tonitru formatur, quò & ipsi nuncupemur filii tonitrui, *Vox facta est de nube.* Nubilo clarior splendescit phœbus, si solis instar luces, quæ te obtegere parent, nubes non deerunt. Istas ciebit potestas tenebrarum, splendores hos absorbere nitetur, sed confide, *cùm* te maligni insidiis *consumptum putaveris, orieris ùt lucifer.* Job. 11. v. 17.

492. Licèt mundus vel avernus in nos conjuret, nil hoc novi, dudum id cœpit, nunquam finiet. *Non dicatis conjuratio,* inquit Dominus apud Isaiam, *omnia enim, quæ loquitur populus iste, conjuratio est.* Monet tamen Deus *timorem ejus ne timeatis.* Cap. 8. v. 12. Si diceret: non metuatis ejus iras, ejus furores, & jacula, aliquid captu facile diceret, at quid innuere vult dicendo: *timorem ejus ne timeatis?* hoc, totam vim, & robur mundi, vel dæmonis in nos prævalentis esse metum nostrum, propriis, & non aliis armis nos impugnat, nostro timore nos aggreditur, si istùm ei eripimus, inermem contra nos reddemus. Minas potest spargere, damna nequit inferre; loqui potest, ferire non potest; omnia quæ loquitur, conjuratio est, verba sunt eáque ignorantiæ plena, quæ profert, præterea nihil. Lanceola chirurgica secat quidem cuspide sua in lingulæ formam effigiata phlebotomi venam, sed dum sanguinem elicit, morbum, ac mortem unà pellit. Cur ergò cor nostrum vano timore corripitur unius, aut alterius verbuli aculeati? voces sunt, quæ in te jactantur mundi tela, vanæ sunt sine viribus iræ: Morphei sunt ludibria, armorum, quibus te orcini, & mundani hostes impetunt, omnis apparatus. *Et erit,* inquit Isaias, *sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel.* Isai. cap. 29. v. 7. An non magna pusillanimitas, quòd vel ipsius somni moveamur terriculamentis? *ne timeas,* dicit Dominus ad Jeremiam: eccur sibi, & à quo Propheta timeat, an à gladio exterminatoris perambulantis in tenebris? an à gigante ad certamen provocante? an à leone,

ne, quem devoret, quærente? minimè, *ſed ne timeas à facie eorum.* cap. 1. v. 8. Itane animis opus, ut vultum alterius non reformides? hæc ſcilicet ſunt ridicula noſtri metûs, qui timet, ubi non erat timor. Nec tentatio, nec mundus, nec dæmon manus habet, quo nobis faciat malè, faciem habet, & hanc perverſam, ut pavorem afflet illis, qui ut dici ſolet, leporem ſinu geſtant. Omnia denique hujus vultus terriculamenta nihil ſunt, quàm oculorum ludibrium, quid ſpinas timet roſa, aut tribulos lilium? magis arridet ſponſa dilecto ſuo, quando eſt *ſicut lilium inter ſpinas.* Cant. 2. v. 2. In ipſo proſtibulo niveus candor Agnetis ſtat illæſus, & inter acutas roſas velut ſpinas magis floret virgineus Catharinæ pudor. Tentationes haud reputandæ ſunt tanquam leones rugientes, aſtutæ ſunt vulpeculæ, non tigrides: *capite mihi vulpes parvulas.* Cant. 2. v. 15. Animalcula ſunt, quibus ſternendis haud armis opus, ſola manu inermi ſubigi queunt. Aviculas experiebatur Abraham, quas fugare contentus mactare noluit: *abigebat eas.* Gen. 15. v. 12. Novitii eſt ſignum ſpiritus, volucris, aut vulpis metu tangi. De juſto dicit David: *cadent à latere tuo mille, & decem millia â dextris tuis.* Pſal. 90. v. 7. ipſe Regius Vates tam procul abeſt à meticuloſo vultu, ut adverſarios ſuos contemptu potiùs, quàm prælio vincat. *Dum Saul, & viri ejus in modum coronæ cingebant David.* 1. Reg. 22. v. 26. iſte tamen nec conſerta manu dilabi videt inimicos ſuos, Philiſtinorum adventantium nuncio aliò vocatos.

Cùm Servator jejunia producit, verba ad populum facit, varias ægritudines ſanat, ſe ipſum hominibus in cibum & potum, animámque ſuam ex ara crucis pendens in litrum offert, nec unus adeſt Angelus, qui eidem in Salvatoris munere tam indefeſſè laboranti miniſterium vel leviſſimum impendat. Vix tentatur, reſiſtit, tentatorem victum loco cedere cogit, *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Matth. 4. v. 11. Mons Calvariæ ubi Chriſtus conſummavit opus redemptionis, & vel maximè ſe oſtendit Pontificem *tentatum per omnia.* Hebr. 4. v. 15. longè majorem illi gloriam peperit, ac Thaboræus, in quo transfigurationis ſplendores apparuêre: in primo enim, non in ſecundo factus eſt Jeſus, ſeu hominum Salvator: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Philipp. 2. v. 9. Ita prodeſt tentatio, ita è tenebris opus eſt adlucem emergere, *ut fiat veſpere, & manè dies unus.* Gen. 1. v. 5. Pugnandum eſt, ut coroneris, mori oportet grani inſtar triticei, ut in copioſos fructus renaſcâre, calcandæ ſunt ſpinæ, quò florem apprehendas. Prælis indigent vineta, ut iis compreſſi botri vinum fundant. Certè in vinea cæleſti ejusmodi non deeſſe aſſerit Chriſtus, cùm de vineæ Domino dixit: *ſodit in ea torcular.* Matth. 21. v. 33. Attendeſis, ſi calcari patienter feras, 493.

dabis falernum, sin minùs, inglorius putrefces. Omnes nascimur pleni malis: *Homo natus de muliere repletur multis miseriis.* Job. 14. v. 1. Necesse est aliquo torculari premi tam copiosam calamitatem, licèt etiam inter lacrymas inde aliquid exprimatur, olim id meminisse erit volupe. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & magnas?* dicebat Propheta regius. Sed statim addit: *vivificâsti me.* Psal. 70. v. 22. Hinc enim animi vita novos haurit succos. Non in solo candore pulchritudo micat, in nigredine quoque placet oculis: *nigra sum*, dicebat Epithalamii sponsa, *sed formosa*, elegantior est illa formositas, quæ inde ortum habet, unde deformari poterat. Fœdiorum tentationum obscuritas non rarò indicium est perfectionis majoris. Stimulus carnis, qui datus est Paulo, ad virtutis apicem, imò ad tertium cœlum hominem evexit. Solis & ignis ardoribus aurum excoquitur, non radio lucis. Bonum est pardis, & leonibus scandere montem tentationis; nam quantumcunque tremant, coronam nobis texent. *Veni coronaberis.* Cant. 4. v. 8. Serpentes hi, qui sibilant, ut venenum affient, quantumvis ringantur, argenteis & auratis donis te cumulant. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Cant. 1. v. 10. probèque notandum, sponsam ex monte leonum, quos devicit, tam pulchram descendere, ut dilectus fateatur, *Vulnerâsti cor meum, soror mea, in uno crine colli tui.* Cant. 4. v. 9. Opacæ nubis elegans filia iris est, uti spinarum rosa. Tempestates pacis iride turgent, non minùs ac tonitruis, & fulminibus. Arcum spera, quem posuit in nubibus Deus, æternæ quietis symbolum, si tentationum nubes generosè transieris. Carcer, & catenæ Josepho peperêre diadema, & nunquam Bethulia gloriata esset tanto Assyriorum triumpho, nisi urbem ad extrema redegisset Holofernes. Felicem præstitit infelicitas, & quæ inter urbes Israël primò tot arctata est angustiis, inter reliquas prima tantis exultavit lætitiis. Flent venti post cataclismum Noëticum, flatus hi non minas, sed merissimas spirant Dei misericordias. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Gen. 8. v. 1. Quis crederet solis occasum fuisse Abrahamo cœlestis flammæ, quæ sacrificium incendit, ac Deo acceptabile ostendit, lætissimum nuncium? ita tamen fuisse colligitur ex Gen. 15. *Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans.* Ibid. v. 17. Si Deus Patriarchæ se vult propitium ostendere, & fœdus cum ipso inire, quid occasu solis opus? si splendidus ignis subin exoriturus erat, quid præcedere debent densæ tenebræ, & caliginosæ nubes? ùt videlicet intell geremus è tentatione & tribulatione enasci pacem, uti ex fumo ignis, & è flamma lux. De Deo asseruit David: *qui producit ventos de thesauris suis.* Ps. 34. v. 7. ventos scilicet tribulationum. Hi, qui mare convolvunt procellis, terræ minantur excidia,

dia, oriuntur è thesauris Dei, & quid ferent nisi gazas liberalitatis Divinæ: sine, hi venti largè aspirent, ipsam afflabunt felicitatem. Expansis in tentatione brachiis coronam accipe, in tribulatione proventum, in vento thesauros, in luto stellas, in spinis rosas, in tenebris diem, in lacrymis gaudium, in arenis gemmas, in conflictu triumphum, in tempestate portum.

494. De nocte dixisse videtur Doctor gentium, quod transierit, de die, quòd advenerit. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Rom. 13. v. 12. Sed non ita dixit, majorem habent Paulina verba Energiam. Nempe dicere voluit, noctem præcessisse quasi dispositionem, ut nasceretur dies, veluti lux ex aurora. Ita hujus mundi tenebræ dispositio sunt ad diem beatæ æternitatis, ut per eas transeamus ad illum, qui lucem inhabitat inaccessibilem. Promisit Deus justo genios tutelares, ut his ducibus inter Ægypti caliginem tutò incedat. *Angelis suis mandavit de te.* Psal. 90. v. 11. quàm facile erit hoc iter, quàm floridum, quàm molle, rosis & plumis Angelorum constratum! nihil minus: *super aspidem & basiliscum ambulabis.* v. 13. Conculcandi hìc leones, & dracones. Hac incedendum ducibus Angelis, quibus de te mandavit Deus, ut custodiant te in viis tuis. Sic enim tutiùs incedetur, si quàm cautissimè eatur. Dracones calcet, super basiliscos & aspides ambulet, & ope Dei rosas inveniet, atque cum Jobo dicere poterit: *cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.* cap. 17. v. 11. cogitata ea, & phantasmata, quæ præcordia, atque mentem jam exagitant, olim ea ipsa erunt, de quibus dici jure queat, *noctem verterunt in diem.* ibid. v. 12. Figura tentationis propria desertum est, ubi solitudo affligit, spinæ pungunt, feræ, si non devorant, jugem metum incutiunt; & tamen inde etiam voluptatem hauriri testis est illa, de qua Canticorum 6. v. 5. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Eadem ipsa asserit, quòd caput inclinando manui sinistræ dilecti sui tribulationes immittentis, illicò dextræ amplexus, seu res secundas tulerit. *Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Cant. 8. v. 3. Christo quoque desertum vertitur in cœlum, conflictus in triumphum, jejunium in delectamentum, dæmon unus, qui tentavit, in mille Angelos, qui de satana relatas victorias gratulantur, ac eidem ministrant. *Reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Matth. 4. v. 11. Clarum est plùs Isaacum valuisse in oculis Dei, quàm victimam ejus locò ab Abrahamo in sacrificium Domino oblatam; placuit tamen ipsa quoque, statim ac in spinis hærere illam conspicatus est: *vidit post tergum arietem inter vepres; quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. v. 13. Nempe etiam hircus in spineto æquivalere potest Isaaco lectissimo Abrahami Filio. Non tanti æstimare-

tur cœleſtis exercitûs Dux Michaël, niſi pedibus ſuis ſubſtratum haberet totum avernalis draconis robur. Caput Goliathi cruentum è ſiniſtra victoris pendens, ex milite Davidem fecit, qui aliàs inter gregarios incedens nihil ſuprà cæteros emineret. Ictus calybis in ſpecie non tam feriunt, quàm illuminant, non lacrymas, ſed lucis ſcintillas excutiunt. Ferrum quod telluris ſecat viſcera, eam excolit, nil damni infert, ſed refectis ſoliis, terræ flores, ac fructus promovet. Neceſſe eſt vel ſole, vel pluviis carere, Deus enim ita diſpoſuit, ut cœlum nubibus obducatur, quo tellus aquas obtineat ſublunares. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.* Pſ. 146. v. 8. Dum Phœbus plenis radiis faciem ſuam exerit, campi, & agri irriguo hoc ſuperno deſtituentur. Regius vates juſtum monet, ut ſi in hac vita haurire velit cæleſtes aquas, hauriat de torrente, non de flumine. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Pſal. 109 v. 8. torrens enim haud durat ùt fluvius, & in his terris ſolatia hauriri nequeunt, niſi per tranſennam. Torrens etiam nunquam decurrit, niſi prævia tempeſtate, hanc patienter ferre oportet, qui aliquando ad coronas nunquam perituras volunt extollere caput.

Idea XCVI.

Quando dæmon acriùs tentat, Deus validiùs aſſiſtit.

495. NUnquam pedem movit Dei Filius, quin duceretur à Spiritu. Eccur tunc ſpecialiter id annotatur, cùm in deſertum ſecedit, ut à Spiritu tentaretur? *Ductus eſt à Spiritu.* Matth. 4. v. 1. Ut nempe intelligeremus, Deum licèt ſemper omnibus, & ſingulis aſſiſtentem, nunquam magis adeſſe, quam ubi à nequam Spiritu exagitamur. Ter Jeſus tentari ſe eſt paſſus, & totidem vicibus reſponſi loco nomen ſanctum Dei protulit. Jugiter quidem Verbum hoc æternum Patris erat Deo plenum, non tamen ſemper Deum loquebatur, qui vel de Deo, vel pro Deo nunquam non ſermonem ingerebat. Tentatus tamen Deum ipſum ore ferebat, quia tunc ſingillatim Deus erat cum ipſo. Licèt afflicta ſit, & amaritudine plena Canticorum ſponſa, in medio tamen ſui dilectum inveniet. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. v. 12. Moyſes non in

in aulæ deliciis, sed in rubi ardentis spinis Dominum reperit, & quidem populi sui tactum commiseratione. *Et sciens dolorem ejus descendi, ut liberem eum.* Exod. 3. v. 8. Intuentur se flammis undique cinctos tres pueri Hebræorum in fornace Babylonica, & mirantur nec hilum ab ignis ardore læsos. Sed Rex vidit quartum cum ipsis inter incendia ambulare, cujus imago Divinum quid spirabat. *Et species quarti similis filio Dei.* Dan. 3. v. 92. Clarum est, eum, qui tribulatis assistit, vel esse, vel videri debere Deum. Hic est teste Jobo, *qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus maris.* Jobi. 9. v. 8. Si extendit cœlos, cur eos non calcet? si astra formavit, cur illa non perambulet? si solem fecit, cur istum non habeat scabellum pedum suorum? qui firmamentum cœli transire potest, cur graditur super instabilitatem maris? Quid mirum? fluctus procellarum sunt effectus, & navigantium tormentum maximum. Huc Deus pedem infert, nósque his undis jactatos comitatur jugiter. Istis jactationibus magis gaudet, quàm tranquillo itinere astrorum firmamenti. Plùs illi placent tentationum fluctus patienter tolerati, quàm stellæ ab ortu in occasum splendentes. Cælum relinquet in ipso cœlo, ut in tempestatibus humanis novum cælum inveniat. Hinc qui ab origine rerum assistentiam suam promisit justo, in amaritudine maris fluctuanti eam præstitit. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gen. 1. v. 2. super aquas, & fluctus maris graditur, ibique triumphat, ubi homo propter Deum variis tribulationibus agitatus sua legere debet trophæa. Ore Davidico non minùs de die, quàm de nocte, & de pugna æquè, ac victoria sibi gratulatur Dominus. *Tuus est dies, & tua est nox.* Psal. 73. v. 16. Paulus etiam non minùs de tentatione, quàm de suo in cœlum raptu velut Dei favore loquitur: *Datus est mihi stimulus carnis meæ.* 2. Cor. 12. v. 7. Patri gratus adscribit scyphum passionis suæ Christus. *Calicem, quem dedit mihi Pater.* Joan. 18. v. 11. hujus amoris plenam providentiam ipse etiam in proditorum Judæorum manibus adorabat. Tam propè est illi, qui patitur, manus Domini, ut etiam ferientis æmulari amet dextram.

Ita sanè *propè est Dominus iis, qui* 496.
tribulato sunt corde. Afflictam se gemebat sponsa solicitudinibus, agitatam timoribus, dubiis anxiam, solatia à dilecto petit, ejus vultum requirit. Ubique dolore, & amaritudine plena clamat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes.* Cant. 1. v. 7. Sponsus eidem gratificaturus reponit. *Si ignoras te.* Domine non hoc jam quærit sponsa, ut ignorantias suas corrigat, ut se ipsam agnoscere discat, te unum nôsse, ac coram videre cupit. Sed hoc ipsum dilectus repetit: *Si ignoras te, ô pulcherrima.* Te ipsam respice, utpote tribulatam, & me unà conspicies positum in tribulatione. Tunc pulcherrimam te prædico: quando afflictionibus repletam

undique ambio. Nimirùm ſpinis circumdari tentationum neceſſe eſt, ut ille adſit, qui de ſe dicit: *Ego flos campi*, vel ut Hebræi legunt: *ego Roſa campi*. Cant. 2. v. 1. Aliàs dolore cruciabatur amiſſi ſponſi: adjurat filias Jeruſalem, ut ſi invenerint eum, ſimul illi indicent, quia amore ipſa languet: à capita ad calcem dilectum ſuum deſcribit, pulchritudinem ejus, ac perfectiones debitis extollit encomiis: & ad hæc omnia ipſe tacet. Anxiè eum ubique quærit, & ille diſſimulat: in teneras querimonias ſponſa ſolvitur, & neque iſtis ſponſus movetur: aleam novam denique tentat, ſe non minùs adamatam, quàm amantem profitetur: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*. Cant. 6. v. 2. Et en paulò poſt ſibi adſtantem habet, & in laudes ſuas effuſum audit! *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora. v.* 3. Nempe tunc vel maximè præſentem Deum habemus, quando fatemur ab eo nos amari, quando vel longiſſimè abeſſe illum cenſemus. Pauci tamen capiunt verbum hoc, ut ſic à Deo relinqui beneficium putent. Illi potiùs tunc dulce inſonant: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, quando ſe procul diſtare à tentatione vident, ubi paululùm hæ propinquaverint, alium leſſum intonant, *quia amaritudine valde replevit me omnipotens*. Ruth. 1. v. 20. Apoſtoli cùm ſe relictos in fluctibus à Domino tranſeunte viderent, *& volebat præterire eos, eum putaverunt phantaſma eſſe*. Marc. 6. v. 48. 49. Ita nos de re cenſemus, ſed malè & perperam cenſemus. Nunquàm Deus magis eſt nobis præſens, nunquàm ampli⁹ favet, quàm cùm nos videt vel maximè conflictari tentationum variis turbinibus. Dominus ille, cui thronus in Empyreo, de ſe dici voluit: *In circuitu ejus tempeſtas valida*. Pſal. 49. v. 2. ipſe autem ex ore ſuo pronunciat: *cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Pſal. 90. v. 15. Sine præcurrat flamma adverſitatis, erit hæc velut aurora prænuncia ſolis, & eò certiùs diſſipabit adverſarios tuos Deus. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Pſalm. 96. v. 3. Non in tua, ſed ſibi adverſantium damna hæc incendia exardeſcunt. Aquæ proin intumeſcant, in altum aſſurgant, tempeſtas hæc non demerget nos, quia in his noſtræ naviculæ jactationibus ut ut dormire videatur, ad clavum tamen ſedentem habemus illum, cui obediunt venti, & mare, *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt*. Pſal 76. v. 15. illæ timore percelluntur, cùm in Dominum ſuum inſurgere videntur, nihil eſt cur nos terreamur, quippe manu tam potenti ubique protecti.

Hoc ſcilicèt ingenium Dei, favere, 497.
quando affligit, & delicias parare, cùm flagellum intentat. Bellè David ajebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Pſalm. 37. v. 1. Ita Domine, in flagella paratus ſum miſericordiæ tuæ, ſed timeo iras furoris tui! At unde hic Jeſſæi Regis metus? *quoniam* inquit *ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*. ibid.

v. 2.

v. 2. Sed quid porrò timendum restat, ubi jam est excussa telorum pharetra? timor supersit furoris, iræ adhuc metuendæ, sed quid sagittæ hæ? misericordiæ sunt, amoris Dei dulcia sunt jacula: non mactant, sed sanant, unguenta magis sunt, quam vulnera; illicò enim addit: *& confirmâsti super me manum tuam*, ibid. tela sunt suavi manûs Divinæ impulsu vibrata, & licèt non nihil feriant, benigna tamen projicientis manus illicò curat, quia quocunque vibretur telum, sequitur medentis brachium. Non enim est Deus sicut homo, qui solùm ferit, & non sanat, manum iste retrahit, ubi ictum inflixit. Quocunque excelsi sagittæ pertingunt, benevolæ se se Dei manus extendunt, ut & vini acrimoniam postliminiò extergant, & oleum clementiæ liberaliùs affundant. Cor verè pusillanime, si plagas hasce tam dulces formides! si hæc declines amoris spicula! An plura exspectas, quàm præsentaneam Medici tam excellentis manum? ipsa labia vulneri applicabit, & quam concipere in ipsum debes, spei majora argumenta dabit. Vidit Joannes mitissimum hunc sagittarium, sed mirabiliter ferientem vidit: *Et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. v. 16. quis unquam vidit quempiam ore stringere macheram, ut feriat? in hominibus fors nullus unquam id vidit, in Jesu id vidit dilectus Joannes. Nempe uti nemo ad osculum pacis admittitur, nisi gladium tribulationis transierit, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Act. 14. v. 21. ita neque Deus aliquem ense ferit, quem amat, quin illicò vulnus suo ore lambat. Hem amoris Divini in suis jaculis dulcedinem!

Hinc autem oritur: magis tutum reddi, qui tentatur, quàm qui tentatione caret. Prior enim sollicitè Deum adjutorem requirit, alter negligit. Dum florentem videt lectum suum sponsa, haud multum dilecti sui est sollicita. Tota cura in id impenditur, ut quàm maximè bonis præsentibus delectetur. *Lectulus*, inquit, *noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Cant. 1. v. 7. Sed ubi disparuêre flores, ubi lætitiæ Phæbus occubuit, nihil magis inquirit, quàm sponsum suum: *Per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* Cant. 3. v 1. Cùm ipse deliciis affluentem inclamat, *aperi mihi.* Cant. 5. v. 2. Ingratam suis invenit favoribus. At ubi manus suas vidit stillare myrrham, seu plenam se invenit amaritudine, illicò in occursum sponsi processit, *surrexi*, inquit, *ut aperiam.* Cant. 5. v. 5. Quot virtutes heroicæ trinam præcessêre Jesu tentationem! humilitas maxima in Jordane, secessus, solitudo, preces continuæ in deserto, & quadragenarium jejunium. Hæc omnia nobis innuunt, quid in hominibus faciat tentatio præsens, cùm eidem Christus omnia præsciens voluerit sic præludere absenti. *Tunc*, cùm omnia eâ completa erant, *ductus est, ut tentaretur.* Matth. 4. v. 1. Vel quia ubi ma- 498.

jor

jor sanctitas, ibi validior tentatio, vel ubi ista copiosior ingruat, illa fiet robustior. Mirabilia Deus apud Davidem promittit in favorem eorum, qui adversis premuntur: *cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum.* Ps. 90. v. 15. Quid sibi hæc intentatione dierum longitudo? an horas producit tribulatio? an in hoc horologio tempus suspenditur, & index horarum? ita videtur, & anni nobis apparent integri, pauci afflictionis dies. Sed hic non specialis Dei favor, sed nova tentatis foret dolendi materies. Quid ergò hæc longitudo indicat? hoc, tantam fore intra paucas horas tentationis palmarum, ac coronarum messem, quanta foret tempore pacis integris annis imò sæculis. Quæ enim jejunia, cilicinæ vestes, preces, lacrymæ occlusis Jani foribus apparent? vel omninò ejusmodi negliguntur, vel solùm tepidè fiunt. Ingruit tentatio, & omnia exercentur multifariam, ac fervidè. Longius iter frementibus ventis intra horulam emetitur navis, quàm diurno spatio, ubi incumbit malacia. Sic igitur dies replentur triumphis, quando hora advenit tribulationis. Ideò David, *bonum* inquit, *quia humiliâsti me.* Ps. 118. v. 71. Humilitas enim hæc magis ipsum erexit: ex tenebris noctis ortus est dies, ex conflictu victoria, ex præliis triumphi, ex brumæ pruinis flores, & veris amœnitas, quantum præstat tempestas malaciæ! Periclitantur discipuli in navicula Petri, & dormit Christus. Dum in horto Getsemani jamjam inimicis suis tradendus ipse vigilat, somno gravãtur illi. Cur ita! quia dum ipsi laborant in aquis validis, & periculi magnitudine terrentur, non est, cur angatur Christus: *ipse verò dormiebat.* Matth. 8. v. 24. Dormiat Magister, quia discipuli tunc sunt extra teli jactum, sed cum ipsi oculos in somnum declinant, dum sui securi Morpheo litant, vigilias agat Dominus, & sanguinem sudet, quia his omnibus erit opus. Sicque videbis in discrimine navis etiam Judam orantem, in somno verò horti Petrum, si nondum negantem, de relinquendo tamen Christo fors somniantem.

Domine, clamabat Regius vates extende tu dexteram tuam, ut ego consequar salutem meam, *Fiat manus tua, ut salvet me.* Ps. 118. v. 173. Et quæ tentatio Psalmistam premit? an rursus novus Goliath in prælia hominem provocat, vel alia Betsabea ad vetitos amplexus stimulat? minimè, nullus apparet hostis; sed idcircò majori indigere se videt Dei subsidio; salutem à Domino ideò petit, quia ipse totus erat in sectanda lege Domini: *Fiat*, inquit, *manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.* ibid. Innocentia, religio, mandatorum observantia, & vitæ undequaque probæ conceptum propositum, una est Davidi timoris causa. Hoc ipsum, quòd hostes omnes prostraverit, quòd nullum porrò videat, quem timere debeat, curas, & timores sancti pœnitentis auget. Ita nempe accidit, ut 499.

nunquam

nunquam tentationi sit propior homo, quàm dum maximè propinquat Deo. Ex discipulis capto Domino quà data porta dilapsis, de solo Petro dicitur: *sequebatur eum.* Matth. 26. v. 58. sed is etiam solus variis pulsatus tentationibus Christum negavit. Ut locutus est Deus, facta tranquillitas, *dixit, & stetit spiritus procellæ.* Psalm. 106. v. 25. Videtur nil porrò timendum, mare jam habemus nectaris: sed illusio est isthæc, illicò subjungit David: *Et exaltati sunt fluctus ejus.* Licèt enim steterit spiritus procellæ, licèt cessaverint venti, in se ipso habet, cur fluctuet mare. Multoties imò semper difficiliùs tueri innocentiam otio torpentem, quàm hostibus agitatam. Si venti adversitatum illam non turbant, ex se ipsa adveniet turbatio. Majori molimine amolimur mala, quæ intùs nascuntur, quàm quæ foris adveniunt. Dum Aquilo plantas, & arbores horti hymenæi succutit, omnia florent, universa gratos odores spirant. *Surge aquilo, veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata.* Cant. 4. v. 16. Sed cessantibus ventis sponsa illicò tepore languet, imò in utramque aurem dormit, neque porrò sponsi, aperiri sibi petentis, vocem exaudit. *Ego dormio, & cor meum vigilat; vox dilecti mei pulsantis.* Cant. 4. v. 2. Tempore belli florida apparet sponsa ista, ubi pax advenit, ingrata. Nullum de se fructum præter spinas producunt rubi, sed qui in Horeb ardet, & quidem incombustibilis, sinu suo ipsum Deum germinabit. *Apparuit Dominus de medio rubi.* Exod. 3. v. 2. Ne focum tentationis timeas, quantumvis ardeat, quo enim calidior, eò erit fœcundior, licèt fueris rubus sterilis, dum patiens sustineas, non solùm flores, sed ipsas Deitates produces. Vitam dabunt vulnera, si salutem quæsieris in infirmitate. Sine, te feriat ille, qui dicit: *amore langueo.*, ubi septuaginta legunt, *vulnerata charitate ego sum.* Cant. 2. v. 5. salus reddebat infirmam, & in infirmitate recepi salutem. *Salubrior*, inquit sanctus Gregorius in Ezechiel. Serm. 15. *fit anima ex vulnere sana, quæ priùs ægrotabat ex salute.* & paulò post addit sponsa: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* v. 6. en hìc vulneris fructum, Deus utraque manu favores suos in sponsam profundens. Notandum tamen, quòd, ut totum apud se Deum habeat, utraque sit ferenda manus, sinistra, quam sustineat ferientem, & dexteram, quam habeat remedia & munera dantem. Hinc Mellifluus Serm. 4. Nat. Dom. *In dextera delicia, in sinistra sunt medicinæ.* Quid timendum? ambæ sunt Dei manus. Si eam accipis, quæ dona parat, cur illam fugis, quæ tribulationem offert? *si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Job. 2. v. 10. etiam mala à Domino esse, ex ipso Jobo constat, nam licèt ea Satan intulerit, vir sanctus nihilominùs dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Cap. 1. v. 21. ambas has manus vocat sponsa tornatiles *aureas, & plenas hiacynthis.*

Cant. 14. S. Gregorius cap. 10. in Danielem locò *hiacynthi* legit *maris*. Amaritiem nempe maris non rarò propinat Dominus, ſed hoc ipſum auro conferri meretur, & hiacynthis. *Bonis mentibus*, dicit idem ſanctus Doctor, *fiunt proſpera etiam ipſa, quæ videbantur adverſa.* L. 14. Moral. cap. 23. Et quænam infelicitas nobis noceat, ſi ſecum nos ad Deum torrentis inſtar rapiat? confide, vadem ſe offert Regius Vates: *juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde.* Pſalm. 33. v. 19.

Idea XCVII.

Adverſa ducunt ad Deum.

500. *Accеſſit ad Jeſum Centurio.* Matth. 8. v. 6. & cujus rei ergò? *rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paraliticus, & malè torquetur.* ibid. Ad Deum venit, ſed poſtquam Deus antea ipſum ininviſit. Deus attulerat morbum, centurio petit remedium; Deus hominem convenerat, ut ferret hujus vitæ mala, ille ad Deum venit, ut iterum recuperaret bona. Sic etiam Chriſtum adiit *quidam de Archiſynagogis*, ut filiæ ſalutem impetraret. Marc. 5. v. 22. ſic regulus, cùm filius jam cum morte conflictaretur, *abiit ad eum, & rogabat.* Joan. 4. v. 47. Sic mater illa de filiæ ſalute ſolicita Chriſto obviam facta eſt: *Et ecce mulier Cananæa.* Matth. 15. v. 22. Hunc ipſum in finem *occurrerunt ei decem viri leproſi.* Luc. 17. v. 12. & hac etiam de cauſa *acceſſerunt ad eum turbæ multæ.* Matth. 15. v. 30. Quotquot denique ad Salvatorem venêre, ideò venére, ut in malis ſuis invenirent ſalutem. O mala, quot nobis procuratis bona, dum ad illum nos ducitis, qui eſt ſolus bonus! bona hujus mundi plerumque malos nos efficiunt, & idcircò quàm longiſſimè â Deo abducunt; mala verò hujus vitæ iterum ad Deum reducunt. Quot columbæ cum Noëtica arcam petunt, quia extra illam non habent, unde ſuſtententur! *quæ cùm non inveniret, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam.* Gen. 8. v. 9. Subſidant diluvii aquæ, fluctus tribulationum quieſcant, veſtigia deleantur cataclíſmi, ſerenitas cœlo redeat, & rurſus vireſcant agri, nulla erit revolandi cura, nec ut Noëmo benefactori reſtituti orbis nuncius bonus afferatur: *Non eſt reverſa ultra ad eum.* v. 31. Cum delphinis ludit in Oceano navis, dum ſudum cœlum favet: inſurgunt procellæ, & venti, atque in luctum

luctum ac vota scena abit. Ita Hugo Cardinalis explicat illud Psalmi 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* v. 34. Ita Judæi in plagis suis, ita cæteri homines, cùm in eos paululùm extendit manum suam Dominus. Imò ipse David, qui verè pœnitens dixerat. *Ego in flagella paratus sum.* Psalm. 37. v. 18. Fatetur de se ipso: *ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Psalm. 106. v. 1. & Psal. 17. v. 7. O quot oviculæ pascua vetita carpentes incuriæ sui, nihil curarent sibilum pastoris, nisi unà timerent pedum! fors non tantùm amarent custodem, nisi metuerent lupum. Cùm solis gratiis ad se nos Deus vocat, surdis auribus inhumani voces benignas præterimus; at si pœnis nos affligat, si per angustam portam nos ingredi compellat, si ad cœnam vel invitos trahat, donec impleatur domus convivii, tunc denique cedimus vocanti. Nimirum ita votis suis damnatus est ille paterfamilias, qui servo suo dixerat: *Et pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Luc. 14. v. 21. cæteri hujus mundi bonis absorpti ire recusârunt. Nempe ut ibid. advertit Gregorius, *mala quæ nos hîc premunt, ad Deum nos illa compellunt.*

501. Haud me latet amarus malorum vultus, at id quoque scio, pejorem reddi cæco timore. Omne arduum obedientiæ Abrahamiticæ huc denique recidit, ut arietis offerretur sacrificium, & coronæ stellarum reciperetur præmium, *quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. v. 13. Cùm sibi in agro stratum Jacobus pararet, dicit sacra scriptura: *Tulit de lapidibus, qui jacebant.* Gen. 28. v. 11. subin verò somno expergefactus unum lapidem solum reperit. *Surgens ergò manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti.* v. 18. multos scilicet timor durè cubandi repræsentavit, & unicus revera fuit lapis, in quo Jacobus cubavit. Mortem fugit Elias à Jezabele intentatam, venit ad juniperi umbram, *& petivit animæ suæ, ut moreretur.* 3. Reg. 19. v. 4. si fugit mortem? quomodo petit mortem? fugit quia metuit: *timuit ergo Elias.* ibid. v. 3. petit, quum eam suis medelam & finem malis videt. Nulla forent mala, nisi timerentur, & quasi totus horror tribulationis cessaret, si apprehensivo ejus metu se quisque liberaret. Attendesis bonum quod inde resultat, & nihil curabis malum, quantumcunque istud premat. Etiam illa, quam vi excutis, myrrha est, non minùs, quàm spontè profusa ab arbore, licèt non tam excellens, & odoris adeò fragrantis. Paucæ tamen ex oculis lacrymæ fluunt, quas non distillet dolor. Invitus Christi crucem tulit Cirenæus: *Nam hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* Matth. 27. v. 32. nihilo seciùs teste Lucio dextro *non fraudatus est debita mercede portatæ post Christum crucis.* Neque etiam bonus latro spontè sua conscendit infamem trabem, & tamen, quia vel ex necessitate fecit virtutem, obtinuit trabeam gloriæ. Si Paulus itera-

tis precibus retundere voluit moleſtum ſtimulum, *propter quod ter Dominum rogavi.* 2. Cor. 12. v. 8. atque eum ſubin verſum vidit in nobiliſſimum victricis coronæ ſuæ radium. Non multùm ignis arridebit auro, ab eo tamen ſcoriâ liberum & purius exit. Dolore fremebant vaccæ arcam trahere juſſæ, atque vel ſic rectà itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes. 1. Reg. 9. v. 12. Denique in Betſames pervenerunt, quod interpretatur *domus ſolis.* Hæc eſt patientiæ felix alchimia, quæ vel ipſam duram neceſſitatem in aurum transmutat. Quantùm calori ignis reſiſtit lignum viride, quantum fumi emittit, quot in ſtridulis ſuis ſonis vel gemitus edit! at tolerando calorem denique fit patiens ignis, & in eo beneficia communicat calefaciendo, ac illuminando. Grata eſt Deo victima agnus cultrum ſine voce, non tamen ſine doloris ſenſu ferens. At etiam bos in holocauſtum cedebat utut cædis cruciatu mugiens. Abraham oblatum arietem non ligavit ſuccedaneam victimam Iſaaci vincti, *cúmque alligâſſet Iſaac.* Gen. 22. v. 9 & tamen gratiſſimum quoque fuit Iſaaci ſacrificium, licèt filio utpote ligato haud ſponta neum. Agnus Dei ſolus *oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Iſai. 53. v. 7. attamen ipſo ore Dei, vexillum juſtitiæ ſuſtulit Abelis etiam violentum ſacrificium. *â ſanguine Abel juſti.* Matth. 23. v. 35. omnia media adhibet paterna Dei providentia, ut nos ad ſe trahat, ſi ad voces, & ſibilos noſtri paſtoris haud morigeræ oviculæ obſurdeſcimus, pedo, & ictibus nos in viam revocat.

Hinc ut efficaciter ad ſe adduceret 502.
eos, qui magis à lege ſua receſſerant, aquilonem emiſit, ut pernicibus alis illos adveheret. *Dicam aquilloni, affer mihi filios meos de longinquo.* Iſai. 43. v. 6. Sed ſi à vento hoc cuncta oriuntur damna, *ab aquilone pandetur omne malum*, ùt Jeremias deplorat. c. 1. v. 14 quomodo in viam bonam devios, & malos reducet aquilo iſte? nunquid ipſe in nubibus non diſſipat ſalubres pratis, & agris pluvias? nunquid non ante tempus ſegetes metit, herbas exſiccat, flores adurit, fructus ſuccidit, & famem cauſat integris regionibus? ſed ob hoc ipſum mitti debebat aquilo. Grandis miſſionarius eſt, non leve malum, & ſummopere perſuadet, quod acriter dolet. Jam ſuper aquas, ut iret ad Jeſum, gradiebatur Petrus, ſed invocare priùs non inſtitit, quam ſubſidere. *Cùm cœpiſſet mergi, clamavit.* Matth. 14. v. 30. Hinc Ambroſius Serm. 2. Deco. *Dum mergitur, ſic pervenit ad Dominum.* Ita etiam diſcipuli *præ timore clamaverunt.* Matthæi 14. v. 26. Abſcedat mali metus, & non accedat clamor eorum ad Dominum. Bono Patri deceſſerat filius malus, quem nec paternus amor, nec favor reducere potuerunt, reduxit fames, & rigor. *Et in ſe reverſus.* Luc. 15. v. 17. Ita teſte Chryſologo refractarios filios ad ſe redire cogit Deus, ut reverti compulſus eſt filius prodigus. *Fames*

mes revocat, quem saturitas exulârat, & gentilem sustinere passus est famem, ut rediret. Serm. 5. Num. 21. Non solus Pharao ad plagas, & virgæ ictus sapuit, plurimi aliis adversis denique resipuêre. *Domine in angustia requisierunt te,* Isaias. cap. 26. v. 16. ubi interlinearis: *percute eos Domine, quia nisi in angustia non requirent te.* Manasses Rex felix, impius est, Manasses in Babylone captivus, evadit Rex sanctus. 4. Reg. 21. Quinquaginta anni prosperitatis eum vitiis mancipârunt, unus adversitatis Deo: ut eum ad pœnitentiam attraherent plùs valuerunt catenæ ferreæ, quàm potuerit diadema aureum. Lege Ambrosium L. 1. de pœnit. cap. 15. Dum à Saule persecutionem patitur David, justus est, dum pacem in throno suo obtinet, fit adulter, & homicida. Judæi quando ducentis annis Ægyptiaca tyrannide premuntur, idola, quantùm constat, nunquam coluêre; iidem vix excutiunt jugum, vix mare afflictionum suarum transeunt, vix ab hostibus patenti se prodigio liberatos vident, & turpissima idololatria illicò se polluunt. *vix egressi vitulum conflant, & adorant,* ut loquitur Pererius supra cap. 32. Exod. Horologium nil est, quàm grave ferri pondus, nisi suis instructum ponderibus concitetur in motum. Ita homo grave erit terræ pondus, sine voce, sine gemitu, sine ullo animi pœnitentis signo, nisi alas cordis eidem vellicet adversitas, ut ad Deum suum redeat.

503. Tribus modis hominem vocat Deus teste Cassiano. L. 3. collat. 1. c. 1. Primò inspirationibus internis, dein exemplis, & admonitionibus exterioribus, denique adversis si prioribus quis resistat, tertio medio utitur Deus, quo illum ad frugem reducat. Saturi falcones rarò ad Dominos suos revolant, pauci homines in sua abundantia ad Deum redeunt. Urgeat illos tribulatio, vexatio illis intellectum aperiat, & ipsimet mutuò sese hortabuntur, ut Deo suo se postliminiò sistant. *In tribulatione sua manè consurgent ad me, dicent, venite, revertamur ad Dominum.* Os. 6. v. 1. si calcando rosas vides te ad exitium pergere, cur quereris, si clementia Dei iter suum spinis insternat, ut se facturum promisit apud eundem Prophetam. Cap. 2. v. 6. *Sepiam viam tuam spinis.* Utinam nunquam pedem sine dolore figas in pratis vetitis mundi, ut illicò ad arcam confugias cordis Divini. Videtur rigor, & est charitatis excessus, quod de Deo Regius vates dixit: *in ira populos confringes.* Ps. 55. v. 8. Ita rem explicat Augustinus: *in ira populos deduces: irascaris, & reducis: sævis, & salvas, terres, & vocas.* Ita experiebatur sponsa, nam quò plus myrrhæ ostendebat sponsus, eo majorem uvæ ingerebat suavitatem, ut efficaciùs ad se alliceret. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: botrus cypri dilectus meus mihi.* Cant. 1. v. 12. & 13. Addit Theodoretus. *In vineis Engaddi, id est in fonte tentationis. In tentationibus enim constitutæ*

ſtituta, & à multis oppugnata. Sponſa tuam, dicit, ſentio ſuavitatem. Videntur lapides, quibus ſanctus Stephanus gloriosè occubuit, evulſi fuiſſe ab ipſis cœleſtis Jeruſalem mœnibus, hæc enim jam jam ingreſſurus undique hiare eſt conſpicatus: *video cœlos apertos.* Act. 7. v. 5. Idcircò meritò de glorioſiſſimo hoc pugile canit Eccleſia. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Sinamus proin, ut afflictiones qua qua vetſum, & adverſa ingruant, quia ubi venti hi acriùs impetant noſtri cordis naviculam, hæc eò citiùs feretur ad tutiſſimum portum Deitatis. Toleremus iſta patienter; meliùs enim modicùm pati, ut jugiter læteris, quàm paululùm delectari, ut æternùm crucieris. Cùm exterioribus oculis impiorum felicitatem, & ſe flagellis à Deo immiſſis afflictum videret David, *Zelavi*, inquit, *ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Pſalm. 72. v. 3. Sed ſubin Dei lumine illuſtratus ſe ipſum correxit. *Si dicebam, narrabo ſic; ecce nationem filiorum reprobavi.* v. 15. Velut diceret, cenſere, hujus vitæ tranſeuntis afflictiones eſſe prodromos infelicitatis æternæ, idem eſt, ac cenſere electos eſſe reprobos. Quo quid abſurdiùs, & rationi magis difforme cenſeri queat? Hoc potiùs ſano judicio congruit, ſi dicas, natio malorum eſt illa, quæ in bonis ducit dies ſuos: natio bonorum, quæ hujus mundi malis premitur. Proſpera in valle tribulationis ne petat, quiin loco ſalutis vult potari torrente voluptatis. Prædeſtinatorum *alpha* fuit Jeſus, ipſe primus cœlum aperuit, atque eſt ejus beatæ Sionis portas ingreſſus. Sed hujus glorioſæ Aſcenſionis veſtigia illi monti impreſſa reliquit, quem antea ſanguineo imbre doloris ſui luculento teſte irrigavit, quando *factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis interram.* Luc. 22. v. 44. Ecce hìc quomodo & quà pateat acceſſus ad Deum, & ad cœleſtem glotiam iter!

Idea XCVIII.

Sine Deo omnia nihil, post Deum animi habenda cura.

504. DEus nullo alio addito totum est, cætera omnia sine Deo nihil. Parodoxa hæc videntur ignorantiæ, sed verissima sunt, & fidei, & rationis lance, si ea libraveris. Rogavit Deum Moyses, suam sibi, id est Divinam essentiam, definiret: reposuit Deus: *Ego sum, qui sum.* Exod. 3. v. 14. In hoc à reliquis discriminor à me distinctis, quia si essent, quæ essem & ipsa Deus essent. Ergo solus Deus est, & reliqua omnia sunt, quæ nou sunt, adeòque sunt nihil. Ita sensit vel ipse homo gentilis de vanissimis diis suis. Milites ex tribu Dan, Michæ furtim sublegerant Deos suos penates, fures hos magnis ille clamoribus insectabatur. *Quid clamas*, inquiunt illi, quid mali tibi occurrit, quid inconditas voces edis magni doloris indices? respondit Michas: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis, quid tibi est?* Judic. 18. v. 24. Ex ipso textu solùm colligitur ablata esse idola, non autem vel hilum supellectilis domesticæ, & ipse Michas fatetur, se cuncta habere, cùm dicit, *omnia, quæ habeo* si habet omnia, cur dicit *tulistis omnia*? Ideò quia totum id, quod reliquerant, etiam si totum fuerit, nihil erat, quia sine Deo omnia nihil, quem homini abstulerant milites Danitici. Esau se ditissimum fatetur inquiens: *habeo plurima.* Genes. 33. v. 9. Jacob autem frater ejus dicit se possidere omnia. *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donavit mihi Dominus tribuens omnia.* ibid. v. 11. Si Deus omnia tribuit Jacobo: quomodo Esau jactat, se habere plurima? uterque verum dixit, quia licèt ipse multa possideat, Deum non habebat, sine quo reliqua omnia sunt nihil. Jacob verò Deo suo dives omnia in eo possidebat. Prophetaverat Isaias: *Egredietur Virga de radice Jesse.* Cap. 11. v. 1. Huic florem attribuit, non fructum: *& flos de radice ejus ascendet.* At ubi addidit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini.* Flori huic in virga ascendenti encomium omne tribuit sapientiæ, intellectus, fortitudinis, consilii, magni Judicis ac Regis, & hæc omnia judicat radici illi obventura, statim ac Deus super illam advenerit. Vice versa discipulis suis dixit Christus: *Usque modò non petistis quidquam.* Joan. 16. v. 24. idque dixit in cœna ultima. Nunquid autem nihil petierant Apostoli, cùm petierunt

petierunt ſedes in Regno cœleſti, præeminentias, dominia? Sed quoniam etiam hæc ſine Deo revera ſunt nihil, quando iſta petebant, nullo habito Dei, ſed proprii ſui commodi, & vanitatis reſpectu, reipſa petierunt nihil. Ita rem intellexit Propheta Regius, quando dixit: *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Pſal. 8. v. 8. nempe honores, glorias, divitias, & delicias. Idem autem David alibi dicit: *& nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75. v. 6. Si autem omnia illis ſubjecit Deus, quomodo iſti inveniunt *nihil*? quid quæritis: illi omnia ſubjecit Deus, qui Deo ſe perfectè ſubjecit, dans ſeipſum Deo, ut Deus ſe daret ipſi; at viri divitiarum vilia Mammonæ mancipia, quibus opes ſuas, non ſe permiſit Deus, nihil invenerunt in manibus ſuis, quia Deum non invenerunt, ſine quo omnes opes & cætera omnia ſunt nihil.

505. Teſtatur id Joſeph, & fratres ejus, filius prodigus, & germanus ipſius. Omnia Joſepho ademerant fratres, non ſolùm tunicam, ſed & libertatem, vendentes eum Madianitis. En hîc lectam Jacobi ſobolem rebus omnibus imò ſuo arbitrio deſtitutam, fratres verò Joſephini patris hæreditatem, polymitam tunicam, & argenteos divenditi Joſephi in manibus habent. Ita quidem videtur, at brevi mutantur vices, ipſi vix habent quod rodant, iſte omnibus abundat, toti Ægypto indigenis, & advenis cibaria miniſtrans. Nimirum invidi fratres in bonis ſuis Deo carebant, atque idcirco omnibus egebant, Joſeph cæteris ſpoliatus, Deum poſſedit, & ob hunc unum dives fuit in omnibus. Ita prodigus congregatis omnibus peregrè profectus eſt. Luc. 15. v. 13. ſed cùm à patre ſuo receſſit, Deum pariter reliquit, atque adeo reliqua nihil ipſi profuêre: eò miſeriæ redactus, ut fateri cogeretur: *hîc fame pereo.* Contrà frater ipſius, pupillus adhuc, qui nihil proprii poſſidet, neque in ſua poteſtate habet vel hœdum, quem cum ſuis amicis abſumat, à patre tamen audit: *fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* ibid. Nempe in patre ſuo, prout ad eum redux ſubin expertus eſt ipſe prodigus, poſſidebat omnia. Minabatur Chriſtus Jeroſolimitanis ſupplicia ingratitudini eorum debita, denique concluſit: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Matth. 23. v. 28. extremam ſcilicet, qua conflictandi eſſent, prædicit inopiam, & hujus cauſam allegat iſtam: *Dico enim vobis, non me videbitis.* v. 39. Deo veſtro carebitis, atque ſic bonis omnibus deſerti inſtar deſtituemini. In Paradiſo deliciarum videri poterat verſari ſponſa, quando in horto ſe conſtitutam vidit florum omnium fragrantiâ, ac fructuum ſuavitate repleta, quando illi dici potuit, *emiſſiones tuæ paradyſus malorum punicorum.* Cant. 4. v. 13. Certè nihil ipſi ad felicitatem videbatur deeſſe. Attamen in medio hoc ſuo paradyſo gemit, ſuſpirat, exclamat: *veniat dilectus meus.* Cant. 5. v. 1. probè gnara, hoc abſente, utut

utut cætera adsint, omnia tamen deesse. *Veniat dilectus*, abeant reliqua, in Deo tamen habebo omnia, sine eo nihil, ut dicebat Patriarcha Seraphicus: *Deus meus & omnia.* In Candelæ lumine solus mucus redundat; in vita nostra, quæ extra Deum nobis sunt, fumus sunt: mucum tolle, & vividius lumen efficies; vana rescinde, & vitam lætiorem vives. Vagina nec splendere nec vincere gladium facit. Denudandus ensis, ut obtineatur triumphus. Unica tabula portum præbet, navis onusta mercibus facilè mergitur. Fructu sine cortice delectatur Deus, si superflua præscindas, præbebis delicias supremo Regi. Sine pallio cœlum conscenditur in curru igneo, uti olim Elias, ab Elisæo tamen videri voluit, ut relicta in eo ascensu vestis esset testis de visu. *Si videris me, quando tollar à te.* 4. Reg. 2. v. 10. Nostra haud quærit Deus. sed nos ipsos. Post suam essentiam nihil tanti æstimat, ac animam nostram, ut intelligamus, Deum, uti est, & esse debet præ omnibus, ita animas nostras post Deum præferendas esse omnibus.

506. Grande quid non cadere ante statuam vanitatis, aut non habere tam curvam in terras animam, ut extra Deum quidpiam adores. Ut enim à Jesu id impetraret dæmon omnia hujus terraquei globi imperia ei promisit. *Ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei; hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. 4 v. 8. & 9. Christus autem utpote sapientia æterni Patris gnarus pretii omnium, & tanquam bonitas infinita tanti rem æstimans, quanti valet, tam indignè tulit pessimam Satanæ nundinationem, ut illicò tentatorem repulerit: *vade Satana.* Omnia & singula mundi hujus bona pro anima se daturum promisit ille, *omnia dabo*, omnia; ne det animam, repudiavit Jesus dæmonis oblata. Ecce quanti sit in æstimatione illius, qui eam maximè odit, hominis anima, & quid valeat apud eum, qui eam post Deum præ omnibus amat! confusioni cedat Christiano, quòd de anima sensit gentilis homo. De quatuor Regibus triumphos retulerat Abraham, & quidem tunc, quando de aliis victores redibant ipsi. Tot spoliis onustus Patriarcha ad suos revertebatur, & cuique restituere parabat devictorum quinque Regum exuvias cuilibet ablatas. Cùm ecce unus illorum victori dicit: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen. 14. v. 21. Nihil ille solicitus est de gazis & divitiis suis, subditorum suorum duntaxat animas petit, in horum comparatione bona cætera nihili æstimat. Cùm parens ille suum filium prodigum iterum recuperat, domus tota in gaudia solvitur. Ægrè tantam lætitiam tulit frater natu major, & querebatur inauspicatò eam institui pro reditu hominis, *qui devoravit substantiam suam cum meretricibus.* Luc. 15. v 30. Sed Pater rerum æquior Judex aliter sensit, & rationem hilaritatis domi suæ à se præscriptæ hanc reddit: *epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit, perierat, & inven-*

inventus est. v. 32. Nempe pretium animæ ignorabat primogenitus, quando magis de amissis bonis doluit, quàm de recuperatione ejusdem est lætatus, non sic parens, qui in ejus comparatione domûs suæ substantiam omnem nihili habebat. Quid tibi videtur de servo meo Job, inquit Deus ad dæmonem, an considerâsti eum quàm simplex & rectus? quam sit Dei timens? & nullus alius in terra ei similis? quid multa repositi Satan: an frustrà ille timet Deum, cui data sunt bona omnia? cui in omnibus benedixit Deus? at verò Dominus: Eja servi hujus virtutis experimentum cape. Ecce *universa, quæ habet, in manu tua sunt.* Job. 1. v. 12. imò ipsum Jobum potestati tuæ trado, *ecce in manu tua est.* Cap. 2. v. 6. Auferipsi, quodcunque lubuerit, domos, villas, greges, frumenta, vites, proventus omnes, filios, filias, servos, & ancillas, imò ipsam corporis sanitatem, quâ modò perfectâ gaudet, id unum veto, ut quid animæ ejus noceas: *veruntamen animam illius serva.* Ibid. Ecce totum etiam capitali hosti suo tradit Dominus, præterquam animam, pro qua sola omnia danda novit. Ita docuit, & etiam fecit Christus excellens ille Trapezita, qui solus dignè æstimare novit tantæ, quanta est anima, gemmæ pretium ingens, *inventâ unâ hac pretiosa Margaritâ abiit, & vendidit universa, quæ habuit, & emit eam.* Matth. 13. v. 46. Nimirùm in litrum animæ se ipsum Dominus dedit, vel ùt Venantius L. 3. loquitur: *in cruce suspenditur, ut pro captivitate nostra pretium sui corporis mercator in statera pensaret.* in hoc crucis ligno res singulas se attracturum prædixit: *si exaltatus fuero, omnia trahamad me ipsum.* Joan. 12. v. 32. & quænam hæc *omnia*, nisi animæ, quas sanguinis sui pretio est mercatus? hic est Jesu thesaurus, quem unum ipse æstimat, cui soli cor suum affixum habuit. Hinc Mellifluus Serm. 5. in dedicat Eccl. ad Christum loquens: *scio*, inquit, *scio, ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, quomodo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus?*

Paulò ante mortem suam *sciens Je-* 507.
sus, quia omnia dedit ei Pater in manus. Joan. 13. v. 3. vidénsque avaritiæ dæmonem jam possessam pro triginta argenteis Judæ animam: *Cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas, surgit è cœna, vestimenta ponit*, linteo se præcingit, aquam mittit in pelvim, séque ad proditoris pedes velut abjectum mancipium demittit. Ad quid ista Domine? an ut sordidum eum hominem laves? ita sanè. At verò non vides, quòd nec sanguis tuus sit hujus dæmonis (ita enim Judam jam vocâsti, cùm dixisti, *ex vobis unus diabolus est.* Joan. 6. v. 71.) absterfurus maculas? id equidem prævideo. Quid ergò facies ad pedes ejus? nempe emere vis animam hanc subjiciendo omnia, quæ dedit tibi in manus Pater, pedibus ejus? *cœpit lavare pedes.* Eja Judas pro triginta argenteis animam tuam dæmoni tradis, & ego pro illa tibi omnia offero!

fero! En in manibus meis posita sunt omnia; hæc jam subsunt pedibus tuis, vendere vis animam, vide ut quàm carissimô vendas! Quid agimus mortales? an non spectaculum hoc dignum, cui paululùm immoremur. Quid pro anima vestra offert dæmon? quid pro eadem exhibet Christus? hic dat omnia non solùm ad speciem, sed re ipsa: *omnia dedit ei Pater*, & hæc omnia imò ipsum se vobis tradit: *accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Matth. 26. v. 26. nec ista solùm promittit, sed reipsa omnia arbitrio nostro permittit. Quid autem dat diabolus? revera nihil: multa quidem promittit, sed non dat, solùm dicit daturum se: *hæc omnia tibi dabo*, & quidem sub iniquissima hac conditione: *si cadens adoraveris me.* Matth. 4. v. 9. Adeò, ut debeas esse mancipium diaboli, antequam evadas dominus mundi. An fortè vis, ut plura offerat pro anima servi, quàm obtulerit pro anima Christi Domini, & quàm phantasticum erit, quod à dæmone pro anima exhibetur dominium orbis, si quis ampliùs non est dominus sui.

508. Sed esto obtines tanto pretio emptum eorum, quæ Satan promittit dominium? videamus, quid sint hæc *omnia*, quæ sub turpissima conditione spondet dæmon. *Omnia regna mundi, & gloriam eorum.* v. 8. Eutimius ibid. Author operis imperfecti. Hom. 5. Sanctus Thomas 3. p. q. 41. à. 4. Cajetanus, Carthusianus, Albertus Magnus, Abulensis, & alii dicunt, quòd digito dæmon Christo demonstraverit regna mundi, dicendo: En hic Persiam, ibi Italiam, in loco isto Ægyptum, in illo Hispaniam, & sic ad alia digitum, & oculum intendendo. Sed cùm ista videri oculo corporeo neque in mappis Geographicis unico instanti, multò minùs digito monstrari queant, quomodo dicit sanctus Lucas ostensionem illam regnorum mundi, & gloriæ eorum factam esse *in momento temporis!* cap 4. v. 5. Rupertus, & Theophilactus censent, commotas esse in Christo species materiales, ut representatio phantastica omnium orbis imperiorum in ipso exsurgeret. Sed dedecere videtur hæc in Dei Filium Satanæ potestas, ut interiores ejus potentias commovere potuerit: Hinc Jansenius, Sà, Barradius & alii autumant exhibitionem illam regnorum in aëre fuisse à dæmone formatam, & in aëreo quodam simulacro omnia mundi imperia cum gazis suis ita fuisse ostensa, uti varietas colorum exhiberi solet in vitro trigono. Id certum, totum id fuisse oculi deceptionem, fictitium quid, & revera nihil. En itaque, quid dæmon promittere, quid dare queat. Hinc Ambrosius: *Bene in momento temporis sæcularia, & terrestria demonstrantur, non enim tam celeritas conspectûs indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento cuncta illa prætereunt, & sæpè honos sæculi abit, antequam veniat.* in cap. 4. Lucæ; & Seneca in eundem sensum de fallacibus hujusce vitæ bonis:

nis: *Quid miraris*, inquit, *quid stupes? pompa est: ostenduntur istæ res, non possidentur, & dum placent, transeunt.* Epist. 110. omnia simul Doctor gentium complexus est, & brevitatem hujusmodi, & phantasticam rationem perstringens, cùm dixit: *præterit figura hujus mundi.* 1. Cor. 7. v. 13. Ita expertus est infelix ille, qui pro voluptatibus, & honoribus sibi ad satietatem dandis suam diabolo animam oppignorârat, dedit eas dæmon somnianti, & à somno expergefactum ad tartara rapuit, dicens: stetisse se pactis, neque referre, utrum apertis, vel clausis oculis bona isthæc alter percepisset, cùm nunquam hominis excedant phantasiam. En hìc quid spondeat, & quid præstet juratus animæ hostis! omnia promittit, & si etiam det, nihil dabit; imò quando dicit, *hæc omnia tibi dabo, ille hæc dicit, non qui possit dare, sed fallere.* Chrysologus Serm. 13. *mentitur ex more, nec obolum habet, qui omnia regna promittit.* Barradius O mi Deus aperiantur oculi nostri, ut videre possimus, quanti stet anima, quam ipso Filii tui pretio emere voluisti.

Idea XCIX.

Terribilior videtur dies Judicii supremi, quàm ipsa nox inferni.

509. QUi attentè considerat horrorem tenebrarum æternarum, mirabitur fortè, cur Prophetæ in conversione peccatorum utantur crebriùs die extremi Judicii, quàm nocte inferni sempiterna. Id certum, in sacris scripturis multos dies adventûs Domini præmitti noctis perennis tristi ponderationi. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dicit Dominus.* Malach. 4. v. 1. Dies veniet unus, & non plures, unus, ísque mundi ultimus, & principium totius æternitatis, dies veniet, ad quem omnes tendimus, sed quis ille? *de die autem illo nemo scit.* Matth. 24. v. 36. ut omnes timeamus. Sophonias diem istum ita describit. *dies iræ, dies illa, dies calamitatis, & miseriæ.* cap. 1. v. 15. dies, de quo omnia dices, si dixeris, *Dies illa.* Ita enim vocavit Christus, cùm dixit *multi dicent mihi in illa die.* Matth. 7. v. 22. sed quænam, Domine, est dies illa? talis erit, cui in horrore, terrore, caligine, calamitate, & cæteris omnibus, quæ terribilium

biſium ſunt terribiliſſima, nulla alia dies comparari valeat, proin neque aliter exprimi poteſt, quàm vocando *diem illum.* Iſaias quoque terrore concutitur de illa die cogitans. *Ululate*, inquit, *quia propè eſt dies Domini.* cap. 13, v. 6. *Jam adſunt vaſa furoris ejus, ut diſperdat omnem terram.* v. 5. O quæ tunc cordis, & pectoris anguſtiæ, *torſiones, & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt.* v. 8 *Ululate, ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis, plenus iræ, furoríſque.* v. 9. O dies tremenda illa dies! *qua erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.* Luc. 21. v. 25. Tam viſibilibus caracteribus iísque cruore rubricatis condemnandi mundi ſententia prodetur! in cœlo, & terris non parebunt niſi horribilia futurorum ſuppliciorum prænuncia. Si ſolis, & ſiderum aula vertitur in tam ferale pegma, qualem infernum exhibebit tellus infelicium eventuum regio? ſi luminaria cœli tam atram ſubibunt noctem, quales erunt cœcorum tenebræ? ſi ſplendida firmamenti aſtra non effugient à ventura ira, quomodo ligna arida in in iis flammis conſiſtent? *ſtellæ cadent de cœlo.* Matth. 24. v. 29. vel metu ſuis evulſæ ſedibus, vel novis à firmamento velut ſcoria ab auro reſolutæ ardoribus, & quibus fulcris tunc innitentur agri ſtipulæ, & cannæ paluſtres.

510. Nihil atrocitatem pœnæ à juſto Judice illa die peccatoribus irrogandæ oſtendit meliùs, quàm innocentis Jeſu ob peccata hominum tam dira patientis memoria. Proditoriè venditus, latronis inſtar comprehenſus, colaphis cæſus, & flagellis, ſputis, & ludibriis ſaturatus, ſpineo ſerto tempora cinctus, ac ad infamem crucis mortem condemnatus verus Dei Filius poſt vitam triginta trium annorum inter mille moleſtias patientiſſimè exactam. Deus bone, quantus hic Juſtitiæ Divinæ rigor! quid in arido fiet, ſi in viridi hæc facta cernimus? & tamen idem Jeſus jamjam probroſiſſimæ morti proximus, ſub dolorum, & crucis pondere fatiſcens, filiabus Jeruſalem, animabus peccatricibus ad tam lugubre ſpectaculum in lacrymarum imbrem, ut decebat, effuſis, *nolite*, inquit, *flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Luc. 23. v. 28. Et cur Domine non fleat, quisquis te videt à planta pedis usque ad verticem capitis ulceribus plenum? *quoniam*, reponit, *ecce venient dies*: nempe dies Judicii, quando Juſtitiæ Divinæ terror longè major incumbet. Neque hiç tam colligi poteſt ex pœnis, quas me pro peccatis ſufferre vidiſtis, neque ex atrocitate ſuppliciorum inferni, quàm ex Judicis venturi implacabili in peccatores ira. *Ecce venient dies*, quorum horribilitate correpti homines *incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.* ibid. v. 30. Ita eſt animæ peccatrices, terreat vos avernalis ille ignis, ſed magis terreat, dies ille calamitatis, & miſeriæ! iræ Divinæ in inferno miniſtros dæmones, qui per montes intelligi poſſunt, quondam inclamabi-

tis, ut cadant ſuper vos, & vel intimis averni tumulis ſepeliant vos, ne videre debeatis diem iſtum Domini horribilem. *cadite ſuper nos, operite nos.* Optabitis, ut vobiscum fiat illud, quod Iſaias futurum prævidit. *Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria Majeſtatis ejus, cùm ſurrexerit percutere terram.* Iſai. 2. v. 29. & hoc etiam indicare voluit Chriſtus, quando poſt finalem ſupremi Judicis ſententiam, quid ſit eventurum, prædixit. *Ibunt hi*, inquit, ſcilicet impii, *in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Matth. 25. v. 47. quòd electi olim ſponte ſua intraturi ſint in gaudium Domini, facilè capi poteſt, at verò, quòd reprobi & ipſi eant ad locum tormentorum, quin dæmones illuc tormentorum loco addictos rapiant, perceptu non eſt tam expeditum. At verò utcunque ſit, ita ſe res habebit, prout veritas edixit, *& hi ibunt in ſupplicium æternum*: quia nempe terribilior ipſis viſus eſt dies iſte judicii extremi, quàm infernus ipſe, & ignis avernalis.

§11. Horrorem incutit illud Jobi votum, *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus.* cap. 14. v. 13. neque in cœlo, neque in terræ viſceribus vir ſanctus, ſed in ipſo inferno præoptat occultari à facie furoris Domini. Hunc velut favorem petit, hoc grande vocat patrocinium, ut protegas me. En infernus ipſi videtur levamen ad effugiendam iram Dei, etiam tunc, quando ſcit fore tranſitoriam, *donec pertranſeat.* Quid fiet cùm ad judicandum venerit, *quando ſedebit ſuper ſedem Majeſtatis ſuæ.* Matth. 25. v. 31. Expertus fuerat Job omnes dæmonum iras, & furores, intrepidè ſuſtinuerat vultum Domini irato ſimilem è nube ſe increpantis, attamen magnum ſciebat intercedere diſcrimen inter Deum in hac vita, quandoque in virga arguentem, & Deum in die extremi judicii in ira furoris ſui adventurum. Formidabiliora ipſi videbantur fulmina vultûs Domini indignationis pleni, cùm gentes arguet, quàm ſæviſſimi dæmonum ictus, quos ſub ſua poteſtate conſtitutis valent infligere: ampliùs timet Job intueri iratum hunc judicem, quàm illum pati juſtitiæ ſuæ etiam in inferno vindicem. Trepidat ad ſolum aſpectum gladii, qui nunquam ſe feriet, ille, qui ad ulcera à diabolo ſibi irrogata ſtetit intrepidus. Quod ſi Jobo innocenti tolerabilior videatur mors, & materiale inferni, ſeu infernus absque culpa ſua toleratus, quàm viſio diei iræ, quibus oculis diem illum, & faciem Judicis irati ſpectabunt peccatores, qui tot ſceleribus, ac ingratitudinibus in ſe illam armârunt? clarum eſt, & ipſos inferni noctem prælaturos, illius diei iræ horribili luci.

Ratio autem eſſe poteſt, quia uti §12.
Deus tunc ſe totum juſtis impendet in gaudium, & gloriam, ita impiis oſtendet in ſupplicium, & ignominiam. *Tunc*, inquit Chriſtus, *videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſta-*

poteſtate magna, & majeſtate. Luc. 21. v. 27. Sed cur Dei hæc viſio peccatoribus cedat in pœnam, quæ eſt maxima beatorum felicitas? ob hoc ipſum ſupplicium erit impiis terribile, quia viſio iſta eſt juſtorum inexplicabile gaudium. *Satiabor*, ait David, *cùm apparuerit gloria tua.* Pſalm. 16. v. 15. quia Deus ſe fruendum præbens juſtos torrente voluptatis potat, iniquos verò ſua majeſtate obruens indicibili horrore percutit. Deus totus pœnitentis Davidis erit delicium, uti obſtinati Saulis fiet ſupplicium. In perſona judicis Deum viderat ſanctus Joannes, & licèt ipſe virgo fuerit, & dilectus Jeſu diſcipulus, vir eximiæ ſanctitatis, teſtatur tamen de ſe ipſo: *& cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Apoc. 1. v. 17. quid fiet de impiis, adulteris, & Deo ac hominibus exoſis? idem Apoſtolus teſtis eſt, terrore gloriæ Dei pro tribunali ſedentis humi procubuiſſe ipſos magnates, qui aliàs aſſiſtebant throno Dei: *Ceciderunt ſeniores viginti quatuor.* Apoc. 19. v. 4. Sed quid hi cœli Principes timent? an non ſunt ſua electorum ſorte beati? an non gloriæ coronis jam habent cinctos vertices? ita eſt, timent tamen etiam columnæ cœli, cùm Deum judicem vident, cùm tribunal ejus ſpectant. Quid die illa peccatoribus fiet, quando primi parentes horrore contabuêre, *Cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram contra meridiem.* Gen. 3. v. 8. En paradiſum deliciarum factum theatrum funeſtum juſtitiæ Divinæ! peccantes jam exanimat! Rex ſupremus homo factus, adhuc infans in ulnis virgineæ Matris, Herodem, & ejus curiam conturbat: *turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Matth. 2. v. 3. Quid fiet, cùm idem omnium conſtitutus judex ad judicandum venerit? cùm vaticinium Davidis implebitur? *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Pſal. 2. v. 9. omnia tunc certè ſummum terrorem incutient, omnia vel ipſas inferni latebras circumſpicere compellent. De damnatis cecinit Regius vates: *pones eos dorſum.* Pſal. 20. v. 13. id eſt, omnia eorum membra dorſi inſtar erunt, ut meliùs excipiant flagella indignationis Domini; de judicandis id fiet, ut tanquam animalia viſa ab Ezechiele, evadant pleni oculis ante, & retrò, quò diei illius iras, furores, minas, fragores, fulmina, mala, & vindictas meliùs videant, & dolore acerbiore percipiant. Acutiſſimi eſt ſenſûs oculus certè dorſum reſpectu illius dici poteſt ſenſûs obtuſi, quantò ergò minor dolor eſt dorſi, dolore oculi, tantò magis flagella judicii, quàm inferni ſentient impii.

De Deo utique judice vaticinatur Iſaias: *percutiet terram virgâ oris ſui.* Iſai. 11. v. 4. Joannes verò de eodem à ſe viſo teſtatur: *de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. v. 26. ut ſcilicet os illud, quod homini inſufflavit in creatione ſpiraculum vitæ, in judicio contra impios vibret gladios mortis. Idem Evangeliſta 513.

gelista judicis hujus oculos vidit, gemini Vulcani instar, cremantes omnia, quæcunque cernerent: *Oculi ejus sicut flamma ignis.* Apoc. 19. v. 12. quæ ardebit usque ad inferni novissima. Daniel ex ejus vultu prodire vidit integra incendiorum flumina: *fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus.* cap. 7. v. 10. *fluvius*, dicit, non *torrens*, quia nunquam exsiccabitur, sed æterno incendiorum alveo decurret. *Egrediebatur*, ait, non *est egressus*, quia semper egredietur, originem suam infinitam à Deo inexhausto fonte trahens. Fluvius igneus, quia hîc deficiet omnis indulgentiæ aqua, quæ vel minimam ejus flammulam extinguat. Prosequitur terribilis Judicis descriptionem Apocalypticus vates: *& vestitus erat veste aspersa sanguine.* Apoc. 19. v. 12. *& ipse calcat torcular furoris iræ Dei omnipotentis.* v. 13. non enim jam effundit fæces calicis iræ Divinæ, sed totum furorem exerit vindictæ altissimi, *& erit justitia cingulum lumborum ejus.* Isai. 11. v. 5. *induet pro thorace justitiam: pro galea judicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem duram iram in lanceam.* Sapient. 1. v. 19. En quot armis instructus *procedat Dominus quasi vir pugnotor.* Exod. 15. v. 3. & velut ista non sufficerent, neque satis incuterent terroris, *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Sap. 5. v. 21. neque hîc in incorrupto Judice spes ulla in donis, neque lacrymis, aut indulgentiæ locus ullus, omnes judicabit in æquitate, & justos, & impios, adeóque teste divo Augustino. L. 20. de civit. pro galea accipiet *judicium certum.* Impius Balthasar accubuerat geniali, ac lascivo epulo. Jam parùm à bruto ex cyathis largiùs hausti distans vidit digitos humanæ manûs in pariete scribentes, *tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbaverunt eum.* Dan. 5. v 6. tunc horror, & tremor totum invasit. Quid times, quid trepidas infelix in tuis deliciis Rex? tres digitos calamo paucas literas exarantis dexteræ? & hæc tantum tibi metum injiciunt, jam ante fatum tuum exanimaris plumâ scriptoriâ? quid olim faciet Judicis irati facies, è cujus fronte procedunt ignei fluvii, ore gladii utraque parte acuti, undique fulmina, ut prosternant impios? digiti hominis tantùm terrent, quid poterit brachium Dei judicis irati?

Idea C.

Judicium clementiæ timendum magis, quàm ipsius Justitiæ.

114. DEus veniet, & ad judicandum veniet, sed Deus homo, Deus Filius hominis, Deus Matris virgineæ proles: *Cùm venerit Filius hominis.* Matth. 25 v. 31. videtur mitescere Deus etiam ùt Judex, quia, cùm ad judicium procedet, Divinitatem dissimulat, humanitatem ostentat. *Cùm venerit Filius hominis.* Eja bono animo mortales! homo nostræ consors naturæ Judex erit humanæ miseriæ. Mariæ filius Redemptor omnium, primogenitus inter multos fratres, is est, cui à Patre datum judicium omne. Videntur hæc maximam judicandis spem ingerere, mihi summum incutiunt metum: ingratitudo mea terrore undique concutitur, attenta terribili hac judicii circumstantia. Non Deus quà talis meorum criminum olim erit Judex, sed Deus homo. Ad judicandum haud veniet creator offensus, sed meæ salutis reparator vilipensus: à Deo, qui me creavit, appellatio datur ad Deum, qui me redemit: sed ad quem appellabo, si contra me sententiam ferat Redemptor Dominus? ut placarem Deum, in mea peccata justè insurgentem, offerem Deum pro me in cruce morientem, sed ut placem Deum jam pro toto humano genere in cruce mortuum, & tam enormiter à me læsum quid spei supereſt, quid consilii? heu me, nil restat, nisi timor, nisi tremor! à Cæsare irato confugere licet ad Cæsarem clementem, & si nos sola justitia judicaret, possemus libellum supplicem porrigere misericordiæ; sed ubi judicium fecit clementia, ubi tulit sententiam misericordia, an propitiam jure quis sibi promittat justitiam? hinc Judex noster esse voluit Filius hominis, ille nempe, qui ita dilexit hominem, ut Deus æternus cùm esset, se in tempore fecit hominem, qui ut peccata nostra redimeret, mori voluit pro homine, qui natus est de piissima Matre, qui, ut hominum misereretur, ipsa induit viscera misericordiæ, iste ipse, cùm acceperit tempus, Deus homo & justitias, & injustitias hominum judicabit, & terrorem, ac rigorem Justitiæ suæ omni genti indicabit. Hunc Deum hominem Epithalamii sponsa pingit in canticis, & sanctus Joannes talem repræsentat, qualem vidit in suis apparitionibus. Illa sic: *labia ejus lilia.* cap. 5. v. 13. mel, & suavitatem distil-

distillantia, ac odorem spirantia velut liliorum convallium fragrantissimum. *oculi ejus sicut columbæ.* 16. v. 12. felle scilicet, & bile carentes. Iste verò sic: *de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. v. 16. *oculi ejus tanquam flamma ignis.* v. 14. Quid hoc? quàm diversum utrumque ejusdem prototypi Ectypon? vel sponsa fallitur! vel Joannes. At neuter fallitur, sed nunquid ex eodem procedent flores, & enses, deliciæ, & terrores? neque hoc, sed in eo mysterium latet, quòd ipsa sponsi dulcedo vertatur in amaritiem, & maxima clementia in summum rigorem. Lilium acuitur in gladium, flos in cultrum, & mitis columba in horrificum leonem. Indicat id ipsum sponsa dicens: *labia ejus lilia distillantia myrrham primam.* Flores nempe sunt sponsi labia, sed quæ mortem causant, cujus typus est myrrha. Lilia hos flores vocat, quia eorum dulcedini maxima inspergitur amaritudo. De iisdem autem labiis optimè dicit Joannes, quòd gladium exerant, quia ipsa humanitas & clementia Salvatoris abiit in formidandam justitiam severissimi Judicis. Nisi dicere velis, sponsam locutam esse de Deo, ùt Deo; Joannem verò de Deo, quà vestito naturâ humanâ, nempe ipsum vidit *similem filio hominis.* Apoc. 1. v. 13. & tale quid utrobique intercedit discriminis, quale inter lilium, quod recreat; & gladium, qui mactat. Hoc scilicet refert, an justitia, an verò misericordia judicet? utrum pro tribunali sedeat Agnus, an Leo?

Orabat Isaias Dominum petebátque 515
Moabitarum supplicium: *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ de petra deserti.* Cap. 16. v. 1. Cur non dicit, emitte Leonem rugientem aut unicornem ferocientem? Sed Agnum Propheta petit, & Agnum, cujus victâ clementiâ nil est sperandum, nisi rigorosa justitia. Et en jam triumphos illius recenset: *& erit*, inquit, *sicut avis fugiens, sicut pulli avolantes, sic erunt filiæ Moab: ululabit Moab ad Moab, universus ululabit.* ib. v. 2. & 7. scilicet aufugiet, ùt volucres ad sibilum fundæ, aut fragorem arcûs, querulis ululatibus replebit aërem, uti latrare in deserto solent canes excepti flagris, ita ululabit Moab confossus telis Agni iræ vindicis. Nullus leo ita ferociet, ut Agnus iste, cœlum te liberet à clementia, quæ judicat, à mansuetudine, cùm mulctat. Et Agnus mitissimus est Jesus, & flos campi, sed virga est etiam, quæ arguat in furore populos. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus.* Isai. 11. v. 1. Quòd si dicas, nihil à virga timendum, quæ non fulmina vibrat, sed flores germinat, attendesis, quid Propheta addat: *& requiescet super eum spiritus Domini.* v. 2. nempe spiritus sapientiæ, intellectûs, consilii, & quod omnium maximè hìc ad propositum, *spiritus fortitudinis.* In virga hac fortitudo residet Omnipotentis Dei. Si leo foret, esset haud dubiè fortis, cùm flos sit, evadit ipsa fortitudo Divina, centrum est immensæ sphæræ activitatis rigoris justitiæ Divinæ. *Et requiescet super eum spiritus forti-*

fortitudinis. Eodem modo dicitur, quòd supra florem hunc requieverit spiritus pietatis, quo requievit spiritus fortitudinis. Nam in Deo homine excessus pietatis nobis ante judicium exhibitæ olim in judicio compensabitur excessu rigoris. Et si virga fuit recreans, dum tot germinavit fructus satisfactionis, virga etiam erit percutiens, quando proferet sententiam mortis: *percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* ib. v. 4.

516. Filii Israël contra Philistiim pugnantes in castra tulerant arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin. 1. Reg. 4. v. 4 Ad judicium nimirùm veniebat, qui velut pro tribunali supra Arcam sedebat. Philisthæi territi quidem sunt, cùm audierunt, *venit Deus in castra.*, non tamen ita, ut pugnam recusarent. Tota ira in eo tunc resedit, ut iis palmam cedat, quos ad internecionem cædendos Hebræi augurabantur. Paucis annis elapsis novo Philistæorum bello pressi Samuelem adeunt, ac opem implorant. An Propheta Domini aream rursus in hostes Israëlitarum educet? an ignem è cœlo, aut feras bestias è spelunces terræ in subsidia vocabit, *tulit autem Samuel agnum lactentem.* 1. Reg. 7. v. 9. hunc unum lupis Philisthæis objecit, & en, quàm supra omnes leones, & tygrides mansuetus hic agnus perterrefecerit inimicos populi sui! *intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos.* v. 10. Ille tener balatus agni tonitru fuit horrificum, quo sideratæ sunt acies Philisthinæ; hac illud fulminibus replevit aërem, & hostili cruore inundavit campos; quos Arca majestatis non satis terruit, mansuetudo irritata agni omninò confecit. *Cæsi sunt.* Ne relinquamus arcam, ac iteratò assumamus virgam. Aaronica figura humanitatis Verbi Divini floruerat, & jussu Dei à Moyse Arcæ Domini apposita fuerat. Vix id conspicantur filii Israël, & jam exclamant: *Ecce consumpti sumus, omnes perivimus: quicunque accedit ad tabernaculum Domini, moritur.* Num. 17. v. 11. quid opus tot clamoribus, an non etiam antè Arcam Domini vidistis, & non estis mortui, & jam mori timetis, si tabernaculum aspiciatis? virga, quæ ei recens accessit, non est Mosaica, quæ & serpentes producit & scopulos ac maria percutit. Est virga Aaronis, quæ floret, non ferit, amygdalum profert, non ictum. Quænam ergo timendi causa? hæc ipsa, quòd rigori Sanctuarii accesserit dulcedo virgæ. Venerationem antè Deus exigebat Majestatis Dominus, *qui sedet super Cherubim.* Judicabat in justitia, & æquitate, & licèt terrore compleret, licebat tamen ab hoc districto judice appellare ad tribunal pietatis, & clementiæ. Jam verò juncta est arcæ virga florida, virga dulcis, id est, Divinitati humanitas, & misericordia stat ad latus Justitiæ; jam non est remedium super. *consumpti sumus, omnes perimus.* Quisquis enim sibi iratam habet clementiam, nihil

nihil habet, quod speret, sed unicè timeat severissimam justitiam. Nimirùm uti Deus homo Deitati læsæ ad rigorem Justitiæ in crucis immolatus stipite agnus olim satisfecit, sic in extremo judicio, cùm pro tribunali sederit, ita plectet, ut in omnibus satisfiat usque ad novissimum quadrantem Divinæ Justitiæ.

§17. Hinc Deus homo excessu pietatis in hunc mundum primò venit, idem Deus homo summo rigore secunda vice adveniet: *cum venerit filius hominis in sede Majestatis suæ.* Matth 25. v. 31. Totus Deus nobis clementiam suam impendit, totus aliquando spirabit vindictam. Dies amoris plena! cum apparuit humanitas Servatoris: dies terrore compacta, quando apparebit Majestas Judicis. *Cùm venerit filius hominis, cùm judicabit sæculum per ignem.* Sed nunquid non sæpiùs jam Dominus venit in virga ferrea, ut judicaret, & plecteret scelera hominum? nonne venit, cùm primos parentes è Paradiso ejecit, & mortis sententiam contra eos, & innumeram eorum progeniem, eàmque irrevocabilem tulit? neutiquam tunc venit ùt Judex, sed habitu deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. Nonne venit, quando sulphureis flammis incendit infames Pentapolis urbes, & earum incolas? neque tunc venit ad judicandum, sed solùm ad dandas pluvias, quibus mergerentur nefanda hominum crimina. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem.* Gen. 19. v. 24. Nonne venit, cùm decem funestissimis plagis Ægyptum percussit: nec ista vice venit Deus, sed solùm digitus ejus, licet etiam minimus crassior sit dorso cujusvis quantumvis gigantæi hominis. *Digitus Dei est hic.* Exod. 8. v. 19. Nonne venit super Job, cùm iste à throno projectus est in sterquilinium, & à calce pedis ad verticem capitis percussus est plaga grandi nimis? nec hic venit cum rigore, sed solùm leniter in hunc servum suum dextram extendit. *Manus Domini tetigit me.* Cap. 19. v. 21. At saltem tum venit, cùm penè totum humanum genus cataclismo perdidit? sed ne quidem in universali hoc supplicio venit ad judicium Dominus, solùm aquis diluvii extinguere voluit æstum concupiscentiæ, quo globus terraqueus miserè conflagrabat. *Ecce ego adducam aquas.* Gen. 6. v. 17. Omnia hæc, & quæcunque alia afferri possunt Dei plectentis horribilia paradigmata, necdum sunt etiam tenuia illius Judicii exempla, quod erit, *cùm venerit filius hominis* in sede Majestatis suæ. Adventus primus excessit omnes misericordias in lege veteri unquam Angelorum choris, & generi humano exhibitas; adventus secundus excedet omnem vindictam omnibus creaturis hactenus irrogatam. Prior viscera ostendit miserentis Dei, posterior demonstrabit irati Judicis æquissimam justitiam.

§18. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ad te, *& ejiciam gladium meum de vagina sua.* Ezech. 21. v. 3. An nunquam hactenus evaginato gladio hostes suos persecutus est Deus? nunquam sanè, hucus-

hucusque enim non evaginato, sed in vagina recondito gladio plagas omnes intulit Deus. Esto exercitum Pharaonis, & fastum ejus totum submerserit in mari rubro. Una nocte jugulârit de castris impii Senacherib centum octoginta millia Assyriorum, unâ Adamum ob inobedientiam, & posteros ejus libitinæ falci subjecerit; Jezabelem scelestam canibus lacerandam objici jusserit; Absalonem rebellem capillis è quercu suspensum Joabi tricuspitali jaculo confodi voluerit, Fœdam cum Moabitis mixtionem viginti quatuor millium cæde compresserit, Universæ carnis corruptionem diluvii aquis plexerit, & quod omnia reliqua excedit, filium suum unigenitum ob populi sui scelera tam diræ carnificinæ objecerit, ejúsque præcordia lanceâ transfigi permiserit; Esto, omnia hæc, & plurima alia suæ iræ documenta dederit justissimè hominum peccatis iratus Deus; necdum tamen hactenùs gladium de vagina extraxit, necdum nobis nudum ensem suum ostendit. Veniet tempus, quo id certò fiat, nempe tunc, cùm altera vice *venerit filius hominis in sede Majestatis suæ.* Tunc ejiciet denique gladium de vagina sua. Sancte Deus! jam tertia Angelorum pars detrusa est in averni ignes, jam tot numerat orcus humanas victimas, & necdum evaginatus est gladius furoris Domini; *ego ejiciam gladium meum de vagina*, terribilis hic aspectus reservatus est judicio extremo, tunc hominum oculos perstringet, *cùm venerit filius hominis.* Heu quid tunc erit, quando fulguris instar strictum illum rotabit gladium, *si acuero, ùt fulgur, gladium meum.* Deut. 32. v. 41. Heu quid erit? ne putes ista nimiùm exaggerari, audi veritatem: *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.* Matth. 24. v. 21. Cogita fames, pestes, bella, tormenta, mortes, & in his crudelissima tot Dei pugilum martyria, & ipsam atrocissimam Filii Dei passionem, cogita pœnas & dæmonum, & hominum hactenùs in horrenda illa inferorum voragine toleratas, non adhuc cogitâsti tribulationis illius magnæ cumulum, de qua Christus futurus Judex prædicit, quia ea erit tribulatio, *qualis non fuit ab initio mundi, usque modò, neque fiet.* Timeant omnes, ne eos illa tangat tribulatio, quàm in extremi Judicii die videbunt omnes.

Bibliotheca Conventus Czenstochoviensis



Admonitio
Ad
Lectorem.

ADverte, Lector Benevole, quod utriusque Indicis numeri à marginalibus discrepent. Illius, qui librum prælo destinatum descripsit, incuriâ factum est, ut quatuor numeri, in Hispanico Exemplari margini appositi, diversis in locis omitterentur. Huic errori facilè occurres, si in Idea XVIII. à n. 93. ad n. 103. inclusivè unô minùs numeres. Sic v. g. in Indice rerum ad notam *DEUS* lin. nona hæc verba reperies : *quem vult, elevat* : Argumentum his correspondens non ad numerum marginalem 97. qui in Indice citatur, sed ad n. 96. in Ideis occurret. Eadem ratione in reliquis progredere. In Idea xx. à n. 104. ad n. 430. duobus minùs, ab hoc usque ad 441. tribus & deinceps usque ad finem quatuor minus. Alterum est, ut typi errores in Indice Concionatorio, qui alibi, ac ipse liber, impressus est, benignè corrigas.

Dom. 1ma Adv. lin. 3. *non* lege *mox*
Dom. 2da. Adv. lin. 12. *legalis* lege *legatis*
Dom. infra Oct. Nat. lin. ult. *dolis* lege *dotis*
Dom. 4. post Epiph. lin. 8. regnare & vigilare lege regnare *est* vigilare
Dom. Septuag. lin. 8 *vivissimas* lege *vivi simus*
Dom. 1. Quadr. lin. 10. *sit* lege *sit*. lin. 13. *patrarit* lege *patravit*
Dom. 1. post Pascha lin. 10. *lota* lege *lata*
Dom. 5. post Trin. lin. 5. *facique* lege *sulque*
Festum S. Jac. Apost. lin. 4. *obrutos* addè *malis* obrutos. lin. 6. *utramque* lege *utraque*.

In ipsis Ideis num. 29. marginali lin. 10. idem *misme* lege *idem ipse*. Ubi inveneris *supro Deum* lege *supro. Deus &c.*

Admonitio
ad
Lectorem.

ADverte, Lector Benevole, quod utriusque Indicis numeri à marginalibus discrepent. Illius, qui librum prælo destinatum descripsit, incuria factum est, ut quatuor numeri, in Hispanico Exemplari margini appositi, diversis in locis omitterentur. Huic errori facile occurres, si in Idea XVIII. à n. 94. ad n. 103. inclusive uno minus numeres. Sic v. g. in Indice rerum ad verum OBIIS lin. nona hæc verba reperies: *quam vult, elevat*: Argumentum sibi correspondens non ad numerum marginalem 97. qui in Indice citatur, sed ad n. 96. in Ideis occurret. Eadem ratione in reliquis progredere. In Idea xx. à n. 104. ad n. 430. duobus minus, ab hoc usque ad 441. ultimo et deinceps usque ad finem quatuor minus. Alterum est, ut typi errores in Indice Concionatorio, qui alibi, ac ipse liber, impressus est, benigne corrigas.

Dom. 1ma Adv. lin. 3. *non* lege *mox*
Dom. 2da Adv. lin. 12. *legalis* lege *legatis*
Dom. infra Oct. Nat. lin. ult. *dolis* lege *dotis*
Dom. 4. post Epiph. lin. 8. regnare & vigilare lege regnare *est* vigilare
Dom. Septuag. lin. 3 *vivissimus* lege *vivi simus*
Dom. 1. Quadr. lin. 10. *sit* lege *sit*. lin. 13. *patrarit* lege *patravit*
Dom. 1. post Pascha lin. 10. *lata* lege *lata*
Dom. 5. post Trin. lin. 5. *facique* lege *sulque*
Festum S. Jac. Apost. lin. 4. *obrutos* adde *malis* obrutos. lin. 6. *utramque* lege *utraque*.

In ipsis Ideis num. 29. marginali lin. 10. idem *mismo* lege *idem ipse*. Ubi invenerit *supro Deum* lege *supro*. *Deus &c.*

H. M. Leopol.